BIBLIOTHÈQUE
CLASSIQUE LATINE,

OU

COLLECTION
DES AUTEURS CLASSIQUES LATINS,

AVEC DES COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX, DES INDEX COMPLETS, PORTRAITS, CARTES, ETC.;

Dédiée

A S. M. CHARLES X,

Destinée par ses Ordres aux Etudes

DE S. A. R. M^GR LE DUC DE BORDEAUX,

Et publiée

Par NICOLAS ÉLOI LEMAIRE,

PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A LA FACULTÉ DES LETTRES, ACADÉMIE DE PARIS.

A PARIS,

DE L'IMPRIMERIE DE FIRMIN DIDOT,

IMPRIMEUR DU ROI ET DE L'INSTITUT, RUE JACOB, Nº 24.

1828.

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Jules RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OPERA OMNIA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS,
VIA JACOBÆA, N° 24.

M. T. CICERONIS

PARS SECUNDA

SIVE

ORATIONES OMNES

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LE CLERC

RECENSITÆ

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN TERTIUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVIII

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO LEGE MANILIA

ARGUMENTUM.

Cn. Pompeius Cn. F. Sex. N. cognomine Magnus natus an. U. C. 647, C. Atilio Serrano, Q. Servilio Cæpione coss. postquam in exercitu patris Cn. Pompeii Strabonis tirocinia fecerat, anno U. 670, cum tribus legionibus suo ære conductis L. Cornelii Sullæ partes sequutus est, remque adversus ejus hostes in Italia feliciter gessit, a Sulla honorifice exceptus et Imperator salutatus. Anno sequenti in Siciliam cum imperio missus Sullæ adversarios devicit, insulam recepit, Cn. Carbonem consulem, qui ex Africa redierat, captum interfecit. An. 672, jussu Sullæ e Sicilia cum quinque legionibus in Africam trajecit, ibique Cn. Domitium Ahenobarbum Marii propinquum, Cinnæ generum, prælio victum interfecit, victoremque exercitum in Italiam reportavit; et quum ad Urbem accessisset, a Sulla cognomine Magni ornatus est, triumphum quoque, quamvis renitente aliquantulum dictatore, antequam in senatum venisset, eques impetravit. An. U. C. 675, post Sullæ mortem, consul M. Æmilius Lepidus, cui consulatus maxime Pompeii auctoritate obtigerat, quum acta Sullæ rescindere vellet, in quo Catulum collegam nactus est sibi adversantem, coactus est in provinciam Galliam discedere; in quam tamen non pervenit, sed in Etruria mansit, et cum exercitu ad Urbem rediit, a Catulo autem et Pompeio repulsus est. Tum Pompeius M. Junium Brutum qui Lepidi partibus se adjunxerat, Mutinæ obsedit, eumque cum exercitu in deditionem receptum interficiendum curavit. An. 676, Pompeius etsi privatus, tamen suasu L. Philippi pro consule missus est in Hispaniam ad bellum adversus Sertorium, quicum se Perperna conjunxerat, gerendum. Itaque cum exercitu per Alpes in Galliam, deinde in Hispaniam pervenit, ubi aliquoties a Sertorio victus, tandem hoc imperatore scelesta Perpernæ proditione inter scyphos interfecto, bellum composuit Perpernam persequutus, eumque captum interfecit. Ex Hispania quum exercitum in Italiam reduceret, quinque millia fugitivorum, qui e prælio, quo Crassus Spartacum devicerat, aufugerant, interfecit, et hac ratione belli servilis reliquias sustulit. Extremo anno quum ad Urbem accessisset, iterum eques romanus ex SCto

triumphavit. An. U. C. 683 cum M. Licinio Crasso consulatum gessit; anno autem 686, imperator adversus piratas, qui maria et oras maritimas infestas reddebant, constitutus, bellum hoc piraticum hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit. An. U. C. 687, quum etiamnum Pompeius in Cilicia versaretur ad reliquias belli piratici exstinguendas, M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss. Cicerone præturam agente, C. Manilius trib. plebis legem tulit, ut Pompeio Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia Minor cum omni apparatu belli piratici, et copiis, quæ sub Lucullo militaverant, bellumque adversus Mithridatem gerendum committeretur.

Mithridates nimirum (Eupator), Mithridatis Evergetæ F. qui an. U. C. 634 in Ponti regno patri successerat, inita cum Nicomede Bithyniæ rege societate Paphlagoniam invasit, eamque cum socio divisit; nec legationibus ac minis Romanorum absterritus, Galatiam occupavit. Deinde Nicomedem Bithyniæ, et Ariobarzanem Cappadociæ regem, regnis suis non sine Mithridatis consilio exactos, senatus populi romani quum restitui jussisset, missi sunt ejus rei causa legati in Asiam, quorum princeps erat M'. Aquillius. Is una cum L. Cassio qui Asiam Pergamenam obtinebat, reges illos in regna reduxit; uterque autem iis persuasit, ut incursionibus in Mithridatis regnum belli materiam quærerent. Nicomedes ei consilio paruit, et magna cum præda domum rediit. Mithridates ad Romanorum duces Pelopidam legatum misit, qui de ea re quereretur. Eorum responso, quum iis nec Mithridatem a Nicomede oppugnari, nec bellum ab illo Nicomedi inferri placeret, Ponti rex minime lætatus, iterum Cappadociæ regnum, pulso Ariobarzane, occupavit. Quo facto L. Cassius, M'. Aquillius, Q. Oppius exercitu celeriter contracto, adjunctis etiam Nicomedis copiis, bellum adversus Mithridatem susceperunt. Ac Nicomedes quidem apud Amniam fluvium cum Mithridatis ducibus conflixit, prælioque superatus, post magnam suorum stragem fugit in Paphlagoniam; M'. Aquillius castris amissis, primum in Pergamum, deinde in Rhodum evasit; Cassius Apameam, Oppius Laodiceam petiit. Mithridates Phrygiam, Mysiam, Asiam, Lyciam, Pamphyliam subegit, ipsumque M'. Aquillium captum vinctumque, atque omni supplicio ex-

cruciatum necavit. Idem quum Ephesum venisset, uno nuntio atque una literarum significatione cives romanos in Asia negotiantes necandos trucidandosque denotavit. Ita secundum Valerium Max. octoginta millia, secundum Plutarchum in Sulla, centum quinquaginta millia civium perierunt. Tum L. Cornelio Sullæ demandatum est bellum adversus Mithridatem gerendum. Qui postquam in Urbe C. Marii et P. Sulpicii factionem sibi adversantem oppresserat, profectus est in Græciam, in quam Archelaus a Mithridate cum classe et exercitu missus, Athenienses aliosque Græciæ populos ut regis partibus faverent, compulerat, Athenis autem Aristionem tyrannum constituerat. Sulla an. U.C. 667, Athenas diuturna obsidione et fame domitas in suam potestatem redegit, Aristionem supplicio affecit, Archelaum anno sequenti apud Chæroneam ingenti prælio vicit, iterumque apud Orchomenum cum superavit, totum pæne exercitum delevit, castraque ejus expugnavit. Itaque tandem Mithridates pacem duris conditionibus sibi a victore impositis facere coactus est. Bellum tamen L. Licinius Murena, sed parum felici successu, renovavit, non ita multo post a Sulla revocatus. Idem deinde æque ac Sulla de Mithridate triumphavit. Postea quum testamento regis Nicomedis Bithynia in ditionem Romanorum venisset, Mithridates tertium adversus eos bellum suscepit an. U.C. 678, fœdusque cum Sertorio, tum cum iis in Hispania bellum gerente iniit. L. Licinius Lucullus initio cum consule collega M. Aurelio Cotta, postea solus bellum cum Mithriditate feliciter gessit, regno eum expulit, socerumque ejus Tigranem Armeniæ regem aliquot præliis vicit. Nihilo secius Mithridates, novis copiis contractis, Pontum recuperavit, L. Flaccum, quem Lucullus in Pontum reliquerat, fugavit, C. Triarium Luculli legatum prælio vicit. Itaque an. U. C. 686 imperium proconsulare Lucullo quod per septem annos gesserat, abrogatum est; missusque est, qui ei succederet, M'. Acilius Glabrio, qui eo anno cum C. Calpurnio Pisone consulatum gerebat. Qui quum huic imperio parum aptus videretur, an. U. C. 687, ut supra dictum est, Manilius tribunus plebis legem tulit, ut Pompeio imperium prorogaretur, belliqne Mithridatici administratio committeretur.

Illam igitur legem suasurus Cicero hanc orationem ad populum habuit.

In exordio causas exponit, quæ eum quominus adhuc cum populo pro Rostris ageret, prohibuerint, cap. 1.

Deinde orationis argumentum ita partitur, ut primum de *genere* belli, deinde de *magnitudine*, postremo de *imperatore* deligendo sibi dicendum esse demonstret.

Ac *genus* quidem belli ejusmodi esse dicit, ut in eo gloria populi romani ac dignitas imperii, 3-5; deinde salus sociorum; vectigalia populi romani certissima, 6; denique bona publicanorum, negotiatorum et aliorum civium romanorum in Asia viventium agantur, 7.

In *magnitudine* belli declaranda, primum quidem agnoscit multas Lucullo laudes fortis viri, sapientis hominis et magni imperatoris deberi, tamen superesse bellum, ut genere necessarium, sic magnitudine periculosum; quippe quod conjungant reges potentissimi Mithridates ac Tigranes, renovent agitatæ nationes, suscipiant integræ gentes, nondum bello lacessitæ, novus imperator romanus accipiat, vetere pulso exercitu, 8, 9.

Jam accedit orator ad quæstionem de imperatore, ad hoc bellum deligendo. Quatuor res quum in imperatore requirantur: scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas; eas omnes in Pompeio esse ostendit.

1. *Scientiam rei militaris;* ab ineunte enim ætate Pompeium non alienis præceptis, sed suis imperiis ad eam scientiam eruditum esse, et variis ac diversis generibus bellorum ab eo gestis nullam rem esse declarari in usu militari positam, quæ hujus viri scientiam fugere possit, 10.

2. *Virtuti* autem Pompeii parem non posse orationem inveniri; non enim solum egregium in eo esse laborem in negotio, fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, consilium in providendo, 11, 12; sed etiam summam innocentiam, temperantiam, fidem, felicitatem, ingenium, i. e. dicendi gravitatem et copiam, humanitatem, 13, 14.

3. Summam ejus *auctoritatem* esse multis rebus gestis magnisque populi romani judiciis amplificatam, quæ apud reges et exteras nationes præcipue sit valitura, 15.

4. Denique *felicitatem* ejus tantam adhuc fuisse, rebus domi militiæque, terra marique gestis, ut ejus semper voluntatibus

cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint, 16.

Denique ad ceteras utilitates a Pompeio exspectandas hanc quoque opportunitatem accedere, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit, 17.

Jam sequitur refutatio eorum, qui legi Maniliæ adversabantur.

1. *Q. Hortensii,* qui negabat ad unum omnia esse referenda; ubi Cicero docet hoc argumentum esse obsoletum, et jam tum improbatum, quum Hortensius contra A. Gabinium dixisset, qui de uno imperatore contra prædones constituendo legem promulgaverat. Iniquius etiam fuisse Pompeio et A. Gabinio obtrectatum, ne legaretur Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac postulanti. Itaque sua quidem sententia unum Gabinium, belli maritimi rerumque gestarum auctorem, comitem Cn. Pompeio adscribendum esse, 18, 19.

2. *Q. Catuli,* qui quæsierat, si populus romanus in uno Cn. Pompeio omnia poneret, si quid eo factum esset, in quo spem esset habiturus, negaratque novi aliquid fieri debere contra exempla atque instituta majorum. Cicero contra docet, multa jam in Pompeio nova et inusitata cum summo populi romani bono facta esse, 20, 21. Iniquum igitur esse, ejus de Pompeio judicium et auctoritatem nunc improbari, 22. Præsertim quum eum propter animi continentiam socii expetant. Denique hæc causa auctoritatibus clarissimorum virorum P. Servilii, C. Curionis, Cn. Lentuli, C. Cassii confirmatur, 23.

In extrema oratione Cicero C. Manilium hortatur, ut in sententia maneat, neve cujusquam vim aut minas pertimescat; et quidquid ipse auctoritate, fide, constantia possit, id omne ad hanc rem conficiendam tribuno et populo romano pollicetur; denique, se quidquid in hac causa egerit, unius reipublicæ, non suorum commodorum causa suscepisse confirmat, 24.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
PRO LEGE MANILIA.

ORATIO TERTIADECIMA.

I. QUAMQUAM mihi semper frequens conspectus vester [1], multo jucundissimus; hic autem locus [2], ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. Nam, quum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci attingere [3] auderem;

I. 1. *Frequens conspectus vester.* Omnis lex nova trinundino per præconem promulgabatur in foro, et tertia die comitia habebantur, ut populus suffragia ferret, id est, legem propositam aut juberet, aut antiquaret. Illam autem suadere aut dissuadere moris fuit, ut scribit Quintil. lib. II, et solis magistratibus cum populo agendi jus erat. L. ergo Manilius trib. pleb. comitia in foro habuit convocatis tribubus, legemque tulit, quam Cicero prætor frequenti populo hac oratione suadet.

2. *Hic autem locus.* Templum in foro rostris navium Antiatium exornatum. Gellius Noct. Att. XIII, 15, docet aliud esse cum populo agere, aliud concionem habere; nam cum populo agere, inquit, est aliquid populum rogare, quod suffragiis suis aut jubeat, aut vetet; concionem autem habere, est verba facere ad populum sine ulla rogatione, scilicet laudes alicujus celebrare; sed privato nemini licebat e rostris loqui, nisi permitteret magistratus.

3. MSS Palatin. *contingere*, quod multi probant. J. V. L.

statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, afferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus [4] transmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus umquam fuit [5] ab iis, qui vestram causam defenderent; et meus labor, in privatorum periculis caste [6] integreque versatus, ex vestro judicio fructum est amplissimum consequutus. Nam quum, propter dilationem [7] comitiorum, ter prætor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me judicaretis, et quid aliis præscriberetis. Nunc quum et auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis [8] esse voluistis; et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi usu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: certe et [9], si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt; et, si quid etiam dicendo consequi possum,

4. *Amicorum temporibus.* Verbum hoc negotia, pericula, necessitates, ut vulgus loquitur, significat, ut lib. II de Officiis, cap. 1: « Tantum erat philosophiæ loci, quantum superfuerat amicorum et reipublicæ *temporibus* », id est, negotiis, necessitatibus.

5. Aberat *fuit*. E MS Erfurt. recepit Græv. J. V. L.

6. *Caste.* Nulla lege violata. — *Integre*, recto animi sensu. — *Ter prætor.* Bis in comitiis, quæ interrupta fuere, jam manifestum populus dederat votum, tertio quum in comitiis nominatus et proclamatus est. Octo erant prætores; primus dicebatur quem plures quam ceteros, centuriæ tulissent. Majores enim magistratus, ut puta, censores, consules, prætores iis comitiis fiebant, quæ *centuriata* dicebantur; quod in iis populus non tributim, id est, per 35 tribus descriptus, neque ex generibus hominum, sed centuriatim, id est, per centenas turmas ex censu, ordinibus et ætate divisas, suffragia ferret.

7. *Dilationem comitiorum.* Differebantur plerumque propter obnuntiationes. Nam si, dum comitia habebantur, augur aliquid de cælo observasset, magistratus obnuntiare poterat, et comitia in alium diem differre. Differebantur præterea per tribunorum intercessionem. Has autem obnuntiationes dilationesque comitiorum, candidatorum scilicet gratia faciebant, quum aliqui sibi paratam repulsam videbant; sæpiusque exempla occurrunt.

8. Omnes Palat. et edd. pr. *mandandum*. J. V. L.

9. Male particulam hanc deleri jusserat P. Manutius. J. V. L.

iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei [10] fructum suo judicio tribuendum esse censuerunt. Atque illud in primis mihi lætandum jure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini potest. Dicendum est enim de Cn. Pompeii singulari eximiaque virtute: hujus autem orationis difficilius [11] est exitum, quam principium invenire. Ita mihi non tam copia, quam modus in dicendo quærendus est.

II. Atque, ut inde oratio mea proficiscatur, unde hæc omnis causa ducitur; bellum grave et periculosum vestris vectigalibus atque sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate et Tigrane [1]; quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur. Equitibus romanis [2], honestissimis viris, afferuntur ex Asia quotidie literæ, quorum magnæ res aguntur, in vestris vectigalibus exercendis occupatæ [3]; qui ad me, pro necessitudine, quæ mihi est cum illo ordine [4], causam reipublicæ periculaque rerum suarum detulerunt: Bi-

10. *Ei quoque rei.* Dicendi facultati.

11. *Difficilius est exitum.* Græcos hujus sententiæ fontes indicavit Victorius, Var. Lect. XX, 16, et Muretus, XIX, 20.

II. 1. *Mithridate et Tigrane.* Mithridates erat rex Ponti; Tullius in Lucullo illum appellat *maximum regem* post Alexandrum. Tigranes Armeniæ rex, Mithridatis erat socer, ut Appianus; gener, ut Plutarchus scribit.

2. *Equitibus romanis.* Equitum romanorum societates, quinto quoque anno, mense martio, actione in foro constituta, a consulibus vectigalia populi romani conducebant; inde quod publica conducerent, *publicani* nominati sunt. Vide Verr. III, pass.

3. *Magnæ res..... occupatæ.* Magnæ opes, pecuniæ, facultates collocatæ; nempe publicani bona sua pignora dabant pro *vectigalibus* exercendis. *Vectigalia exercere* est decumas ab aratoribus exigere, scripturam a pecuariis, portorium a mercatoribus; hæc enim sunt populi romani vectigalia.

4. *Cum illo ordine.* Nam ex equestri ordine publicano patre ortus, eum ordinem semper complexus est, ut testatur in oratione pro Rabirio Postumo. Plinius, XXXIII: « M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, ei senatum concilians, ex eo se ordine profectum esse celebrans, et ejus vires peculiari popularitate quærens ».

thyniæ[5], quæ nunc[6] vestra provincia est, vicos exustos esse complures; regnum Ariobarzanis[7], quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate; Lucullum, magnis rebus gestis, ab eo bello discedere; huic qui successerit[8], non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum; unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti; eumdem hunc unum ab hostibus metui, præterea neminem.

Causa quæ sit, videtis: nunc, quid agendum sit, considerate. Primum mihi videtur de genere belli; deinde de magnitudine; tum de imperatore deligendo esse dicendum.

Genus est[9] belli ejusmodi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare ad studium persequendi[10] debeat[11]; agitur enim populi romani gloria, quæ vobis a majoribus, quum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est; agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa majores vestri magna et gravia bella gesserunt; aguntur

5. *Bithyniæ.* Nicomedes cognomento Philopator, Nicomedis filius, qui, patre Prusia necato, Bithyniæ regnum occuparat, regno a Mithridate pulsus, a Sulla restitutus est. Hac de causa, paucis post annis, hoc est, Octavio et Cotta coss. moriens populum romanum regni sui heredem fecit, regnumque ejus in provinciam romanam redactum est. Conf. Eutrop. Appian. Flor.

6. Alii, *nostra.* Sed libris scriptis paruimus. J. V. L.

7. *Regnum Ariobarzanis.* Cappadociam, ex qua ipsum, bis antea pulsum et bis a Romanis restitutum, Mithridates, Lucullo a senatu revocato, tertio dejecit, et tamdiu eo regno potitus est, dum Pompeius, ipso et Tigrane devictis, Ariobarzanem tertio loco restituit.

8. *Successerit.* Sic habent duo MSS Lallem. Sic Coloniens. Erfurt. Anonymus, etc. Olim, *succurrerit.* Manius Acilius Glabrio, quo prætore accusatus est Verres, consul fuerat cum Pisone an. U. C. 686, sed socors et negligens. Brutus, cap. 68.

9. *Genus est.* Alii habent, *enim ejusmodi.* Quod vulgo olim ferebatur. Correxerunt Græv. et Ern. e MSS.

10. *Ad studium persequendi.* Deerant hæc tria verba; Græv. et Ern. e codd. Colon. et Erf. suppleverunt.

11. *Debent.* Alii, «debet : in quo agitur p. r. g.» J. V. L.

certissima populi romani vectigalia et maxima, quibus amissis, et pacis ornamenta, et subsidia belli requiretis; aguntur bona multorum civium, quibus est a vobis, et ipsorum, et reipublicæ causa consulendum.

III. Et quoniam semper appetentes gloriæ præter ceteras gentes, atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est illa macula, Mithridatico bello[1] superiore suscepta; quæ penitus jam insedit atque inveteravit in populi romani nomine: quod is, qui uno die, tota Asia[2], tot in civitatibus, uno nuntio, atque una literarum significatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat; et ita regnat[3], ut se non Ponto[4], neque Cappadociæ[5] latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiæ luce versari. Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt

III. 1. *Bello superiore*. Quod instauratum est Q. Pompeio, L. Sulla coss. Nam initio ejus belli Mithridates Q. Oppium *proconsulem*, ut Florus appellat, *proprætorem*, ut Appianus, cepit, et in vincula conjecit. M'. autem Aquillium captivum quoque asino insidentem Pergamum usque deduci jussit, præeunte præcone et proclamante adesse M'. Aquillium, eique, ut Pergamum venit, aurum liquefactum in os infundi jussit; præfectis deinde Asiæ universis mandavit, ut, intra diem trigesimum, Romanos et Italos omnes ad unum, viros, mulieres, pueros trucidarent, et corpora eorum feris objicerent. Occisa civium romanorum centum quinquaginta millia Plutarchus in vita Sullæ scribit, Valer. Maxim. octoginta millia.

2. *Tota Asia*. Romani sese in totum orbem cognitum insinuabant sub umbra mercaturam faciendi, sed reipsa ut occasionem explorarent omnia miscendi, bella inter populos serendi, alios aliis opponentes, et sanguine alieno parta victoria, victores et victos una clade mixtos spoliabant penitusque nudabant.

3. *Regnat, et ita regnat*. Figura exornandæ simul et amplificandæ orationis, ut infra de Lucullo *dicam*... *et ita dicam, ut*, etc.

4. *Se non Ponto*. Erfurt. *Ponti*.

5. *Cappadociæ latebris*. Quia gentium universarum, quæ Pontum accolunt, Cappadocia maxime introrsus recedit. Weisk. conjiciebat *tenebris*, quo sit oppositio venustior. Sic Orat. II in Rullum Tullius: « In Paphlagoniæ tenebris atque in Cappadociæ solitudine ».

imperatores[6], ut ab illo insignia victoriæ[7], non victoriam reportarent. Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri[8], et summi imperatores; sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt; venia danda, quod reliquerunt: propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam respublica[9], Murenam Sulla revocavit.

IV. Mithridates autem omne reliquum tempus, non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit: qui posteaquam maximas ædificasset ornassetque classes, exercitusque permagnos, quibuscumque ex gentibus potuisset, comparasset, et se Bosporanis, finitimis suis, bellum inferre simulasset; usque in Hispaniam legatos[1] Ecbatanis misit ad eos duces[2], quibuscum tum bellum gerebamus, ut, quum duobus in locis disjunctissimis maximeque diversis, uno consilio[3], a binis hostium copiis bellum

6. *Vestri . . . . . imperatores*. Duo, Sulla ejusque legatus Murena.

7. *Insignia victoriæ*. Signa, et indicia victoriæ, ut ad Appium, «insignia virtutis multi etiam sine virtute consequuti sunt».

8. *Fortissimi viri*. Vox *viri* non est in ullo Palatinorum, aut Gruter. Est in Erfurt. et in utraque Ven. Verum deest in cod. Barb.

9. *Sullam in Italiam respublica*. Oppressa a Mario, et Cinna, et Carbone, qui nobilitatem, quæ in Urbe manserat, fere totam trucidarunt. Sulla reipublicæ hostis a Marianis judicatus, et a magnatibus in Italiam revocatus, pacem fecit cum Mithridate, et Murenam legatum suum cum duabus dumtaxat legionibus in Asia reliquit; sed illum brevi revocavit. Mithridates maximam percepit utilitatem ex bellis civilibus, quibus romanis exercitibus liberaretur.

IV. 1. *Legatos*. L. Magius et L. Fannius, qui, relicto Marii exercitu, ad Mithridatem confugerant.

2. *Ad eos duces*. Sertorius, a Sulla proscriptus, in Hispaniam transiit, et ibi bellum atrox et diuturnum Romanis intulit.

3. *Uno consilio*. Sertorii enim copias cum suis conjuncturum se putabat, ut scribit hic ipse in Mureniana: «Qui rex, aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes et copias belli, tantum ipse opibus conatuque invaluit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis conjuncturum putaret».

terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti, de imperio dimicaretis. Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianæ atque Hispaniensis [4], quæ multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeii divino consilio ac singulari virtute depulsum est; in altera parte ita res a L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa gestarum rerum magna atque præclara, non felicitati ejus, sed virtuti; hæc autem extrema [5], quæ nuper acciderunt, non culpæ, sed fortunæ tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa afficta [6] esse videatur. De vestri imperii dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meæ, videte quem vobis animum suscipiendum putetis.

V. Majores vestri [1] sæpe, mercatoribus ac naviculariis [2] injuriosius tractatis, bella gesserunt: vos tot civium romanorum millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius [3], Corinthum

4. *Sertorianæ atque Hispaniensis.* Sertorius plurimas Ulterioris Hispaniæ civitates in potestatem suam redegerat.

5. *Hæc autem extrema.* Clades accepta primum a Fabio, deinde a L. Triario, Mithridatis reditus in Pontum et magnam sui regni partem, multarum nationum contracta belli societas cum Tigrane et Mithridate adversus populum romanum.

6. *Falsa afficta.* Erfurt. et Pith. excerpta, *neque falsa ac ficta.* Sic etiam ed. 1683.

V. 1. *Majores vestri.* Editio vetus *nostri*, acceduntque aliqui Pall. ac Gulielmani, ut et Francii uterque, binæ Venetæ, cod. Barb. et Anonym. —*Majores vestri.* Cohortatio per comparationem; ut ex eodem fonte sumitur accusatio, quo de genere diximus in eo loco, lib. V in Verr. « Vide quid intersit inter tuam libidinem, majorumque auctoritatem, inter amorem furoremque tuum et illorum consilium atque prudentiam ».

2. Sic Fabr. cod. Fere omnes alii, teste Gruter. *naviculatoribus.* J.V.L.

3. *Appellati superbius.* Offensionem imminuit Cicero, quo magis populus romanus in Mithridatem incendatur, qui legatum consularem vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necaverat. Legatus ille erat M'. Aquillius, qui servos in Sicilia devicerat; consul autem cum C. Mario

patres vestri, totius Græciæ lumen, exstinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi romani consularem, vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persequuti sunt: vos[4] legatum, omni supplicio interfectum, relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere; sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri et conservare non posse. Quid, quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur? Regno expulsus est[5] Ariobarzanes, rex, socius populi romani atque amicus; imminent duo reges toti Asiæ, non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis atque amicis; civitates autem

fuerat. Epit. Liviana 77 et 78. Hæc est Græcorum caosa offeosioois: populus romauus Græcis subactis permiserat suis legibus nti. Mos arat aotem apud omnes Græciæ civitates Corinthi habere conventum; populus romanus, veritus ne communi consilio novitatis consilium caperetur, misit legatos, imperaos ot singulæ civitates apud se eoocionandi haberent consuetudinem, nec liceret coadunari in unum totius Græciæ multitudioem. Exarsit iracundia Græcorum turba, adeo ut legati de concione lapidibus pulsi apod hospites laterent, et nocte fugerent Romam. Iratus populus romanus Coriuthum delevit.

4. *Legatum populi romani, omni supplicio interfectum, inultum relinq.* Pro hac veteri lectione, Græv. meliorem e MSS dedit. J. V. L.

5. *Expulsus est Ariobarzanes.* Pater ejus, quem Pompeius postea restituit, atqoe hunc per insidias necatum Cicero videtur indicare, quum ait in epistola ad Catonem: « Amicosqoe in patris ejus fide, atque judicio probatos bortatus sum, regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris ejus, omni cura custodiaque defenderent ». Dionysius Halicarn. Livius, Appianus et Tacitus testantur: « Regibus appellatis senatum dono mittere solitum auream coronam, auream pateram, sellam curulem eburneam, et scipionem eburneum, togam pietam, et palmatam tunicam ». Valerius Maximus, lib. V, e. 7: « Consoetodinem imperatorum, qui regem aliquem appellabant, fuisse docet, ut eum in suo tribunali, ac sella curuli collocarent ». In argenteo Ariobarzanis numismate inscriptum est, ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ: quæ quidem inscriptio Ciceronis locum mirifice illustrat.

omnes, cuncta Asia atque Græcia vestrum auxilium exspectare, propter periculi magnitudinem, coguntur; imperatorem a vobis certum deposcere, quum præsertim vos alium miseritis, neque audent, neque id se facere summo sine periculo[6] posse arbitrantur. Vident et sentiunt hoc idem, quod vos, unum virum[7] esse, in quo summa sint omnia, et eum prope esse[8], quo etiam carent ægrius, cujus adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt ac retardatos. Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut se quoque, sicut ceterarum provinciarum socios[9], dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis: atque hoc etiam magis, quam ceteros[10], quod ejusmodi in provinciam homines[11] cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc præsentem vident, tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur[12].

6. *Sine periculo posse arbitrantur.* Ne Glabrionem offendant, qui cum summo imperio provinciam administrabat.

7. *Unum virum.* Cn. Pompeium.

8. *Et eum prope esse.* In bello maritimo adversus prædones et piratas, quos mari Mediterraneo persequebatur, milites et legiones in Asiam in hiberna adduxerat. Liber unus MS habet, *et eum propter esse*, quod probant Lamb. Erfurt. Græv. et Hittorp.

9. *Sicut cet. prov. socios*, quibus opem jussu vestro Pompeius tulit.

10. *Quam ceteros.* Duo hæc verba spuria multis. Orant ut hoc etiam magis, quam ceteros socios dignos existimetis, quorum salutem Pompeio commendetis.

11. *Ejusmodi in provinciam homines.* Prætorem illum designat, quisquis is fuerit, qui Asiæ provinciam administrabat; et non obscure rapacem et improbum magistratum fuisse significat.

12. Correxit Ernest. ex uno cod. *commoretur*, quod etiam adnotavit Olivetus. Verum non est necesse.

VI. Quare, si propter socios [1], nulla ipsi injuria lacessiti, majores vestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella gesserunt: quanto vos studio convenit, injuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere; præsertim quum de vestris maximis vectigalibus agatur? Nam ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt [2], ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus; Asia vero tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque hæc vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem et pacis dignitatem sustinere vultis [3], non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defendenda. Nam ceteris in rebus, quum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam quum hostium copiæ non longe absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit [4]. Ita neque ex portu, ne-

VI. 1. *Propter socios.* Cum Antiocho rege Syriæ, qui, cum Ætolis societate facta, Græciæ civitates fœderatas vexabat, et Lysimachiam urbem in litore Thracio positam repetebat; cum Philippo Macedoniæ rege, quod Athenas sociorum urbem obsideret; cum Pœnis 1° quod, societate cum Hierone Syracusarum tyranno facta, Messanam fœderatam urbem oppugnabant; 2° propter Saguntum. Temporum autem ratio postulare videbatur, prius ut Philippus quam Aotiochus nominaretur; ut Orat. II in Rullum: « Multa postea bella gesta cum regibus Philippo, Aotiocho, Perse ».

2. *Tanta sunt*, pro « tam parva, tam exigua sunt ».

3. Cod. Werdensis, *si ad belli ut. et p. d. retinere vultis.* Sic Lall. Sensus est: Si vultis hanc provinciam, ex qua tempore belli tanta percipitis commoda, et quæ vobis tempore pacis est ornamento, etc.

4. *Pecora . . . agricultura . . . navigatio.* Genera vectigalium tria complexus est: *scripturam*, quæ ex pascuis; *decumas*, quæ ex frumento,

que ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest : quare sæpe totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur.

Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia nobis pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, quum duo reges cum maximis copiis prope adsint? quum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? quum publicani familias maximas, quas in salinis[5] habent, quas in agris, quas in portubus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi[6] sunt, conservaveritis, non solum, ut antea dixi, calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

VII. Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, quum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium romanorum pertinet : quorum vobis, pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam et publicani, homines et honestissimi et ornatissimi, suas rationes et copias[1] in illam provinciam

vino, oleo, et frugibus minutis; *portorium*, quod ex navigatione, id est, ex mercium exportatione recipitur. Hæc omnia censores publicanis vendere constituta auctione solebant; qui quanti mancipes redemerant, tantum quæstoribus urbis ad ærarium populi romani repræsentabant, id est, ante perceptos fructus persolvebant; nam postea qui in operis erant *decumani*, *pecuarii*, *portitores*, ex legibus censoriis, a provincialibus exigebant, suisque commodis et rationibus in ea conductione consulebant.

5. *In salinis*. Hottomannus vectigal ex salinis in Asia, aut alia ulla provincia fuisse non meminit legisse, et putat legendum esse *salictis*, aut *saltibus*; salictorum enim nomine pascua, quæ plerumque salicibus consita sunt, non difficile intelligi. Pomponius ex multis saltibus pactione fructus percipi testatur. Turneb. Lambin. Manutius, etc. respuunt vocem *salinis*. Ego vero non video cur non vectigal de salinis perceptum fuerit, et ad portorium pertinuerit.

6. *Fructuosi*. Plurimi legunt *fructui*.

VII. 1. *Suas rationes et copias*. Rationes pro facultatibus et rebus omnibus ad quæstum pertinentibus; unde *consulere*, *prospicere*, *providere suis*

contulerunt; quorum ipsorum per se res et fortunæ curæ vobis esse debent. Etenim si vectigalia, nervos esse reipublicæ, semper duximus; eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum[2] recte esse dicemus. Deinde ceteris ex ordinibus[3] homines gnavi et industrii partim ipsi[4] in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis; partim suas et suorum[5] in ea provincia pecunias magnas collocatas[6] habent. Erit igitur humanitatis vestræ, magnum eorum civium numerum calamitate prohibere; sapientiæ, videre, multorum civium calamitatem a republica sejunctam esse non posse. Etenim illud primum parvi refert, vos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare: neque enim iisdem redimendi facultas erit, propter calamitatem[7], neque aliis voluntas, propter timorem. Deinde, quod nos eadem Asia, atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit[8]; id quidem certe calamitate docti memoria retinere debemus: nam tum, quum in Asia res magnas permulti amiserant, scimus, Romæ, solutione impedita, fidem concidisse. Non enim possunt

rationibus idem est ac *suis commodis*. — *Copias*, scilicet suas opes, divitias, fortunas.

2. *Firmamentum . . . ordinum.* Similiter in oratione pro Plancio: « Flos equitum romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ, publicanorum ordine continetur ».

3. *Ceteris ex ordinibus.* Exceptis senatoribus, quibus negotiari non licebat.

4. Aberat *ipsi*. Dant codd. Werd. et Hittorp. Guliel. probante. J. V. L.

5. *Suos et suorum.* Innumeros tum in Asia publicanos ac fœneratores fuisse, totamque provinciam omnibus incommodis vexavisse, Plutarchus auctor est in vita Luculli.

6. *Collocatas habent.* Latifundia emerant fisco addicta, et pecuniam ibi fœnori posuerant, ut Brutus apud Cyprios, de quo Cicero in epistola ad Atticum.

7. *Propter calamitatem.* Quum de fortunis omnibus deturbati, ex equitum ordine delebuntur.

8. *Mithridates docuit.* 23 abhinc annis, Mithridates Asiam cepit, publicanos oppressit, et omnium bona diripuit; hinc fides Romæ cecidit, id est, *creditum*; quod semper evenit post cladem magnam.

una in civitate multi rem atque fortunas amittere, ut non plures secum in eamdem calamitatem trahant. A quo periculo prohibete rempublicam, et mihi credite, id quod ipsi videtis : hæc fides, atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro[9] versatur, implicita est[10] cum illis pecuniis Asiaticis et cohæret; ruere illa non possunt, ut hæc non eodem labefactata motu concidant. Quare videte[11], num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum civium cum republica defendantur[12].

VIII. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici : belli genus esse ita necessarium, ut sit gerendum; non esse ita magnum, ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est, ne forte[1] a vobis, quæ diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur.

Atque, ut omnes intelligant, me L. Lucullo tan-

9. *In foro.* Apud argentarios; nam qui argentariam faciebant, suas circa forum tabernas habebant, unde circumforaneum æs Cicero appellat, lib. II ad Atticum, epistola 1. Livius, lib. VI tertiæ decadis : « Hannibal, inquit, vocato præcone, tabernas argentarias, quæ circa forum romanum tunc essent, jussit venire ».

10. *Implicita est.* Societate negotiatorum.

11. *Quare videte.* Manutius ait cohortationem quamdam liberiorem esse ex auctoritate dicentis, præsertim ad populum; nam in senatu, *videte*, sine arrogantiæ culpa neminem dicere. Si quidem ille modus loquendi licentia habeatur, sæpius usus est Tullius supra : « Sed pro vestri imperii dignitate atque gloria, videte quem vobis animum suscipiendum putetis ». Illa vero etiam aliquanto major : « Videte ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, illud quod accepistis, tueri et conservare non posse ».

12. Vulg. *defenduntur.* Tres codd. *cum rep. conjunctæ defendantur.* Apposite, inquit Gruterus, ad ea, quæ antecesserunt. J. V. L.

VIII. 1. Schütz. e Palat. sec. *fortean*, vox ignota Ciceroni, quamvis locum nunc afferre possis de Rep. III, 27. J. V. L. — Ad hunc locum putabat

tum impertire laudis, quantum forti viro, et sapientissimo homini, et magno[2] imperatori debeatur: dico, ejus adventu maximas Mithridatis copias[3] omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse; urbemque Asiæ clarissimam[4], nobisque amicissimam, Cyzicenorum, obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine, et oppugnatam vehementissime, quam L. Lucullus virtute, assiduitate, consilio summis obsidionis periculis liberavit; ab eodem imperatore classem magnam et ornatam, quæ ducibus Sertorianis[5] ad Italiam studio inflammato raperetur, supera-

Hottomannus concinniorem sententiam videri sine præpositione *a*.

2. *Forti... sapientissimo et magno.* Cod. Coloniensis, Erfurt. cum Modio habent: « quantum forti viro, sapienti homini et magno imperatori »; id quidem melius.

3. *Maximas Mithridatis copias.* Appianus ad trecenta hominum millia fuisse scribit; Plutarchus peditum centum et viginti millia, equitum decem et sex millia.

4. *Urbemque Asiæ clarissimam.* Florus in epitom. lib. XCV: « L. Lucullus, inquit, proconsul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit, pulsumque e Bithynia regem, variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coegit in Pontum profugere ». De eadem obsidione Appianus pluribus verbis in Mithridatico, et Plutarchus in Lucullo. Cicero autem in Muren. res ad Cyzicum gestas magnifice amplificat his verbis: « L. Luculli vero res tantæ exstiterunt, ut neque majus bellum commemorari possit; neque majore consilio et virtute gestum; nam quum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia constitisset, eamque urbem sibi Mithridates Asiæ januam fore putavisset, qua effracta et revulsa, tota pateret provincia; perfecta ab Lucullo hæc sunt omnia, ut urbs fidelissimorum sociorum defenderetur, ut omnes copiæ regis diuturnitate obsidionis consumerentur ». Mentionem quoque facit in oratione pro Archia poeta.

5. *Ducibus Sertorianis.* A Sertorio ad Mithridatem missis. Amplificat Cicero plures significans, quum Plutarchus et Appianus unum dumtaxat in ea pugna Sertorii ducem fuisse memorant. « Nostra, inquit in oratione pro Archia, semper feretur et prædicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis; nostra sunt tropæa, nostra monumenta, nostri triumphi ». Sed apud Plutarchum et Appianum non ad *Tenedum*, sed ad *Lemnum*, quæ non magno intervallo disjuncta est, prælium cum Sertorii duce commissum dicitur; neque classem illam in Italiam profectam scribunt, sed a Mithridate adversus Lucullum missam, qui magnam partem exercitus regii Lampsacum, obsidione soluta, profugientis persequebatur; nam ei classi

tam esse atque depressam; magnas hostium præterea copias multis prœliis esse deletas, patefactumque nostris legionibus[6] esse Pontum, qui ante populo romano ex omni aditu clausus esset; Sinopen atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornata atque referta, ceterasque urbes Ponti et Cappadociæ permultas, uno aditu atque adventu esse captas; regem spoliatum regno patrio atque avito, ad alios se reges[7] atque alias gentes supplicem contulisse; atque hæc omnia, salvis populi romani sociis, atque integris vectigalibus, esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis; atque ita, Quirites, ut hoc vos intelligatis, a nullo istorum[8], qui huic obtrectant legi atque causæ, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.

IX. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, quum hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite, Quirites: non enim hoc sine causa quæri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa

M. Varum, Sertorii legatum, Mithridates, ut Appianus scribit, præfecerat, eique Alexandrum quemdam Paphlagonium, et Dionysium eunuchum adjunxerat. Plutarchus autem Marium nominat, Sertorii legatum, ἑτερόφθαλμον, quem in eo bello captum fuisse testatur. Primum prælium commissum fuit inter Tenedum et Achæorum stationem, in quo captæ sunt tredecim naves bellicæ, interfecto earum duce Isidoro, qui eas classi regis, quæ Lemni erat, volebat adjungere. Postea et ipsa regia classis, 50 navibus numero, ad Lemnum fuit victa, duces ejus capti, inter quos fuit L. Varius (Plutarch. *Varus*). Sane hanc classem voluisse Italiam petere cognitum est, ut non solum hic Cicero, sed et in oratione pro Murena docet.

6. *Patefactumque nostris legionibus*. Fugato rege et in Armeniam profecto, Lucullus, maritimo itinere in Pontum profectus, omnes fere urbes occupavit, in his Amastrim et Heracleam, Sinopen et Amisum, et inde tantas coacervavit pecunias, ut postea Romanorum ipsorum admirationem invidiamque fastu regio privatus commoverit.

7. *Ad alios reges*. Ad generum Tigranem, Armeniæ regem.

8. *Istorum*. Catulum et Hortensium præcipue significat, qui Lucullo favebant et eum ex Rostris laudaverant, legem dissuadentes Maniliam.

quondam profugisse dicitur; quam prædicant in fuga, fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio[1] dispersa, mœrorque patrius, celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens, maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a majoribus acceperat, et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit[2]. Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. Ita illum[3] in persequendi studio mœror, hos lætitia retardavit. Hunc in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit, diffidentemque rebus suis confirmavit, et afflictum erexit, perditumque recreavit[4]: cujus in regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatæ sunt[5]. Erat enim metus injectus iis nationibus[6], quas numquam populus ro-

IX. 1. Gœrenz. ad Cic. de Finib. III, 4, emendavit *dispersorum*. Frustra. J. V. L.

2. *In Ponto omnem reliquit.* Plutarchus et Appianus retardatos Luculli milites scribunt, astutia et calliditate Mithridatis, qui, quum propius nihil esse videret quam ut in fuga caperetur, mulum illis auro onustum opposuit, pecuniasque omnes effudit, quibus colligendis ac diripiendis dum milites intenti essent, ab illorum manibus effugit. Sed fabulam nimium redolet, et Ciceroni melius fidem adhibere, qui fatetur effugisse Mithridatem, dum milites et Lucullus sane « diligentius colligebant maximam vim auri et argenti, rerumque omnium pulcherrimarum, quas a majoribus acceperat Mithridates, et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat ».

3. *Illum.* Œtam, Medeæ patrem.— *Hos.* Luculli milites.

4. *Perdit. recreavit.* Hic romana prorsus jactantia : Mithridatem sane calamitatis suæ puduit et tæduit, sed majori erat animo, industria et ingenio ut desperaret, perditumque se crederet; bello superiori et sequenti qualis fuerit comprobatum est.

5. *Concitatæ sunt.* Plutarchus numerat Medos, Adiabenos, Arabes, Albanos, Iberos et qui circa Araxem sine rege erant.

6. *Metus injectus iis nationibus.* Neque profecto vanus et inanis ille metus ceteras gentes invaserat; nempe « est tua res, quum proximus ardet », et innotuerant Romani latrones orbis terrarum audacissimi.

manus neque lacessendas bello, neque tentandas putavit. Erat etiam alia gravis atque vehemens opinio, quæ per animos gentium barbararum pervaserat, fani [7] locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse adductum. Ita nationes multæ atque magnæ novo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem exercitus, etsi urbem ex Tigranis regno [8] ceperat, et præliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum [9] ac desiderio suorum commovebatur. His jam plura non dicam: fuit enim illud extremum, ut ex iis locis a militibus nostris reditus magis maturus, quam [10] processio longior quæreretur. Mithridates autem et suam manum [11] jam confirmarat, et eorum, qui se ex ejus regno collegerant, et magnis adventitiis multorum regum et nationum copiis juvabatur. Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictæ fortunæ facile

7. *Fani.* Comana, Bellonæ templum, significat, cujus sacerdos majestate, imperio et potentia, secundus a rege, consensu illius gentis habebatur, ut ait Hirtius de bello Alexandrino, et Appianus in fine Mithridatici; quod Cicero etiam ostendit, epist. ad Catonem. Strabo duo Comana, eodem et urbis et templi nomine, eidem deæ dicata in Ponto et in Majore Cappadocia fuisse narrat, l. XII. Hoc templum a Murena direptum et spoliatum est, ut Plut. ἐν παραλλήλοις, et Appianus in Mithrid. Murena per Cappadociam continuo Comana aggressus (urbem earum quæ Mithridati parebant, maximam, in qua religiosum fanum et opulentum erat), equites quosdam Mithridatis interfecit, et legatis ipsius fœdus proferentibus, respondit se fœdus non videre. Regionem depopulatus est, neque a rebus sacris abstinuit.

8. *Urbem ex Tigranis regno. Tigranocerta*, sive *Tigranocertam*, utrumque enim dicitur, quam urbem in monte ædificaverat Tigranes, inter fontes Tigridis et montem Taurum, ex suo nomine appellarat, et in eam copiosissimos quosque et locupletissimos totius imperii sui cives, quasi in coloniam, deduxerat; quam omnes, ut regi gratificarentur, certatim donis ac muneribus, pretiosissimisque omnibus ornarant atque instruxerant, in qua, ait Plutarchus, præter alias opes immensas, talentorum octo millia Lucullum reperisse constat.

9. *Nimia longinquitate locorum.* Confert in milites, quod vult tamen ad Lucullum pertinere intelligi. Vide Dionem ex reliquiis libri XXXV.

10. Al. *processus*. J. V. L.

11. Grævius conjic. *suum animum*. Multi nimium probant. J. V. L.

multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt, aut vivunt in regno; quod regale iis nomen, magnum et sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum [12] incolumis numquam est ausus optare. Nam quum se in regnum recepisset suum, non fuit eo contentus, quod ei præter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram [13] umquam attingeret; sed in exercitum vestrum, clarum atque victorem, impetum fecit [14]. Sinite hoc loco, Quirites, sicut poetæ solent, qui res romanas scribunt, præterire me nostram calamitatem : quæ tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli non ex prælio nuntius, sed ex sermone rumor afferret. Hic in ipso illo malo, gravissimaque belli offensione, L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro jussu coactus, quod imperii diuturnitati [15] modum statuendum veteri exemplo putavistis, partem militum, qui jam stipendiis confectis [16] erant,

12. *Tantum victus efficere potuit.* Ciceronem pudet laudare Mithridatem. Tanta enim erat Romanorum superbia, ut neminem virum fortem, bellicosum, clarum, præstantem, nisi civem romanum, existimarent.

13. *Terram umquam attingeret.* Quare igitur novas comparaverat copias, nisi ut regnum suum recuperaret, victoresque Romanos depelleret? Spem non fefellit eventus.

14. *Impetum fecit.* Primum L. Flaccum, quem in Ponto Lucullus reliquerat, fugavit ceciditque. Deinde C. Triarium, Luculli legatum, qui in Flacci locum cum exercitu novo missus fuerat, penitus delevit.

15. *Imperii diuturnitati.* Mamercus Æmilius dictator, quum de minuenda censura cum populo romano ageret, apud Livium, lib. IV : « Sic, inquit, maximam libertatis populi romani custodiam esse, si magna imperia diuturna non essent, et temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non posset ». Atqui Lucullus annos septem totos in imperio remanserat.

16. *Stipendiis confectis.* Id est, veterani. Cives romani, ab anno 17 ætatis ad annum 45, novem annos militare et stipendia facere jubebantur, ut patet ex Livii lib. XXIII et Dionysii Halic. III. Hos autem Plutarchus Fimbrianos milites fuisse tradit, id est, eos qui, duce C. Fimbria, quum L. Valerius Flaccus occisus esset, eum imperatorem delegerunt. — *Confectis.* Vett. libb. *confecti.*—*Glabrioni*, qui consul

dimisit, partem Glabrioni tradidit. Multa prætereo consulto; sed ea vos conjectura perspicitis, quantum illud bellum[17] factum putetis, quod conjungant reges potentissimi, renovent agitatæ nationes, suscipiant integræ gentes[18], novus imperator vester accipiat, vetere pulso exercitu.

X. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur.

Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello præficiendum putaretis! Nunc vero quum sit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit; quæ res est, quæ cujusquam animum in hac causa dubium facere possit? Ego enim sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris[1], virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur

anno superiore fuerat cum C. Calpurnio Pisone, et in Asiam missus fuerat, ut Lucullo succederet.

17. *Futurum.* Græv. restituit *factum*, consentientibus MSS. J. V. L.

18. *Integræ gentes.* Nondum bello a Romanis lacessitæ.

X. 1. *Scientiam rei militaris*, quæ studio et experientia acquiritur. — *Virtutem*, quæ in duo genera dividitur, unum quod ad bella proprie pertinet, alterum quod in moribus consideratur. Non enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. Alterum genus complectitur innocentiam, temperantiam, fidem, facilitatem, ingenium, humanitatem. — *Auctoritatem.* Virtute partam, felicitate auctam. Vehementer enim pertinet ad bella administranda, quid hostes, quid socii, quid milites de imperatoribus existiment. Præstantis fama unius ducis pluris est quam alter exercitus. — *Felicitatem*, cujus in omni re, præsertim in bello potestas maxima. Donum est divinum, quo pluris etiam æstimanda.

hoc homine scientior umquam aut fuit, aut esse debuit? qui e ludo atque pueritiæ[2] disciplina, bello maximo[3], atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum[4], atque in militiæ disciplinam profectus est? qui extrema pueritia miles[5] fuit summi imperatoris? ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator[6]? qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit? plura bella gessit, quam ceteri legerunt? plures provincias confecit[7], quam alii concupiverunt? cujus adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita? Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicæ? Civile[8], Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mixtum ex civitatibus[9] atque ex bellicosissi-

2. Græv. e MSS *disciplinis*. J.V. L.

3. *Bello maximo*. Sociali.

4. *Ad patris exercitum*. Cn. Pompeii Strabonis, Catonis in consulatu collegæ. Is bello Italico proconsul, quum satis feliciter rempublicam gessisset, anno insequenti in tribunali interficiendum curavit Q. Pompeium Sullæ in consulatu collegam, qui jussu populi exercitum ab eodem Cn. Pompeio auferendi causa profectus erat. Itaque in Italia Cinnano bello exercitum habuit, in quo exercitu Cn. Pompeium, ipsius filium, adolescentem fuisse narrat Plutarchus.

5. *Qui extrema pueritia miles*. Pompeius, Cæpione et Serrano coss. natus nondum 17 annos compleverat, quum pater contra Italicos dimicaret. — *Summi imperatoris*. Patris ipsius, non Sullæ; dux enim, non miles, ad Sullam profectus est.

6. *Maximi ipse exercitus imperator*. Plutarchus et Florus eum in agro Piceno privatum hominem, annos tres et viginti natum, voluntarium exercitum conscripsisse tradunt, et cum tribus legionibus ad L. Sullam venisse, ad eumque se nobilitatem omnem contulisse, Scipionem et Carbonem adversæ partis duces lacessisse, imperatorem ab ipso Sulla salutatum et in Celtiberiam missum esse.

7. *Plures provincias confecit*. Id est, plures expeditiones gloriosius absolvit.

8. *Civile*. Contra Cinnam et Carbonem.—*Africanum*.Quo Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam Numidiæ regem devicit. — *Transalpinum*. Gallicum. — *Hispaniense*. Sertorianum. — *Servile*. A Spartaco gladiatore excitatum; cujus tamen confecti laus ad M. Crassum proprie pertinet. — *Navale*. Piraticum.

9. Græv. mallet *civibus*. J. V. L.

mis nationibus, servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant, in usu militari positam, quæ hujus viri scientiam fugere possit.

XI. Jam vero virtuti Cn. Pompeii quæ potest par oratio inveniri? quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo existimantur, labor in negotio [1], fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quæ tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Testis est Italia [2], quam ille ipse victor, L. Sulla, hujus virtute et subsidio confessus est liberatam; testis est Sicilia [3], quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicavit; testis est Africa [4], quæ magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine [5] redundavit; testis est Gallia [6], per quam legionibus nostris in

XI. 1. Beck. e novem codd. Oxon. reposuit *negotiis*. J. V. L.

2. *Testis est Italia*. Civili nimirum bello liberata.

3. *Sicilia*. Perperna et Carbo Italia expulsi, in Siciliam confugerunt. Senatusconsulto adversus eos missus Pompeius, Carbonem cepit, morte mulctavit, et caput ejus ad Sullam misit. Perperna aufugerat.

4. *Africa*. Quo bello intra XL dies confecto et cæsis Domitio et Hiarba, Romam rediit, et quatuor ac viginti dumtaxat annos natus, adhuc eques romanus, quod nemini antea contigerat, ex Africa triumphavit, Magnusque a L. Sulla appellatus est.

5. *Eorum ipsorum sanguine*. Plutarchus ex viginti hostium millibus tria tantum millia effugisse tradit.

6. *Gallia*. Florus in Epitome et Plutarchus in Sertorii vita scribunt Metellum et Pompeium ab obsidione Calagurii, oppidi in Hispania, depulsos ac coactos diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam, quo tempore bellum hoc gessisset; sed in ipsius Pompeii epistola ad senatum, quæ legitur inter fragmenta Sallustii, scripta sunt hæc: « Nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta, exercitum paravi, hostesque in cervicibus Italiæ jam agentes, ab Alpibus in Hispaniam

Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est; testis est Hispania [7], quæ sæpissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit; testis est iterum [8] et sæpius Italia, quæ, quum servili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum exspectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum. Testes vero jam omnes oræ [9], atque omnes exteræ gentes ac nationes, denique maria omnia, tum universa, tum [10] in singulis omnes sinus atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit præsidium, ut tutus esset, aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non se aut mortis, aut servitutis periculo committeret, quum aut hieme, aut referto prædonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus [11], tam late divisum atque dispersum, quis umquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis [12] ab uno imperatore confici posse? Quam provinciam tenuistis a prædo-

submovi, per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius patefeci; recepi Galliam, Pyrenæum ». Scribit Plinius, lib. VII: « Et statim ad solis occasum transgressus, excitatis in Pyrenæo tropæis, oppida 876 ab Alpibus ad fines Hispaniæ ulterioris in ditionem redacta victoriæ suæ adscripsit ». In libro tamen tertio, capite de Hispania citeriore, *oppida* 846 legimus.

7. *Hispania*. In qua Sertorium octavum jam annum cum populo romano bellum gerentem devicit.

8. *Iterum*. Civili bello primum, deinde servili. — *Expetivit*. Oratorie, confecto enim Hispaniensi bello, Pompeius in Italiam redibat, non quod ab eo absente auxilium Italia expeteret, nam Crassus jam 12,300 hostium ceciderat, quum Spartaci reliquias exercitus obvias, circiter quinque millia, trucidavit Pompeius. Hinc ille ad senatum scripsit, Crassum in acie gladiatores quidem fudisse, se vero bellum funditus evellisse.

9. *Omnes oræ*. Maritimo bello adversus piratas orto ex Cilicia.

10. Male quædam cdd. « in singulis oris ». J. V. L.

11. *Tam vetus*. Ortum abhinc annis tribus et viginti, Octavio et Cinna coss. et confectum hoc ipso anno, Lepido et Tullo coss.

12. *Aut omnibus annis*. Bellum spatio trium mensium a Pompeio confectum tradit Plutarchus.

nibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui præsidio classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas, aut a prædonibus captas urbes[13] esse sociorum?

XII. Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi romani longe a domo bellare, et propugnaculis imperii[1] sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Sociis ego vestris mare clausum per hosce annos dicam fuisse, quum exercitus nostri a Brundisio[2] numquam, nisi summa hieme, transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar; quum legati populi romani[3] redempti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, quum duodecim secures[4] in prædonum potestatem pervenerint? Cnidum[5], aut Colophonem, aut Samum, nobilissimas urbes, innumerabilesque alias, captas esse commemorem; quum vestros portus[6], atque eos portus, quibus vitam et spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestate sciatis? An vero ignoratis, portum

13. *Captas urbes.* Quadraginta, ut scribit Plutarchus. Appianus sic: intra septuaginta dies omnes piratarum naves, id est, amplius trecenta, in ejus potestatem venere, partim vi captæ, partim ab ipsis deditæ; centum autem et viginti diebus cunctas illorum urbes, arces, perfugia, castella, receptacula in ditionem populi romani redegit, cæsis ipsorum plus minus decem millibus.

XII. 1. *Propugnacula imperii* vocantur coloniæ institutæ in nationibus bello subactis, quibus et victas gentes in officio continerent, et impetus vicinarum gentium in suas provincias cohiberent. Has plerumque è veteranis militibus instituere solebant Romani.

2. *A Brundisio.* Abest *a*. Quæ civitas est in Calabria, portu nobili, unde in Græciam iter est. — *Hieme.* Piratarum metu.

3. *Legati populi romani.* Latet qui fuerint illi legati et quo tempore capti.

4. *Duodecim secures.* Duos prætores Sextilium et Billenum, in provinciam euntes, cum ministris, lictoribus, ac ceteris ejus magistratus insignibus captivos abduxerunt piratæ. Senis fascibus in provinciis prætores utebantur, binis in Urbe. Plut. in vita Pompeii.

5. *Cnidum.* Urbem Cariæ. — *Colophonem*, in Ionia. — *Samum.* Insulam in mari Ægæo, cum urbe ejusdem nominis.

6. *Quum vestros portus.* Caietæ, Miseni, et Ostiæ. — *Vitam et spiritum*

Caietæ celeberrimum, atque plenissimum navium, inspectante prætore [7] a prædonibus esse direptum? ex Miseno autem ejus ipsius liberos [8], qui cum prædonibus antea ibi bellum gesserat, a prædonibus esse sublatos? Nam quid ego Ostiense incommodum [9], atque illam labem atque ignominiam reipublicæ querar; quum, prope inspectantibus vobis [10], classis ea, cui consul populi romani [11] præpositus esset, a prædonibus capta atque oppressa est? Pro dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore [12] lucem afferre reipublicæ potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium [13] prædonum navem esse audiatis?

Atque hæc, qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo prætereunda non sunt. Quis enim umquam, aut obeundi negotii, aut consequendi quæstus studio, tam brevi tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter, Cn. Pompeio duce, belli impetus [14] navigavit? qui

ducitis. Frumentum et omnia vitæ necessaria, quæ ex Africa, Asia, Sicilia, Sardinia eo comportabantur.

7. *Inspectante prætore*. Quem prætorem non licet cognoscere; forsitan tamen M. Antonium significat, qui ante Pompeium contra piratas missus male rem gessit, et indicto Cretensibus bello ibidem interiit, ut tradit Asconius et Florus in epitom. Conjecturam ducit Plutarchus eum esse cujus filia a prædonibus capta, magna pecunia postea redempta est.

8. *Liberos*. Hac voce plurali utebantur Latini ad exprimendum unum duntaxat filium aut filiam.

9. *Ostiense incommodum*. Piratæ in Ostiam ingressi naves Romanorum incenderunt, omnia diripuerunt, et prædam suam in urbe ipsa quasi in finibus suis secure deposuerunt.

10. *Inspectantibus vobis*. Quum tempus clarum esset, Romani e Capitolio Ostiense mare cernere poterant.

11. *Consul populi romani*. Vitat omisso nomine contumeliam, sed quia fuerit ille consul cognoscere nobis non datur.

12. *Tam brevi tempore*. Piratas omnes undequinquagesimo die, ut supra, delevit.

13. *Oceani ostium*. Intra fretum Herculeum.

14. *Belli impetus*. Poetice. Quum sensus tribuatur inanimis rebus, effulget quidam orationis decor, quædam

nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit, inde Sardiniam cum classe venit, atque hæc tria frumentaria subsidia reipublicæ firmissimis præsidiis classibusque munivit. Inde, se quum in Italiam recepisset, duabus Hispaniis [15], et Gallia Cisalpina [16] præsidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris, et in Achaiam omnemque Græciam navibus, Italiæ duo maria [17] maximis classibus firmissimisque præsidiis adornavit; ipse autem, ut a Brundisio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi romani Ciliciam adjunxit; omnes, qui ubique prædones fuerunt, partim capti interfectique sunt, partim unius hujus imperio ac potestati se dediderunt. Idem Cretensibus [18], quum ad eum usque in Pamphyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit, obsidesque imperavit. Ita tantum bellum; tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius

poetarum propria venustas, oratori nonnunquam, præsertim in elatiori sensu, concessa.

15. *Duabus Hispaniis.* Altera cis, altera trans flumen Iberum.

16. *Gallia Cisalpina.* Italiæ pars quæ ab Alpibus ad Rubiconem flumen patet, Gallia dicta est ab iis Gallis qui Tarquinio Prisco, ut Livius libro quinto demonstrat, regnante, ducentis ante Urbem captam annis, Alpes transgressi, mediam prope Italiam occuparunt. Hanc igitur Romani *Cisalpinam*, alteram vero, unde venerant, *Transalpinam* vocarunt. Cæsar hanc *ulteriorem*, illam *citeriorem* perpetuo appellat.

17. *Duo maria.* Adriaticum et Tyrrhenum mare.

18. *Idem Cretensibus.* Prædonibus qui Cretam insulam occuparunt, quos Q. Metellus obsidebat, unde Creticus cognominatus est. — *Usque in Pamphyliam.* MSS Colon. *usque Pamphyliam.* — *Legatos.* Oppugnati a Metello legatos ad Cn. Pompeium miserunt, ut si facultas esset, insulam ei potius quam Metello dederent, quem satis intelligebant acerrimum de ipsis supplicium sumpturum esse. Pompeius ut fructum ejus laudis Metello præriperet, L. Octavium legatum ad Metellum misit ut ab oppugnatione desisteret. Sed Metellus nihilominus obsessos in deditionem compulit, et in eos pro suo jure animadvertit. — *Deprecatoresque misissent.* Suppliciter petentes veniam.

extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.

XIII. Est hæc divina atque incredibilis virtus imperatoris: quid? ceteræ, quas paullo ante commemorare cœperam, quantæ atque quam multæ sunt? Non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto imperatore quærenda est; sed multæ sunt artes eximiæ [1], hujus administræ comitesque virtutis [2]. Ac primum quanta innocentia [3] debent esse imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate [4]? quanto ingenio? quanta humanitate? Quæ breviter, qualia sint in Cn. Pompeio, consideremus: summa enim omnia sunt, Quirites; sed ea magis ex aliorum contentione [5], quam ipsa per sese cognosci atque intelligi possunt.

Quem enim possumus imperatorem aliquo in [6] numero putare, cujus in exercitu veneant centuriatus [7], atque venierint? quid hunc hominem magnum aut amplum de republica cogitare, qui pecuniam, ex ærario depromptam ad bellum administrandum, aut propter cupiditatem [8] provinciæ magistratibus diviserit, aut propter avaritiam Romæ in quæstu [9] reli-

XIII. 1. *Artes eximiæ*. Dotes scilicet ac virtutes.

2. *Administræ comitesque virtutis*. Quia victoriam faciliorem reddunt et exornant; populi enim tantis commoti virtutibus, sese libentius tradunt.

3. *Innocentia*. Eo laudabilior, quo rarior; idcirco ab ea virtute orditur.

4. *Facilitate*. Respicit ad faciles Pompeii aditus. Perperam aliquot edd. *felicitate*. J. V. L.

5. *Contentione*. Id est, comparatione; nam *contendere* interdum est comparare. Orat. 2 in Rullum: « oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum, ac per jocum contendent ».

6. Græv. e codd. Hittorp. et Erf. « ullo in numero ». J. V. L.

7. *Centuriatus*. Gradus militares.

8. *Propter cupiditatem*. Id est, ex cupiditate consequendæ provinciæ cui præsit, et in ea remanendi. Dividebatur ergo pecunia magistratibus ut impedirent, ne anno exacto decedere de provincia juberetur. Jam enim increbuerat imperii prorogandi consuetudo.

9. *In quæstu*. Apud argentarios, ut fœnori collocarent.

querit? Vestra admurmuratio[10] facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui hæc fecerint. Ego autem neminem nomino[11]: quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri. Itaque, propter hanc avaritiam imperatorum, quantas calamitates, quocumque ventum sit, nostri exercitus ferant[12], quis ignorat? Itinera[13], quæ per hosce annos in Italia per agros atque oppida civium romanorum[14] nostri imperatores fecerunt, recordamini: tum facilius, statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbes, an hibernis, sociorum civitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum[15] non continet; neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult. Hic miramur, hunc hominem[16] tantum excellere ceteris, cujus legiones sic in Asiam[17] pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? Jam vero, quemadmodum milites hibernent[18], quotidie sermones ac

10. *Vestra admurmuratio.* Hic tantus factus est tumultus, ut orator silere coactus fuerit. Nimirum admurmuratio ista ex duabus partibus oppositis orta est, scilicet ex deprædatorum fautoribus et accusatoribus.

11. *Neminem nomino.* Sed notior erat Lucullus et forsan Acilius Glabrio Lucullo successor, parsque maxima imperatorum. Orator summa arte populi judicio se accommodat.

12. MS Colon. *adferant.* J. V. L.

13. *Itinera..... in Italia.* Quum adversus Mithridatem, Cilices, Sertorium, Spartacum exercitus ducerent, aut bellum Marsicum, seu civile, administrarent; nam cum his hostibus per hosce annos bellum gestum est.

14. *Per agros... civium romanorum.* Nam italicis populis civitas data est annis abhinc circiter XVIII.

15. *Qui se ipsum.* Erfurt. *se ipse.* Et sic perpetuo fere loquitur Tullius et alii.

16. *Hunc hominem.* Cn. Pompeium.

17. *In Asiam.* Bello maritimo in Ciliciam et Pamphyliam. — *Non modo manus.* Non modo nihil rapuisse, sed ne pedem quidem ubi non licebat posuisse dicatur. — *Pacato.* Pacatus dicitur is cum quo pacem colimus.

18. *Milites hibernent.* Isto tempore, quo de lege Manilia agebatur, Pompeius ad Ciliciam castra habebat.

literæ perferuntur: non modo, ut sumptum faciat in militem [19], nemini vis affertur; sed ne cupienti quidem cuiquam [20] permittitur. Hiemis enim, non avaritiæ perfugium majores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt [21].

XIV. Age vero [1] ceteris in rebus qualis [2] sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem, et tam incredibilem cursum inventum putatis? Non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui novi, tam celeriter in ultimas terras [3] pertulerunt; sed hæ res, quæ ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia [4] ab instituto cursu ad prædam aliquam devocavit [5], non libido ad voluptatem [6], non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis [7] ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. Postremo signa, et tabulas, ceteraque ornamenta græcorum oppidorum, quæ ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de cælo delapsum, intuentur: nunc denique incipiunt credere [8], fuisse ho-

19. *Sumptus faciat in militem.* Id est, ut cibus, pecunia, vestis ceteraque dentur militibus.

20. *Cuiquam.* Asiatico cuiquam ne permittitur quidem, ut tales sumptus in Pompeii milites faciat.

21. *Voluerunt.* Socios in hibernis sumptibus non gravari.

XIV. 1. *Age vero.* Transitioni inserviunt verba illa.

2. Edd. vett. Nauger. Camerar. *quali*; cod. Hittorp. *quæ*; Modio placebat *qua sit*; id et B. Weisk. prorsus Tullianum judicat. J. V. L.

3. *In ultimas terras.* In Pamphyliam.

4. *Non avaritia.* Ambitio summa erat Pompeii cupiditas, cui omnia condonabat, ita ut omnibus fuisset virtutibus absolutus, nisi hoc vitio se ipse ac remp. pessumdedisset.

5. Ed. Ald. *revocavit*; Grut. mallet *sevocavit*. Minus recte. Codd. id habent, quod damus. J. V. L.

6. *Non libido ad voluptatem.* Pellices enim Mithridatis captas ad parentes remisit intactas.

7. *Non nobilitas urbis.* Athenæ, quas ingressus Pompeius, rem sacram fecit, et habita concione profectus est.

8. *Incipiunt credere.* Credimus enim

mines romanos hac quondam abstinentia; quod jam nationibus exteris incredibile, ac falso memoriæ proditum videbatur. Nunc imperii vestri splendor illis gentibus lucet; nunc intelligunt, non sine causa majores suos tum, quum hac temperantia magistratus habebamus, servire populo romano, quam imperare aliis, maluisse. Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis esse dicuntur; ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Jam quantum consilio[9], quantum dicendi gravitate et copia valeat, in quo ipso inest quædam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso in loco sæpe cognostis. Fidem vero ejus inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium[10] sanctissimam judicarint[11]? Humanitate jam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem[12] ejus pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum transmittendum[13] sit, qui ad omnia nostræ memoriæ bella conficienda divino quodam consilio natus esse videatur?

XV. Et, quoniam auctoritas[1] multum in bellis quoque administrandis atque imperio militari valet; certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator

potius oculis nostris quam auribus, et contraria exempla invaluerant.

9. *Jam quantum consilio.* Consilium hic appellat, quod supra ingenium; gravitas enim et copia dicendi ab ingenio maxime proficiscitur. Sed quia sine consilio atque prudentia nihil fit, ideo consilium vocavit ad majorem Pompeii laudem. Ingenium enim naturæ bonum est, non voluntatis et industriæ.

10. Al. e MSS, *generum*. Non placet.

11. *Judicarint.* Piratæ qui sese illi tradiderunt, hostile nihil timentes.

12. *Virtutem.* Bellandi virtutem significat.

13. *Transmittendum.* Id est, deferendum sit. Hoc verbo usus est fortasse, habita absentis Pompeii ratione, cui quasi mitti bellum Mithridaticum oportet.

XV. 1. *Auctoritas.* Hoc loco gravis opinio de alicujus singulari virtute ac magnitudine concepta.

plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat, quum sciamus, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ[2], quam aliqua certa ratione commoveri? Quod igitur nomen umquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res gestæ pares? de quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta et tam præclara judicia[3] fecistis? An vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei[4] fama pervaserit, quum universus populus romanus, referto foro, repletisque omnibus templis[5], ex quibus hic locus conspici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum[6] Cn. Pompeium imperatorem depoposcit? Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum auctoritas[7] valeat in bello; ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur: qui quo die a vobis maritimo bello præpositus est imperator, tanta repente vilitas[8] annonæ ex summa inopia et caritate rei frumentariæ consequuta est, unius hominis[9] spe et nomine, quantam vix ex summa ubertate agrorum

2. *Opinione non minus famæ*. Id est, ipsa fama, aut potius existimatione, ac rumore a fama nato.

3. *Judicia*. Quum eques adhuc romanus ante ætatem senatoriam triumpharit; ad hoc quæstor tamen proconsulari imperio adversus Sertorium missus sit, iterum eques triumpharit; consulatum ante alios magistratus gesserit, ut infra.

4. *Illius diei fama*. Quo legem de Pompeio contra piratas mittendo A. Gabinius tribunus plebis tulit.

5. *Templis*. Quæ circum forum sunt.

6. *Commune omnium gentium bellum*. Piraticum.

7. Al. « hujus auctoritas ». J. V. L.

8. *Tanta repente vilitas*. Mercatores enim simul ac Pompeium maritimo bello præpositum audierunt, certi prædones ex maritimis locis cessuros, tantam copiam frumenti Romam devexerunt, ut vili pretio vendere cogerentur. Sic contra, mortuo nostro Turennio, villam quidam vendidit, utpote quam jam hostes invaderent.

9. Aberat *hominis*. Dant vero MSS. J. V. L.

diuturna pax efficere potuisset. Jam, accepta in Ponto calamitate[10], ex eo prælio, de quo vos paullo ante invitus admonui, quum socii pertimuissent, hostium opes animique crevissent, satis firmum præsidium provincia non haberet: amisissetis Asiam, Quirites, nisi[11] ad id ipsum ejus temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones[12] fortuna populi romani attulisset. Hujus adventus et Mithridatem insolita[13] inflammatum victoria continuit, et Tigranem magnis copiis minitantem Asiæ retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute profecturus sit, qui tantum auctoritate profecerit? aut quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

XVI. Age vero, illa res quantam declarat ejusdem hominis apud hostes populi romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tamque diversis, tam brevi tempore omnes uni huic se dediderunt? quod Cretensium legati, quum in eorum insula noster imperator[1] exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras[2] venerunt, eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt[3]? Quid? idem iste Mithridates, nonne ad eumdem Cn. Pompeium, legatum usque in Hispaniam[4] misit[5]; eumque Pom-

10. *Accepta in Ponto calamitate.* Quum C. Triarius a Mithridate cum aliquot millibus cæsus est.

11. Græv. Lallem. « ad ipsum discrimen e. t. » J. V. L.

12. *Ad eas regiones.* Maritimo bello ad Pamphyliam et Ciliciam; hujus rei nulla in historiis mentio.

13. *Insolita.* Quum antea victus esset a Sulla, a Murena, a Lucullo.

XVI. 1. *Noster imperator.* Q. Metellus, cui proconsuli bellum in Cretenses mandatum erat.

2. *In ultimas prope terras.* In Pamphyliam. Hoc autem nomine vocabant, in finibus romani imperii remotissimis sitas.

3. *Dedere velle dixerunt.* Videndum apud Plutarchum in Pomp. quam dedititiis Cretensibus durus fuerit Pompeius.

4. *Usque in Hispaniam.* Quum quæstor adversus Sertorium missus est.

5. Gulielm. lectionem MSS probat, « misit eum, quem Pomp. » Idem in-

peius legatum semper judicavit; ii, quibus semper erat molestum, ad eum potissimum [6] esse missum, speculatorem, quam legatum judicari maluerunt? Potestis igitur jam constituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis postea [7] rebus gestis, magnisque vestris judiciis amplificatam, quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis.

Reliquum est, ut de felicitate, quam præstare de se ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus, sicut æquum est homini de potestate deorum, timide [8] et pauca dicamus. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, et ceteris magnis imperatoribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam, sæpius imperia mandata, atque exercitus esse commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem et gloriam, et ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna: de hujus autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut præterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisa [9] diis immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur. Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiæque, terra marique, quantaque

fra legendum censet, « quibus per erat molestum ». J. V. L.

6. *Ad eum potissimum.* Quum ipse quæstor tantum et alii qui idem bellum administrabant Q. Metellus, M. Perperna, consulares essent.

7. *Postea.* Post Hispaniense bellum. — *Rebus gestis.* Contra piratas. — *Vestris judiciis.* Quod maritimum bellum populi suffragiis ei mandatum fuerat Gabinia lege.

8. *Timide.* Ne, quod deorum est, homini tribuisse videar.

9. *Invisa diis immortalibus.* Si fortunam in Pompeii manu positam dixerim, quæ a diis pendet. — *Ingrata.* Si nec præterita meminisse, nec reliqua sperare videamur.

felicitate gesserit; ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Hoc brevissime dicam, neminem umquam tam impudentem fuisse, qui a diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompeium detulerunt: quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, quum communis salutis atque imperii, tum ipsius hominis causa, sicuti facitis[10], velle et optare debetis.

Quare quum et bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit; ita magnum, ut accuratissime sit administrandum; et quum ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis[11], Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis a diis immortalibus oblatum et datum est, in rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis?

XVII. Quod si Romæ Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus: nunc, quum ad ceteras summas utilitates hæc quoque opportunitas adjungatur, ut in iis ipsis locis adsit[1], ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit; quid exspectamus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera[2] summa cum salute reipublicæ commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?

At enim vir clarissimus, amantissimus reipublicæ,

10. *Facitis.* Quod declarant imperia quibus illum exornavistis.

11. *Dubitabitis.* Multi codd. Oxon. *dubitatis.* J. V. L.

XVII. 1. *Ut in iis locis adsit.* Ubi bellum cum Mithridate est gerendum.

2. *Cetera.* Bella scilicet. — *Regium.* Contra reges.

vestris beneficiis amplissimis affectus, Q. Catulus[3]; itemque summis ornamentis honoris, fortunæ[4], virtutis, ingenii præditus, Q. Hortensius[5], ab hac ratione dissentiunt: quorum ego auctoritatem[6] apud vos multis locis plurimum valuisse, et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen, omissis auctoritatibus, ipsa re et ratione exquirere possumus veritatem: atque hoc facilius, quod ea omnia, quæ adhuc a me dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse, et magnum, et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia[7]. Quid igitur ait Hortensius? Si uni omnia tribuenda sint[8], unum dignissimum esse Pompeium; sed ad unum tamen omnia deferri non oportere[9]. Obsolevit jam ista oratio, re multo magis, quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi, multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi, et in senatu contra virum fortem A. Gabinium, graviter ornateque dixisti, quum is de uno imperatore contra prædones constituendo legem promulgasset; et ex hoc ipso loco permulta item contra legem eam verba fecisti[10]. Quid? tum, per deos immortales! si plus

3. *Q. Catulus.* Consul duodecim abhinc annis, M. Æmilii Lepidi collega.

4. *Fortunæ.* Propter nobilitatem. — *Virtutis.* Propter integritatem. — *Ingenii.* Propter eloquentiam.

5. *Q. Hortensius.* Consul ante annos tres, collega C. Cæcilii Metelli, eloquentissimus.

6. *Auctoritatem.* Famam illorum. — *Locis.* Temporibus, occasionibus.

7. *Summa esse omnia.* Heroicis virtutibus unum Pompeium pollere.

8. Vulg. *sunt.* Beck. reposuit *sint* e tribus MSS. J. V. L.

9. *Ad unum.... non oportere.* Recte prorsus censebat Hortensius. Cicero in causa fuit cur periret respublica, dum primum Pompeio, deinde Octavio nimium favit. — *Obsolevit jam ista oratio.* Translatio sumpta de iis quæ ex usu remota rejiciuntur. — *Re.* Id est, effectu ipso.

10. *Verba fecisti.* Jamjam Hortensius aliique idem objecerant, anno antecedente, quum legem proposuit

apud populum romanum auctoritas tua, quam ipsius populi romani salus et vera causa valuisset, hodie hanc gloriam atque hoc orbis terræ imperium teneremus? An tibi tum imperium esse hoc videbatur, quum populi romani legati, prætores, quæstoresque capiebantur? quum ex omnibus provinciis commeatu, et privato, et publico, prohibebamur? quum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem transmarinam, neque publicam jam obire possemus?

XVIII. Quæ civitas antea umquam fuit, non dico Atheniensium, quæ satis late quondam mare tenuisse[1] dicitur; non Carthaginiensium, qui permultum classe maritimisque rebus valuerunt; non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit: quæ civitas umquam antea tam tenuis, quæ tam parva insula fuit, quæ non portus suos, et agros, et aliquam partem regionis atque oræ maritimæ per se ipsa defenderet? At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus romanus, cujus, usque ad nostram memoriam, nomen invictum in navalibus pugnis permanserat, magna ac multo maxima parte non modo utilitatis[2], sed dignitatis atque imperii caruit. Nos, quorum majores Antiochum regem classe[3], Persen-

Gabinius de maritimi belli administratione Pompeio uni mandanda. Reperias in Dione Cassio, XXXVI, 8, 19, orationes contrarias Gabinii tribuni plebis et Catuli. Plutarchus narrat legem magna senatus dissensione latam esse, et alterum consulem, quum vehementius legi refragaretur, prope a plebe discerptum fuisse.

XVIII. 1. *Mare tenuisse.* Id est, imperium maris.

2. *Non modo utilitatis.* Interceptis vectigalibus. — *Sed etiam dignitatis.* Ereptis duodecim securibus, captis quibusdam legatis, quæstoribus, et prætoribus.

3. *Antiochum regem classe.* Antiocho apud Thermopylas victo et Græcia expulso, C. Livius præfectus romanæ classis, adjuvante Eumene rege Asiæ, Polyxenidam Antiochi præfectum ad Corycum portum navali prælio vicit, tredecim naves cepit cum militibus ac remigibus, decem

que [4] superarunt, omnibusque navalibus pugnis Carthaginienses, homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque, vicerunt, ii nullo in loco jam prædonibus pares esse poteramus : nos quoque [5], qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos præstare poteramus; tum, quum insula Delos, tam procul a nobis in Ægæo mari posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro, nihil [6] timebat; iidem non modo provinciis, atque oris Italiæ maritimis, ac portubus nostris, sed etiam Appia [7] jam via carebamus : et his temporibus non pudebat magistratus populi romani, in hunc ipsum locum escendere [8], quum eum vobis majores vestri exuviis nauticis et classium spoliis ornatum reliquissent!

XIX. Bono te animo tum, Q. Hortensi, populus romanus, et ceteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimavit ea, quæ sentiebatis; sed tamen in salute communi idem populus romanus dolori [1] suo

demersit. Anno insequente L. Æmilius Regillus, qui Livio successerat, eumdem Polyxenidam ad Myonesum navali prælio vicit, XLII navibus in ea pugna potitus, quarum tredecim captæ in potestatem ejus venerunt, ceteræ incensæ aut demersæ. Vide Livium lib. XXXVI et XXXVII.

4. *Persenque*. C. Octavius kal. decembribus de rege Perse navalem triumphum egit, sed sine captivis, sine spoliis. Livius lib. XLV, 42. Plutarchus contra scribit Persen apud Orcum eum Romanis prælio navali prospere decertasse, et viginti naves onerarias cepisse, alias mersisse, quæ frumento onustæ erant.

5. *Nos quoque*. Displicuit Ernestio, quod et hic est otiosum et male sonat ante *qui* positum. Gœrenz. ad Cic. de Finib. II, 9, recte conjicit *nosque*. J. V. L.

6. *Nihil timebat*. Opibus freta populi romani.

7. *Appia jam via*. Appius Claudius Cæcus quum esset censor, Appiam viam a porta Capena usque ad urbem Capuam, muniendam curavit; inde Brundusium usque munita est. Quum vero propinqua mari jaceret, per eam iter habere, piratis mare tenentibus, sine periculo non licebat. Strab. lib. V.

8. Sic Græv. e MS Colon. Vulg. *ascendere*. J. V. L.

XIX. 1. *Dolori suo*. Propter incommoda quæ a piratis accipiebant.

maluit, quam auctoritati vestræ obtemperare. Itaque una lex[2], unus vir, unus annus, non modo nos illa miseria ac turpitudine liberavit; sed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam, anne Pompeio, an utrique (id quod est verius)? ne legaretur A. Gabinius[3] Cn. Pompeio expetenti ac postulanti. Utrum ille, qui postulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non est, qui impetret, quum ceteri ad expilandos socios diripiendasque provincias, quos voluerunt, legatos eduxerint; an ipse, cujus lege salus ac dignitas populo romano atque omnibus gentibus constituta est, expers esse debet gloriæ ejus imperatoris atque ejus exercitus, qui consilio ipsius atque periculo[4] est constitutus? An C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Cœlius[5] Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino, quum tribuni plebis fuissent, anno proximo legati[6] esse potuerunt: in hoc uno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per se ipse[7] constituit, etiam præcipuo jure esse deberet[8]? De quo legando spero

2. *Una lex.* Gabinia. — *Unus vir.* Pompeius. — *Unus annus.* Bello maritimo finem imposuit.

3. *Ne legaretur A. Gabinius.* Mos fuit ut ne ii qui tribuni plebis fuissent, legarentur anno proximo iis imperatoribus per tribunatum illorum constitutis; tribunis nempe pro suo munere jus erat ad populum concionandi, et sic eligendo tali, aut tali imperatori obstare, aut favere poterant, ut suis ipsorum commodis servirent.

4. *Atque periculo.* Nam si quam offensionem accepisset exercitus, ejus offensionis culpa legis suasori et auctori fuisset adscripta

5. Alii codd. *Q. Cæcilius*; alii, *Lateriensis*. J. V. L.

6. *Legati esse potuerunt.* Probat hunc morem prudentia fretum aliquando neglectum fuisse, aut fraude et artibus oppressum. — *Sunt tam diligentes.* In retinendo more majorum,

7. Gruter. et post eum multi probant lect. MSS Colon. et Werd. « per vos ipse ». J. V. L.

8. *J. e. deberet.* Magis causæ quam veritati servit orator. Trebellio enim Ga-

consules ad senatum relaturos[9] : qui si dubitabunt, aut gravabuntur; ego me[10] profiteor relaturum. Neque me impediet cujusquam, Quirites, inimicum edictum[11], quo minus, fretus vobis, vestrum jus beneficiumque defendam; neque, præter intercessionem, quidquam audiam : de qua, ut arbitror, isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat[12], considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius, belli maritimi rerumque gestarum auctor, comes Cn. Pompeio adscribitur; propterea quod alter uni id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum susceptumque confecit.

XX. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur : qui quum ex vobis quæreret[1], si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset[2], in quo spem essetis habituri; cepit magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis, quum omnes prope una voce, « in eo ipso vos spem

binii collega, consule et senatu resistentibus, Gabinia lex vi et fraude fuit lata, et Gabinius mercedem postulat. Ergo non reipublicæ causa, sed sua ipsius, civitatem miscuit.

9. *Consules ad senatum relaturos*. Referre ad senatum de re aliqua, id est, rem in senatu agitandam, deliberandam, decernendamque proponere et senatorum sententias rogare. Jus relationis ad senatum erat apud omnes, quibus jus senatum convocandi competebat. Minor autem magistratus non poterat convocare senatum, nisi absente majore. Si ergo consules in Urbe essent, ipsi soli referebant.

10. Gœrenz. ad Cic. Acad. II, 16, *memet*. J. V. L.

11. *Inimicum edictum*. Ne quis magistratus minor ad senatum, præsente consule, referret. — *Beneficiumque*. Præturam qua me decorastis. Tullius contendit prætori jus esse senatum vocandi, nolentibus consulibus. —*Præter intercessionem*. Tribunorum, quos et ipse Pompeius restituerat, et solos h. l. Cicero vereri videtur; quo facilius auram captet popularem.

12. *Quid liceat*. Contra jus beneficiumque vestrum. Sic edit. prope omnes. Aldus dedit, *qui id liceat*. Sic Lallem. — *Auctor*. Legis qua Pompeio bellum maritimum mandaretur, et ideo quasi auctor rerum quas gessit Pompeius in isto bello; propterea in hoc Mithridatico socius esse debet.

XX. 1. *Ex vobis quæreret*. In legis Maniliæ dissuasione.

2. *Si quid eo* (h. e. *de eo*) *factum esset*. Id est, si quid humanitus ei accidisset, si obiisset. Ominis causa, mortis mentionem vitavit.

habituros esse» dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere, et integritate tueri, et virtute conficere possit. Sed in hoc ipso ab eo vehementissime dissentio, quod, quo minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis respublica, dum per deos immortales licet, frui debet summi hominis[3] vita atque virtute.

At enim, inquit[4], nihil novi fiat contra exempla atque instituta majorum. Non dico[5] hoc loco, majores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse; semper ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes accommodasse; non dicam, duo bella maxima, Punicum et Hispaniense[6], ab uno imperatore esse confecta; duas[7] urbes potentissimas, quæ huic imperio maxime minabantur, Carthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas; non commemorabo, nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario[8] spes imperii

3. *Frui debet summi hominis.* Catulus eo syllogismo usus erat: « In quo tota spes est, is in bellum mitti debet. Atqui in Pompeio.... ergo ». Tullius syllogismum alium opponit: « Summi hominis vita, dum licet, frui debemus. Pompeius summus homo est. Vita ergo ejus frui debemus, dum licet ».

4. Addimus *inquit* post Graston. e MS Dresd. J. V. L.

5. *Non dico.* Figura hæc est, ad benivolentiam auditoris sibi conciliandam, promissa brevitate, et attentionem, quia majus aliquid, quam quod omittit, pollicetur.

6. *Punicum et Hispaniense.* In quibus Carthago deleta est et Numantia a P. Scipione Æmiliano, sive Africano minore Paulli filio, qui quum ædilitatem peteret, et intra decem annos consul fieri non posset, legibus solutus est, et consul creatus, et in Africam missus Carthaginem expugnavit. Postea quum bellum Numantinum longius duceretur, delatus est ultro eidem Scipioni Africano a senatu populoque romano consulatus, quem quum ille capere minime vellet ob legem, quæ vetabat quemquam intra decem annos iterum consulem fieri, sicuti priori consulatu, legibus solutus est, et Numantiam cepit et delevit.

7. Codd. Erfurt. et Oxon. *duasque.* J. V. L.

8. *In uno C. Mario.* Septies consul fuit. — *Jugurtha*, rege Numidiæ, quem Marius fraude captum in trium-

poneretur, ut idem cum Jugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret : in ipso Cn. Pompeio, in quo novi constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova, summa [9] Q. Catuli voluntate, constituta, recordamini.

XXI. Quid enim tam novum, quam adolescentulum [1], privatum, exercitum difficili reipublicæ tempore [2] conficere? confecit : huic præesse? præfuit : rem optime ductu suo gerere? gessit [3]. Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a senatorio gradu ætas longe abesset [4], imperium atque exercitum dari? Siciliam [5] permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute; bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit [6]. Quid vero tam inauditum, quam equitem romanum triumphare [7]? at eam quoque rem populus romanus non modo vidit, sed etiam omni studio visendam et concelebrandam [8] putavit. Quid tam inusitatum, quam ut, quum duo consules claris-

phum enm duobns ejus filiis egit. — *Cum Cimbris*. Populis Germaniæ, ad sinum Codanum et in insulis ejus sinus incolentibus; quos Italiam invadentes qua strage fuderit Marius notum est. Cf. Plut. in Mar. sub init.

9. Alii, « summaque Catuli voluntate ». J. V. L.

XXI. 1. *Adolescentulum*. Pompeius tres et viginti dumtaxat annos erat natus.

2. *Difficili reip. tempore*. Sullano bello, periclitante repub.

3. *Gessit*. Vicit enim, cepitque Carbonem.

4. *Ætas longe abesset*. In senatoribus eligendis hæc quinque potissimum spectabantur, *genus*, *ordo*, *census*, *ætas* et *magistratus*. Primus autem magistratus quæstura fuit; nemo senator fieri poterat nisi quæstor fuisset. Ætas senatoria fuit annus qui sequeretur quæsturam, id est, vicesimus septimus.

5. *Siciliam*. Contra Carbonem. — *Africam*. Contra Domitium et Hiarbam Numidiæ regem.

6. *Deportavit*. Reduxit in patriam.

7. *Triumphare*. Ex Africa, de Hiarba rege, L. Sulla dictatore, qui Pompeio revertenti obviam prodiit et Magnum appellavit.

8. Aberat « et concelebrandam ». Dant MSS. J. V. L.

simi fortissimique[9] essent, eques romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur? missus est. Quo quidem tempore, quum esset non nemo in senatu, qui diceret, «Non oportere mitti «hominem privatum pro consule»; L. Philippus dixisse[10] dicitur, «Non se illum sua sententia pro «consule, sed pro consulibus mittere». Tanta in eo reipublicæ bene gerendæ spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare, quam ut ex senatusconsulto legibus solutus[11], consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset[12]? quid tam incredibile, quam ut iterum eques romanus ex senatusconsulto triumpharet[13]? Quæ in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quam hæc, quæ in hoc uno homine vidimus. Atque hæc tot exempla, tanta, ac tam nova, profecta sunt in eumdem hominem a Q. Catuli[14], atque a ceterorum ejusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

9. *Consules clarissimi fortissimique.* M. Junius Brutus et Mam. Æmilius Lepidus. — *Bellum maximum.* Sertorianum, cui dux unus Q. Metellus non sufficere videbatur. — *Pro consule.* Proconsulari imperio, ut Metello par esset. — *Mitteretur.* A senatu, nam a populo imperium non accepit.

10. *Philippus dixisse.* Ille optimus erat suæ ætatis orator post L. Crassum et M. Antonium. Quum, inquit Plutarch. quidam miraretur, quod Philippus Pompeium proconsule mittendum arbitraretur, respondit ille «non se illum pro consule, sed pro consulibus mittere»; quasi utriusque consulis ignaviam rideret.

11. *Legibus solutus.* Annis decem antequam liceret, ex equite romano consul factus est.

12. *Licuisset.* Nullum antea magistratum, ne quæsturam quidem, neque ceperat, neque ei, nempe juniori, per leges capere licuerat.

13. *Triumpharet.* Ex Hispania, victo Sertorio, quum antea triumphasset ex Africa, victo Hiarba. Primo triumphavit Pompeius, unius Sullæ rempublicam gubernantis permissu, absque ullo senatusconsulto et populi rogatione; secundo autem ex senatusconsulto, quum populus ab Sulla multis exutus, in decernendis triumphis nullam partem haberet.

14. *Q. Catuli.* Qui nunc Maniliam legem dissuadet. Olim edebatur *Ca-*

XXII. Quare videant, ne sit periniquum et non ferendum, illorum[1] auctoritatem de Cn. Pompeii dignitate a vobis comprobatam[2] semper esse; vestrum ab illis de eodem homine judicium, populique romani auctoritatem improbari: præsertim quum jam suo[3] jure populus romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiunt[4], possit defendere; propterea quod, istis reclamantibus[5], vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello prædonum præponeretis. Hoc si vos temere fecistis, et reipublicæ parum consuluistis; recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur : sin autem vos plus tum in re-

tulo; lectionem novam e cod. Erfurt. Græv. accepit.

XXII. 1. *Illorum*. Scilicet senatorum. Pompeius, non senatus auctoritate, sed Sullæ unius voluntate, exercitus imperio potitus est. Sulla enim, a bello Mithridatico redux, ann. U. C. 670, suis usus est copiis adversus inimicos suos. Quum Norbanum vicisset, Pompeius, quatuor et viginti annos natus, tres confecit legiones e palantibus militibus, et Sullæ partes sequutus est. Sulla, fuso Carbonis exercitu, an. 671, Urbem venit, castrisque in campo Martio positis, inimicorum bona publicavit, misitque Pompeium contra Carbonem tertio consulem, qui in Siciliam confugerat. Occiso Carbone, Sulla sese dictatorem declaravit, ann. 672, et Pompeium in Africam misit contra Domitium Sullanis hostem et Hiarbam Numidiæ regem. Hoc confecto bello, ann. 773, Romam rediit Pompeius, et quamquam eques dumtaxat, Sulla permittente, triumphavit, et ab illo cognomen Magni recepit. Mortuo Sulla 675, Pompeius, ann. 676, a senatu, qui Sullanis conflatus erat, cæteris proscriptis, missus est in Hispaniam contra Sertorium et vario eventu pugnavit. Sertorio fraude necato, Pompeius interfectorem ejus devicit et, bello confecto, in Italiam, ann. 682, reduxit exercitum, ubi quinque millibus fugitivorum e bello Servili, quod cum Spartaco gerebatur, occurrit, interfectisque illis bellum illud omnino sustulit. Anno 683, consul fuit cum Licinio Crasso, tribunitiam potestatem a Sulla imminutam restituit, et plebis hoc officio benivolentiam sibi conciliavit, quæ, auctoritate recuperata, eum bello Piratico, enixe resistentibus nobilibus, præfecit.

2. *Comprobatam*. Plebs, Sullano tempore, auctoritate omni exuta, parvi referebat an comprobaret, an improbaret.

3. *Suo jure*. Nemine impediente, quum nemo possit prohibere et impedire, qui dissentiat.

4. *Qui dissentiunt*. Ernest. conjicit *dissentiant*. Recentius erat Sullæ exemplum, quam ut bene cordatus quisque Pompeii ambitioni frena injicere non conaretur.

5. *Istis reclamantibus*. Scilicet senatoribus.—*Delegistis*. Lege Gabinia.

publica vidistis; vos, his repugnantibus, per vosmet ipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis : aliquando isti principes [6], et sibi, et ceteris, populi romani universi auctoritati parendum esse fateantur. Atque in hoc bello Asiatico et regio, non solum militaris illa virtus, quæ est in Cn. Pompeio singularis, sed aliæ quoque virtutes [7] animi multæ et magnæ requiruntur. Difficile est in Asia, Cilicia, Syria, regnisque interiorum [8] nationum ita versari vestrum imperatorem, ut nihil aliud, quam de hoste [9] ac de laude, cogitet. Deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum hominum, nemo arbitratur [10]. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, injurias [11] ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? Urbes jam locupletes ac copiosæ requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem [12] inferatur. Libenter hæc coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio disputarem, summis et clarissimis viris : noverunt enim sociorum vulnera; vident eorum calamitates; querimonias audiunt. Pro sociis [13] vos contra hostes exercitum mittere putatis, an, hostium simulatione, contra socios atque amicos? Quæ civitas est in Asia, quæ non modo imperatoris, aut legati,

6. *Principes*. Optimates scilicet.

7. *Virtutes*. Ut temperantia, fides, humanitas. Cap. 13.

8. *Interiorum*. Quæ intimam Asiam incolunt, a finibus et a mari remotæ.

9. *De hoste*. Scilicet vincendo, et non de lucro faciendo.

10. *Nemo arbitratur*. Quisque improbus neminem esse probum existimat.

11. *Injurias*. Furta, rapinas.

12. *Cupiditatem*. Cod. Hittorp. *facultatem*. J. V. L.

13. *Pro sociis*. Auxiliandis.

sed unius tribuni militum[14] animos ac spiritus capere[15] possit?

XXIII. Quare, etiam si quem habetis, qui collatis signis[1] exercitus regios superare posse videatur: tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eorum conjugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia, manus, oculos, animum cohibere possit; non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum reginmque mittatur. Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit? ecquam esse locupletem, quæ istis pacata esse videatur? Ora maritima[2], Quirites, Cn. Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit. Videbat enim populum romanum non locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos; neque nos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut, detrimentis accipiendis, majore affici turpitudine videremur. Nunc, qua cupiditate homines in provincias, quibus[3] jacturis, quibus conditionibus proficiscantur, ignorant vide-

14. *Unius tribuni militum*. Singulis legionibus, quæ sex millibus militum constabant, sex tribuni præficiebantur, qui, interdum populi suffragiis, interdum imperatorum beneficio, creabantur.

15. *Animos ac spiritus capere*. Sufficere aviditati et arrogantiæ. Romani ipsi tyrannidis suæ historiam prodiderunt. Vid. apud Justin. lib. XXXVIII, Mithridatis verba ad omnes gentes, quas Romani sibi socias et amicas vocabant. Racinius in Mithridate adumbravit, act. III, scen. 1.

XXIII. 1. *Collatis signis*. Signa militaria sunt vexilla, sic dicta ab effigie animalium, quibus pro signis utebantur, ut lupi, equi, apri, etc. unde dictiones, *signa conferre*, *inferre*, id est, impetum facere in hostem. Legioni cuique una erat aquila, ex auro vel ex argento facta, quæ perticæ præfixa expansis alis super hastam stabat. At tot signa erant quot manipuli; hi autem triginta in legione.

2. *Ora maritima*. Id est, incolæ. — *Videbat enim*. Videbant enim incolæ ex illa pecunia nihil ad populum redire. — *Populum romanum non locupletari*. Gruter. *prætores locupletari*. Editiones vett. *populus romanus n. l.*

3. *Quibus jacturis*. Sic vocat illas largitiones pecuniarum factas in eos per quos obtineri provinciæ solebant.

licet[4] isti, qui ad unum deferenda esse omnia non arbitrantur? quasi vero Cn. Pompeium non quum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis, magnum esse videamus. Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter annos tot[5] unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant. Quod si auctoritatibus hanc causam, Quirites, confirmandam putatis; est vobis auctor[6], vir bellorum omnium maximarumque rerum peritissimus, P. Servilius, cujus tantæ res gestæ terra marique exstiterunt, ut, quum de bello deliberetis, auctor vobis gravior esse nemo debeat; est C. Curio[7], summis vestris beneficiis, maximisque rebus gestis, summo ingenio et prudentia præditus; est Cn. Lentulus[8], in quo omnes, pro amplissimis vestris honoribus, summum consilium, summam gravitatem esse cognoscitis; est C. Cassius[9], integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte[10], ut horum auctoritatibus, illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

XXIV. Quæ quum ita sint, C. Manili[1], primum

4. *Ignorant videlicet.* Ironiæ genus. Delendum videtur signum interrogationis post *arbitrantur*, reponendumque punctum.

5. *Inter annos tot.* Gruter. Schütz. Græv. *inter tot.* Subaud. imperatores, qui, ut suas locupletarent arcas, publicam rem male gesserant.

6. *Auctor.* Qui rem facere suadet. —*P. Servilius.* Cognomento Isauricus, qui annis abhinc 13 consul cum Appio Claudio fuit; quo anno Sulla dictaturam deposuit. Is, proconsul in Cilicia, Isauros domuit, cum prædonibus aliquoties conflixit, arces eorum validissimas Phaselim et Olympum evertit, Isaurumque ipsam Ciliciæ arcem delevit, unde Isauricus cognominatus est. Strabo, lib. XVI, et Florus, Epitome.

7. *C. Curio.* C. Scribonius Curio, qui cum Cn. Octavio consul fuerat, annis abhinc decem. Proconsul de Dardanis triumphavit, e Macedonia rediens. Flor. Epitom. lib. XCII.

8. *Cn. Lentulus.* Consul, ann. 681, cum Spartaco pugnaverat.

9. *C. Cassius.* Is forte qui anno ante Lentulum fuit consul.

10. Alii multi, *num.* J. V. L.

XXIV. 1. *C. Manili.* Statim ac tribunatu functus, non immerito accu-

istam tuam et legem, et voluntatem, et sententiam laudo, vehementissimeque comprobo; deinde te hortor, ut, auctore[2] populo romano, maneas in sententia, neve cujusquam vim aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi perseverantiæque arbitror; deinde quum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus, quantam[3] nunc iterum in eodem homine præficiendo videmus, quid est, quod aut de re[4], aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii, quidquid hoc beneficio populi romani, atque hac potestate prætoria, quidquid auctoritate, fide, constantia possum; id omne ad hanc rem conficiendam, tibi et populo romano polliceor ac defero: testorque omnes deos, et eos maxime, qui huic loco temploque præsident, qui omnium mentes eorum, qui ad rempublicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cujusquam, neque quo Cn. Pompeii gratiam mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi ex cujusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut adjumenta honoribus[5] quæram: propterea quod pericula facile, ut hominem præstare oportet, innocentia tecti repellemus; honores autem neque ab uno, neque ex hoc loco, sed eadem nostra

satum dicit Ascon. in Cornel. — *Voluntatem.* Hoc loco, consilium.

2. *Auctore.* Defensore.

3. Græv. e MSS. Olim, *non... vidimus.* Sed interpolata hæc esse idem non sine causa suspicatur. J. V. L. — *Præficiendo.* Exercitui, bello.

4. *De re.* De tanto viro deligendo. — *De perficiendi facultate.* Quum ex summa populi romani frequentia, summoque ejus studio, quid de promulgata lege sentiat, facile cognoscatur.

5. *Testor... honoribus quæram.* De Tullio quid opinabimur? Tantane fuit captus dementia, ut sponte rempublicam uni viro submitteret? Aut magnatibus itane fuit infensus, ut patriam inimicitiis posthaberet? Culpæ suæ suppuduit tum quum levitatis tantæ ipse pœnas lueret, et falso illam ad tribunos relegavit. Philipp. XI, c. 8: « De Cn. Pompeii imperiis, summi viri, atque omnium principis, tribuni plebis turbulenti tulerunt ».

illa laboriosissima ratione vitæ, si vestra voluntas feret, consequemur. Quamobrem[6], quidquid in hac causa mihi susceptum est, Quirites, id omne me reipublicæ causa suscepisse confirmo; tantumque abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quæsisse videar, ut multas etiam simultates partim obscuras, partim apertas intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles[7], suscepisse. Sed ego me hoc honore præditum, tantis vestris beneficiis affectum, statui, Quirites, vestram voluntatem, et reipublicæ dignitatem, et salutem provinciarum atque sociorum, meis omnibus commodis et rationibus præferre oportere.

6. *Quamobrem.* Necesse erat in causa hac, quæ non omnino a gratiæ aucupandæ suspicione abesse poterat, ut Cicero tamquam conceptis ac solemnibus verbis se unius reip. utilitatibus inservire voluisse profiteretur.

7. *Non inutiles.* Tacite videtur Lucullo et aliis, qui cum imperio hoc anno in Asiam missi sunt, quorumque simultates se ob hanc causam subiturum intelligit, denuntiare brevi fore ut per earum simultatum causam eos in judicium adducat, et plurimas res ab iis minus honeste gestas patefaciat. —*Mihi non necessarias.* Quod jam iis non egeo, ut apud vos laude crescam.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO A. CLUENTIO AVITO

ARGUMENTUM.

Anno Urbis 687, Aulum Cluentium Avitum equitem romanum ex municipio Larinate accusavit C. Oppianicus, quod Oppianicum patrem suum exsulem veneno interfecisset, idemque judices qui octo ante annis Oppianicum damnaverant pretio corrupisset. Primas autem hac in accusatione partes agebat Sassia Cluentii mater, nefariæ libidinis ac virilis audaciæ mulier, quæ non materno tantum, sed femineo omni exuto sensu, sæpius jam cum Oppianico patre insontem filium atrocissima invidia opprimere tentaverat. Ista scilicet mortuo A. Cluentio Avito, patre ejus quem Cicero defendit, primo in amorem et scelestas nuptias A. Aurium Melinum, Cluentiæ filiæ suæ conjugem, pellexit; mox vero sublato Aurio Melino, Statio Albico Oppianico ejus occisori nubit, qui ut locum sceleratis nuptiis faceret, tres suos filios necat. Neque illud ei primum scelerum fuerat tentamentum, nonnullos jam occiderat, Romæ testamenta supposuerat, socrum ipsam veneno sustulerat; qui jam ut tolleretur gravis ac importunus testis, simulque ad Sassiam hereditas filii Cluentii perveniret, Oppianicus eum veneno interimere constituit. Usus est ad eam rem Fabricio, homine scelesto et impuro. Is Scamandro liberto venenum dedit : quum ægrotaret Cluentius, medici Cleophanti servum Diogenem Fabricius spe et pretio sollicitavit, ut venenum a Scamandro acceptum Cluentio daret. Servus frugi atque integer rem ad dominum detulit, Cleophantus de facinore intentato cum Cluentio est loquutus. Is Diogenem emit a Cleophanto; venenum diebus paucis, multi viri boni quum ex occulto intervenissent, in manibus Scamandri deprehenditur. Cluentius nomen ejus defert; accusatore utitur P. Canutio. Cicero eum a Metrinatibus rogatus defendit. Scamander omnibus sententiis præter unam damnatus est. Tum Fabricius reus factus, accusatus ab eodem Canutio, defensus a fratribus Cepasiis, judicum omnium sententiis damnatur. Apud eosdem judices Oppianicus reus est factus, quum jam illis duobus præjudiciis damnatus esset. Accusavit eum Canutius; defendit L. Quintius trib. pl. Quæsitor fuit C. Junius. Oppianicus, quanquam Staleno pecuniam dede-

rat, ad corrumpendos judices, tamen, ea pecunia per Staleni fraudem et malitiam suppressa, a plurimis judicibus condemnatur; quinque fuerunt qui sibi non liquere dicerent, quinque qui absolverent. Condemnato Oppianico, publica erupit indignatio, quæ corrupti judicii Cluentium accusaret. L. Quintius tribunus plebis, totam illam rem in summam invidiam turbulentis concionibus adduxit, clamitans accepisse pecuniam judices, ut innocentem reum damnarent. In judicium tracti Junius prætor, et nonnulli judices, jam diu famosi, tum de facto hoc, tum de aliis damnantur; alii senatoria dignitate moventur, et ipse Cluentius censorum nota equestri ordine dejicitur. Neque immerito; constabat enim corruptos ab Oppianico primum judices Cluentium pluris licitatum esse, ita ut in emptione vinceret.

Octo jam annos causæ hujus infamia penitus invaluerat quum damnati Oppianici filius, idemque Sassiæ privignus Cluentii nomen detulit tum de patre sublato, tum maxime de corrupto judicio. Accusavit eum Oppianici nomine Titus Attius Pisaurensis; defendit hac oratione Cicero prætor. Acta est causa apud Q. Voconium Nasonem*, cui prætori quæstio de veneficiis obtigerat an. U. C. 687, Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss.

Plurimæ Ciceroni difficultates impugnandæ occurrebant; tum quod prævalida opinio et in omnium animis infixa erat exterminanda, tum quod plurimis præjudiciis ac censorum notis Cluentii causa damnata videbatur, tum maxime quod Cicero in nonnullis orationibus et ipse in Cluentium corruptosque ab eo judices erat invectus, ita ut ipse contra se pugnare cogeretur.

Quum igitur Cicero animadvertisset accusatorem Cluentii omnem orationem in duas partes divisisse, quarum altera niteretur invidia jam inveterata judicii Juniani, qua Cluentius errore quodam populi in suspicionem venerat, judices a se pecunia corruptos, ut Oppianicum condemnarent, altera vero ad crimen ve-

* Fuere qui duos hoc nomine homines contineri crederent, quorum alter prætor, alter judex quæstionis esset, et ita putat Heineccius, IV, 18, 14. Verum nos cum plurimis credimus auctoribus unum eumdemque fuisse virum, qui Nasonis cognomine uteretur: et Garatonii excursum hac de re huic orationi subjecimus, in quo singularia quædam continentur. Cf. etiam, si libet, Schœll. Literat. Rom. Beaufort, Rep. Rom. V, 4.

neficii pertineret, ipse quoque orationem suam sic partitur, ut primum se demonstraturum ostendat, culpam judicii corrupti a Cluentio prorsus alienam esse, deinde in diluendo veneficii crimine se versaturum esse dicat, cap. 1-4.

In *prima* igitur orationis parte, qua negatur Cluentium pecunia judicium corrupisse, quo inimicum suum innocentem Statium Albium Oppianicum condemnaret:

I. Docetur Oppianicum, maximis criminibus et gravissimis testibus in judicium vocatum esse. Itaque multæ cædes et parricidia ab eo commissa, aliaque nefaria facinora enarrantur, 5-16; ex quibus intelligi posset, eum in judicio non esse pecunia circumventum, sed potius honeste absolvi nullo modo potuisse.

Deinde II ostenditur præjudiciis in Scamandro, 17-20, et in Fabricio factis, 21, 22, necesse fuisse Oppianicum reum condemnari, præsertim ab iisdem judicibus, qui duo illa præjudicia fecissent.

Denique III demonstratur judicium non a Cluentio, sed contra Cluentium pecunia esse tentatum, 23-27; in quo simul exponitur, unde suspicio orta sit, Cluentium pecunia judices corrupisse. Id enim accidisse turbulentis Quintii concionibus, quæ effecerint, ut quæsitor Junius, et judices aliquot condemnarentur, 28-41. Neque vero falsam illam de Cluentio opinionem eo confirmari, quod censores (Gellius et Lentulus) in judices quosdam illius consilii Juniani animadverterint, 42 seqq. Denique respondetur tribus adversarii argumentis, primo quod Cn. Egnatius in testamento scripserit, idcirco se exheredasse filium, quod is ob Oppianici damnationem pecuniam accepisset, 48; secundo quod senatus universus judicaverit corruptum esse judicium, 49; tertio quod ipse Cicero (Act. I in Verr. cap. 13) confessus sit in judicio illo pecuniam esse versatam, 50, 51.

In secunda parte orationis demonstratur crimen veneficii Cluentio objectum ab eo prorsus alienum esse. In quo primum ostendit se nolle præsidio legis Semproniæ (C. Gracchi) « ne quis judicio circumveniretur » in defensione Cluentii uti, quamquam hæc lex ad senatores, non ad equites pertineat, sed potius, ipso etiam Cluentio rogante, eum facto non lege illa defensurum esse, 52 sqq. Itaque primum præter alia quædam leviora, 59, refutat falsa duorum veneficiorum, antea quæ commissa dice-

bantur, crimina Cluentio objecta, 60; deinde accedit ad illud, de quo agebatur, ostenditque Cluentium Oppianico venenum parare nec voluisse, nec potuisse; in quo præcipue Sassiæ matris ejus scelera exponuntur, 61-68. Postremo judices rogantur, ut Cluentium innocentem, tot annos in falsa invidia periculisque versatum sublevent, eumque incolumem municipio, amicis, vicinis, hostibus restituant, 69-71.

Ea est oratio in qua artis suæ vires maxime vir præclarissimus explicuit; et ipse (Orat. 30) maturam eam juvenilibus tentamentis opponit, et sæpius Quintilianus copiosissime laudat. Apud recentiores etiam Cl. *Blair* unam hanc e sapientissimis vehementissimisque orationibus prædicat. Et sane hac in causa se ipse vicit Cicero, et contra verum etiam obtinuit, quum Quintilianus, Inst. Orat. II, 17, et Rufinianus, de Fig. cap. 13, narrent Ciceronem gloriatum esse se tenebras judicibus in causa Cluentii offudisse.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
PRO A. CLUENTIO AVITO.

ORATIO QUARTADECIMA.

I. Animadverti, judices, omnem accusatoris[1] orationem in duas divisam esse partes: quarum altera mihi niti et magnopere confidere videbatur invidia jam inveterata judicii Juniani[2]; altera[3] tantummodo consuetudinis causa[4] timide et diffidenter attingere rationem veneficii criminum[5]; qua de re lege est hæc quæstio constituta. Itaque mihi certum est, hanc eamdem distributionem invidiæ et criminum, sic in

I. 1. *Accusatoris*. T. Attii Pisaurensis, quem infra nominat.

2. *Judicii Juniani*. Infamia illius judicii, quo Oppianicus, accusante Cluentio, judice quæstionis C. Junio, ante annos octo condemnatus erat; quam infamiam non dubius corrupti judicii rumor pepererat, et quia damnatus erat Oppianicus, accusatoris in eo potius quam rei culpam fuisse verisimile videbatur.

3. *Altera*. Sine causa idonea Guliehm. legi voluit « alteram ». Vulgatam tuetur Quintil. IV, 1, 36.

4. *Consuetudinis causa*. Quasi nullum insit, aut inesse debeat in eo momentum; et ob eam tantum rationem, quod de veneficii accusatione dicere necesse erat, et omnino volebat usus, quum de ea re præcipue quæstio haberetur. Accusator autem ea, quasi omnino in causa secundum obtinentia locum, leviter perstrinxerat.

5. *Criminum*. Tria veneficii crimina objiciebat accusator, ut videre est infra cap. 60 sqq. Frustra ergo cod. Franc. « et criminum »; quod videtur e sequentibus receptum.

defensione servare, ut omnes intelligant, nihil me nec subterfugere[6] voluisse reticendo, nec obscurare dicendo. Sed quum considero, quomodo mihi in utraque re sit elaborandum, altera pars, ea quæ propria est[7] judicii vestri, et legitimæ veneficii quæstionis, per mihi brevis, et non magnæ in dicendo contentionis fore videtur: altera autem, quæ procul a judicio remota est, quæ concionibus seditiose concitatis accommodatior est[8], quam tranquillis moderatisque judiciis, perspicio[9], quantum in agendo difficultatis, et quantum laboris sit habitura. Sed in hac tanta difficultate illa me res tamen, judices, consolatur, quod vos de criminibus sic audire consuestis, ut eorum omnem dissolutionem[10] ab oratore quæratis; ut non existimetis, plus vos[11] ad salutem reo largiri oportere, quam quantum defensor, purgandis criminibus, consequi et dicendo probare potuerit. De invidia autem sic inter vos disceptare debetis, ut non, quid dicatur a nobis, sed quid oporteat dici, consideretis. Agitur enim in criminibus, A. Cluentii proprium periculum; in invidia, causa communis[12]. Quamobrem alteram partem causæ sic agemus, ut vos doceamus; alteram

6. *Subterfugere.* Nam callide possem tacere de re ad causam non pertinente, quæ multam invidiam conflavit Cluentio, et ejus causam valde suspectam effecit. — *Obscurare.* Quod accusator fecit, qui tantum, quasi consuetudinis causa, tetigit rem et verbis multis involvit, quæ e lege et e consilio ipsius quæstionis maximi erat momenti.

7. *Propria est.* De qua quæstio constituta est, et ideo de qua sententiam laturi sunt judices.

8. *Accommodatior est.* His alluditur turbulentis Quintii tribuni in Cluentium ac Oppianici judices conviciis.

9. Sic Ern. e MS Lambini reposuit. Vulgo autem legitur *prospicio.* J.V. L.

10. *Dissolutionem.* Purgationem. Quum accusator reo crimina objicit, non continuo creditis, sed exspectatis donec ea rei patronus dissolverit.

11. *Plus vos.* Et postquam objecta diluentem patronum audivistis, non ideo vos magis reo favetis, quam quantum ex ejus defensione ac innocentiæ argumentis facere posse arbitramini.

12. *Causa communis.* Nam si propter inveteratam invidiam damnatur Cluentius, cui non idem periculum impendet?

sic, ut oremus [13] : in altera, diligentia vestra [14] nobis adjungenda est; in altera, fides imploranda. Nemo est enim, qui invidiæ, sine vestro, ac sine talium virorum subsidio, possit resistere. Equidem quod ad me attinet [15], quo me vertam, nescio. Negem fuisse illam infamiam judicii corrupti ? negem illam rem agitatam in concionibus [16]? jactatam in judiciis ? commemoratam in senatu? Evellam ex animis hominum tantam opinionem? tam penitus insitam? tam vetustam? Non est nostri ingenii; vestri auxilii est, judices, hujus innocentiæ sic in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma, atque in communi incendio subvenire.

II. Etenim sicut aliis in locis [1] parum firmamenti et parum virium veritas [2] habet; sic in hoc loco falsa invidia imbecilla esse debet. Dominetur [3] in concionibus, jaceat in judiciis; valeat in opinionibus ac sermonibus imperitorum, ab ingeniis prudentium repudietur; vehementes habeat repentinos impetus [4], spatio interposito et causa cognita consenescat. Denique illa definitio judiciorum æquorum, quæ nobis a majoribus

13. *Ut oremus*. Tota enim bæc pars vestræ voluntatis erit.

14. *Diligentia vestra*. Attentio ad ea quæ dicam. — *Fides*. Integritas ea, quam præstare jurati judices debent; oe bominem falsa invidia circumventum opprimi sinant.

15. *Quod ad me attinet*. Opponitor hoc iis quæ a judicibus sunt facieoda.

16. *In concionibus*. A Quintio, quum populus ad rem vocari jussit.— *In judiciis*. Quum in corruptos judiees legibus est animadversum.—*In senatu*. Quom nooolli senatores ob banc corruptionis infamiam a censoribus loco moti sunt.— *Vestri auxilii est*. Ad vestram fidem pertinet Cluentii innocentiam sublevare, atque ex hoc opinionum et invidiæ furore eripere, quasi ex ineendio quod omues jam est involuturum.

II. 1. *Aliis in locis*. Io coocionibos maxime.

2. *Veritas*. Sic MSS Victorii, sex Palat. duo Parisienses, al. Olim, *falsitas*. J. V. L.—*In hoc loco*. In judicio, ubi facta sola æstimantur.

3. *Dominetur*. Non multum recusamus quin apud populum regnet. Non jubentis hoc est, sed concedentis.

4. *Repentinos impetus*. Delata ad bomioem sinistra de altero fama, et odium buic inde conflatum vehementer illios animom ab initio moveat.— *Consenescat*. Languescat jam et turpeat, contemni et leve haberi incipiat.

tradita est, retineatur, ut in judiciis[5] et sine invidia culpa plectatur, et sine culpa invidia ponatur. Quamobrem a vobis, judices, antequam de ipsa causa dicere incipio, hæc postulo : primum id, quod æquissimum est, ut ne quid huc præjudicati afferatis. Etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen judicum amittemus[6], nisi hic ex ipsis causis judicabimus, ac si ad causas judicia jam facta domo deferemus. Deinde si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si oratio[7] labefactabit, si denique veritas extorquebit : ne repugnetis, eamque animis vestris aut libentibus[8], aut æquis remittatis. Tum autem, quum ego unaquaque de re dicam, et diluam, ne ipsi[9], quæ contraria sunt, taciti cogitationi vestræ subjiciatis; sed ad extremum exspectetis, et me meum dicendi ordinem servare patiamini : quum peroraro, tum, si quid erit præteritum, a me requiratis.

III. Ego me, judices, ad eam causam accedere, quæ jam per annos octo[1] continuos ex contraria[2] parte audiatur, atque ipsa opinione hominum tacita prope

5. *Ut in judiciis.* Judices, posito omni odio, in scelus animadvertant; iidemque, scelere non exstante, omnem ponant præoccupatam opinionem.

6. *Nomen judicum amittemus.* Nam ex aliorum sententia, non nostra judicium feremus. Quintilianus V, in præjudiciorum refutatione dicit rogandos esse patrono judices, ut rem potius intueantur ipsam, quam jurijurando alieno suum donent.

7. Ita Lambin. e cod. S. Victoris, atque ita cod. e regiis optimus. Edd. vett. repetunt *ratio*. J. V. L.

8. *Aut libentibus.* Si non gaudentes, altem sine desiderio.

9. *Ne ipsi.* Vos, quæso, ne in intimo corde iis, quæ a me dicentur, alia taciti objiciatis; verum exspectetis donec defensionem peregero.

III. 1. *Per annos octo.* Anni effluxerant octo ab Oppianici damnatione ad consulatum Lepidi et Tulli, quo anno orationem hanc habuit Cicero. Inde constat causam dixisse Oppianicum, L. Lucullo, M. Cotta coss. quo anno tribunus plebis fuit Quintius, Oppianici et ad judices, et ad populum defensor.

2. *Ex contraria parte.* Propter sermones ab adversariis Cluentii disseminatos.

convicta atque damnata sit, facile intelligo : sed, si quis mihi deus vestram ad me audiendum benivolentiam conciliarit; efficiam profecto, ut intelligatis, nihil esse homini tam timendum, quam invidiam[3]; nihil innocenti, suscepta invidia, tam optandum, quam æquum judicium, quod in hoc uno denique falsæ infamiæ finis aliquis atque exitus reperiatur. Quamobrem magna me spes tenet, si ea, quæ sunt in causa, explicare, atque omnia dicendo consequi potuero, hunc locum consessumque vestrum, quem illi horribilem A. Cluentio, ac formidolosum fore putaverunt, eum tandem ejus fortunæ miseræ multumque jactatæ portum ac perfugium futurum. Tametsi permulta sunt, quæ mihi, antequam de causa dicam, de communibus invidiæ periculis dicenda esse videantur; tamen, ne diutius oratione mea suspensa exspectatio vestra teneatur, aggrediar ad crimen[4] cum illa deprecatione[5], judices, qua mihi sæpius utendum esse intelligo, sic ut me audiatis, quasi hoc tempore hæc causa primum dicatur, sicuti dicitur; non quasi sæpe jam dicta[6], et numquam probata sit. Hodierno enim die primum veteris istius criminis diluendi potestas est data : ante hoc tempus error in hac causa, atque invidia versata est. Quamobrem dum multorum an-

3. *Invidiam*. Odium nempe e sinistro rumore vel calumnia susceptum, quod deinde dicit *falsam infamiam*.

4. *Ad crimen*. Corrupti judicii, quo damnatus est Oppianicus, et cujus inveterata opinione laborabat Cluentius.

5. *Cum illa deprecatione*. Duo simul a judicibus petit; tum, ut existiment, causam de corrupto judicio eo primum die defendi, cujus nemo antea defensionem peregerit; tum ne putent defensam jam sæpe, quum judices accusarentur, qui dicebantur fuisse corrupti. Defensa porro antea causa hæc non fuerat, vel injuria Quintii tribuni plebis, vel quia non de illo crimine accusationes reliquæ institutæ sunt; ita ut res in integro semper fuerit.

6. *Sæpe jam dicta*. Quotiescumque ii damnati sunt, qui de Oppianico judicaverunt; neque enim ea, quasi præjudicia in Cluentium sequenda, multis infra contendit orator. — *Numquam probata*. Semper damnata.

norum[7] accusationi breviter dilucideque respondeo, quæso, ut me, judices, sicuti facere instituistis, benigne attenteque[8] audiatis.

IV. Corrupisse dicitur[1] A. Cluentius judicium pecunia, quo inimicum suum innocentem, Statium Albium, condemnaret. Ostendam, judices, primum, quoniam caput illius atrocitatis[2] atque invidiæ fuit, innocentem pecunia circumventum, neminem umquam majoribus criminibus, gravioribus[3] testibus esse in judicium vocatum; deinde ea de eo præjudicia esse facta ab ipsis judicibus, a quibus condemnatus est, ut non modo ab iisdem, sed ne ab aliis quidem ullis, absolvi ullo modo posset. Quum hæc docuero, tum illud ostendam, quod maxime requiri intelligo, judicium illud pecunia esse tentatum, non a Cluentio, sed contra Cluentium; faciamque, ut intelligatis, in tota illa causa quid res ipsa tulerit[4], quid error affinxerit, quid invidia conflarit[5].

7. *Multorum annorum.* Eadem ratione apud Platonem utitur in Apologia Socrates: « Reputate, viri Athenienses, mihi accusatorum duo genera esse impugnanda; quorum alterum nunc primum nomen meum defert; alterum jamdudum me calumniatur. His ergo primo respondeam necesse, quos sæpius ac diutius jam audieritis: nunc brevi temporis momento illa refellam oportet, quorum invidia multis jam annis obruor ».

8. *Benigne attenteque audiatis.* Quorum alterum boni viri, alterum boni judicis est.

IV. 1. *Corrupisse dicitur.* Jam eam causæ partem aggreditur orator, quæ, quamvis extra rem ipsam posita videatur, maxime ad eam pertinet. Maximi enim erat momenti judicibus non a Cluentio corruptum judicium fuisse probare; quippe quibus æquioribus in reliqua causa usurus esset Cicero. Eo magis valebat hæc ad causam præmunitio, quod vel ceteris de rebus innocenti Cluentio, hac una re non satis demonstrata gravissima omnino pœna poterat iudici, et ille tamquam veneficii reus damnari, hac una de causa quod judicium corrupisse constaret. Conf. infra cap. 34.

2. *Illius atrocitatis.* Infamiæ contra Cluentium excitatæ.

3. *Gravioribus.* Fide dignioribus.

4. *Res ipsa tulerit.* Quid re ipsa evenerit. — *Error affinxerit.* Errore creditum est, quum in judicio pecunia versata esset, non ab eo datam, qui damnatus est, sed ab eo qui accusavit.

5. *Invidia conflarit.* Quintilianus, IV, 5, memorat fuisse, qui hanc partitionem reprehenderent. Sed injustam

Primum igitur illud est, ex quo intelligi possit, debuisse Cluentium magnopere causæ confidere, quod certissimis criminibus et testibus fretus ad accusandum descenderit[6]. Hoc loco faciendum mihi, judices, est, ut vobis breviter illa, quibus Albius condemnatus est, crimina exponam. Abs te peto, Oppianice, ut me invitum de patris tui causa dicere existimes, adductum fide atque officio defensionis[7]. Etenim tibi si in præsentia satisfacere non potuero, tamen multæ mihi ad satisfaciendum reliquo tempore facultates dabuntur: Cluentio nisi nunc satisfecero, postea mihi satisfaciendi potestas non erit. Simul et illud quis est qui dubitare debeat, contra damnatum et mortuum, pro incolumi[8] et vivo dicere; quum illi, in quem dicitur, damnatio omne ignominiæ periculum[9] jam abstulerit, mors vero etiam doloris; huic autem, pro quo dicitur, nihil possit offensionis accedere sine acerbissimo animi sensu ac dolore, et sine summo dedecore vitæ ac turpitudine? Atque, ut intelligatis, Cluentium non accusatorio animo, non ostentatione[10] aliqua aut

fuisse obtrectationem hanc jam Gesnerus ad h. l. monuit, et illud animadverti satis est, his duobus primis constitutis momentis, facile tertium probari. Vide etiam primam notam hujus capitis.

6. *Descenderit.* Nam exponitur id, quo confirmatur, quod modo dictum est, neminem umquam majoribus criminibus esse in judicium vocatum.

7. *Officio defensionis.* Quam clienti Cluentio servare debet Cicero, et proderet, si Oppianici patris crimina reticeret.

8. *Incolumi.* Verbum hoc opponitur damnato, ut pro Archia: « Quum Gabinii, quam diu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas omnem tabularum fidem resignasset ».

9. *Ignominiæ periculum.* Nihil jam ei ab infamia metuendum relinquit, quæ ultra grassari non potest. Damnato enim, quum capite sit diminutus, nec jam inter vivos habeatur, hoc ipso facto, nullum jam est decus tuendum; quippe quod ei omne ademit condemnatio. Verum non ideo miseri ac mortui ruina crescendum, quod jam abunde sit infamis, neque ultra possit defendi. Ceterum sæpius hac in oratione notandum occurret, Ciceronem nulli rei magis quam causæ huic servire.

10. *Ostentatione.* Ut ingenium ostentaret; aut gloriæ cupidine adductum, quæ juvenes multos ad accusandum impulit.

gloria adductum, sed nefariis injuriis, quotidianis insidiis, proposito ante oculos vitæ periculo, nomen Oppianici detulisse, paullo longius exordium rei demonstrandæ repetam : quod quæso, judices, ne moleste patiamini. Principiis enim cognitis, multo facilius extrema intelligetis.

V. A. Clentius Avitus fuit, pater hujusce, judices, homo non solum municipii Larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius et vicinitatis, virtute[1], existimatione, nobilitate facile princeps. Is quum esset mortuus, Sulla et Pompeio consulibus[2], reliquit hunc annos XV natum, grandem autem et nubilem filiam : quæ brevi tempore post patris mortem nupsit A. Aurio Melino, consobrino suo, adolescenti in primis, ut tum habebatur, inter suos et honesto[3], et nobili. Quum essent hæ nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, repente est exorta mulieris importunæ nefaria libido, non solum dedecore, verum etiam scelere conjuncta[4]. Nam Sassia, mater hujus Aviti (mater enim a me [nominis causa], tametsi in hunc hostili odio et crudelitate est, mater, inquam, appellabitur; neque umquam illa ita de suo scelere et immanitate audiet, ut naturæ nomen[5] amittat : quo enim est

V. 1. *Virtute*. Probitate et animi constantia.

2. *Sulla et Pompeio coss.* Qui ann. U. C. 665 consulatum gessere; quo anno Mithridates Romanos in Asia trucidandos curavit.

3. *Honesto*. Bonæ existimationis, ut tum ferebant; paucis enim abhinc annis ab uxore discessit, ut fœdas cum socru nuptias iniret. Benjam. Weisk. putat h. l. de divite intelligi; et *honestum* sensu morali et philosophico, magis de actionibus hominum dici, quam de hominibus ipsis. Verum multa exempla contra B. Weisk. faciunt, nec ipse favet, ut aiunt, contextus.

4. *Conjuncta*. Hoc recte optimi interpretes, excepto Grævio, legi volunt et edd. habent pro vulgato *convincta*. Bene Garatonius affert locum e Phil. lib. V, cap. 7 : « hujus mendicitas aviditate conjuncta ».

5. *Naturæ nomen*. Ex hoc forte verbo pendet *nominis causa*, quod, ut insititium, Ernestio auctore, uncinis inclusimus. Pro eo Lambinus edidit *in omni causa*, e MSS, ut ait, sed multo pejus. J. V. L.

ipsum nomen amantius indulgentiusque maternum, hoc illius matris, quæ multos jam annos, et nunc quum maxime filium interfectum cupit, singulare scelus, majore odio dignum esse ducetis); ea igitur mater Aviti, Melini illius adolescentis, generi sui, contra quam fas erat, amore capta, primo (neque id ipsum diu), quoquo modo poterat, in illa cupiditate continebatur: deinde ita flagrare cœpit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor[6], non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, non filii dolor, non filiæ mœror a cupiditate revocaret. Animum adolescentis, nondum consilio ac ratione firmatum, pellexit iis omnibus rebus, quibus illa ætas capi ac deliniri potest.

Filia, quæ non solum illo communi dolore muliebri[7] in ejusmodi viri injuriis angeretur, sed nefarium matris pellicatum ferre non posset, de quo ne queri quidem[8] sine scelere se posse arbitraretur, ceteros sui tanti mali ignaros esse cupiebat; in hujus amantissimi sui fratris manibus et gremio, mœrore et lacrymis consenescebat. Ecce autem subitum divortium; quod solatium[9] malorum omnium fore videbatur. Discedit a Melino Cluentia, ut in tantis injuriis, non invita; ut a viro, non libenter. Tum vero illa egregia ac præclara mater palam exsultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit, victrix filiæ, non libidinis. Itaque diutius suspicionibus obscuris[10] lædi famam suam

6. *Non pudor.* Qui ad animum, ut pudicitia ad corpus, pertinet.—*Pietas.* Maternus amor.

7. *Dolore muliebri.* Qui, ut in tali re, nulli non mulieri a viro desertæ peculiaris est.

8. *Ne queri quidem.* Quia Sassia ejus mater erat. Sic ad Attic. II: « Eo sum miserior, quod mihi non modo irasci, gravissima injuria accepta, sed ne dolere quidem impune liceat ».

9. *Quod solatium.* Nempe pellicem matrem non jam visuræ.

10. *Suspicionibus obscuris.* Paullo obscurior infamia non jam hujus furori satis est; vult media in luce versari.

noluit: lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni, expulsa atque exturbata filia, jubet. Nubit genero socrus[11], nullis auspicibus[12], nullis[13] auctoribus, funestis ominibus omnium!

VI. O mulieris scelus incredibile[1], et, præter hanc unam, in omni vita inauditum! o libidinem effrenatam et indomitam! o audaciam singularem! non timuisse, si minus vim deorum[2], hominumque famam, at illam ipsam noctem facesque[3] illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes[4] denique ipsos, superiorum testes nuptiarum? Perfregit ac pro-

11. *Genero socrus.* Ad h. l. observat Quintilianus III, stomachum judicis attenta auditione fatigatum, in narratione, sententia brevi interjecta, reficere utile esse.

12. *Auspicibus.* Illos nuptiis adhiberi solitos esse constat: unde Valerius Maximus, lib. II, titulo de Institutis antiquis: « Apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto. Quo ex more nuptiis etiam nunc auspices interponuntur, qui, quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpantur ». Ald. habet « auspiciis ». Male, ut ex sequentibus verbis videtur.

13. *Nullis auctoribus.* Mulier qualibet ætate necesse erat cognatos ac tutores adhiberet, qui suo consensu auctoritatem matrimonio adderent. Sic Terent. Adelph. IV, 8: « quis despondit? quis dedit? Cui quando nupsit? auctor his rebus quis est? »

VI. 1. *Scelus incredibile.* Nihil, inquit Quintilianus, IV, tam consequens est quam narrationi confirmatio; nisi egressio illa vel quasi finis narrationis, vel quasi initium confirmationis est. Erit ergo illi nonnunquam locus, ut si expositio circa finem atrox fuerit, prosequamur eam, velut spiritu erumpente protinus admiratione, ... Verum excursio in narratione non esse debet nisi brevis et talis, ut vi quadam videamur affecti, et velut recto itinere depulsi, qualis est Ciceronis circa nuptias Sassiæ, etc.

2. *Vim deorum.* Divinam ultionem.

3. *Faces.* In nuptiis quinque faces ex spina alba a quinque pueris matrimis et patrimis ferri solitas, propterea quod inter cetera, quinque erant conciliandа numina, Jupiter, Juno, Venus, Suada ac Lucina, tradit Plutarchus in Quæstion. rom.— *Limen cubiculi.* Ubi proxime nova sponsa mariti limen accesserat, manibus trans limen ferebatur, ne, inquit Servius ad Virg. Eclog. VIII, a sacrilegio inchoarent, si depositurae virginitatem calcent rem Vestæ, i. e. numini castissime consecratam.

4. *Parietes.* Eadem usus est figura noster Racinius quum his verbis Phædram loquentem inducit:

Il me semble déja que ces murs, que ces voûtes
Vont prendre la parole, et prêts à m'accuser,
Attendent mon époux pour le désabuser.

stravit omnia cupiditate ac furore : vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Tulit hoc commune dedecus jam[5] familiæ, cognationis, nominis, graviter filius; augebatur autem ejus molestia quotidianis querimoniis et assiduo fletu sororis : statuit tamen nihil sibi, in tantis injuriis ac tanto scelere matris, gravius[6] faciendum, quam ut illa matre ne uteretur[7] : ne, quam videre sine summo animi dolore non poterat, ea si matre uteretur, non solum[8] videre, sed etiam probare suo judicio putaretur.

Initium quod huic cum matre fuerit simultatis, audistis. Pertinuisse[9] hoc ad causam, tunc, quum reliqua cognoveritis, intelligetis. Nam illud me non præterit, cujusmodicumque mater sit, tamen in judicio filii de turpitudine parentis dici vix oportere[10]. Non essem ad ullam causam idoneus, judices, si hoc, quod in communibus hominum sensibus atque in ipsa natura positum atque infixum est, id ego, quum ad amici

5. *Jam.* Delevit Græv. et Schütz. verum, ut defendit Ernestius, idem est quod dedecus, quod jam esset commune.

6. *Gravius.* Erga matrem durius, acerbius.

7. *Ne uteretur.* Ne familiariter eam frequentaret.

8. *Non solum videre.* Non solum ejus flagitiorum testis esse, verum etiam ea comprobare videretur.

9. *Pertinuisse.* Necesse fuisse intelligetis ut a me exponeretur, neque enim temere aut accusatorie dixi, sed ut materni in Cluentium odii originem demonstrarem.

10. *Vix oportere.* « Illa, auctore Quintiliano, quæ sunt natura parum speciosa, quæque non dicere, si utrumlibet esset liberum, maluissemus, non tamen indecora sint dicentibus. Quid asperiorem habere frontem potest, aut quid aures hominum magis respuunt, quam quum est filio filiive advocatis in matrem perorandum? Aliquando tamen necesse est, ut in causa Cluentii Aviti, sed non semper illa via, qua contra Sassiam Cicero usus est; non quia non ille optime, sed quia plurimum refert, qua in re, et quomodo lædat. Itaque illa quum filii caput palam impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen quæ sola superarent, divine Cicero servavit. Primum ne oblivisceretur reverentiæ, quæ parentibus debetur; deinde ut, repetitis altius causis, diligentissime ostenderet, quam id quod erat in matrem dicturus, non oporteret modo fieri, sed etiam necesse esset. Fecit itaque nomen parentis non filio invidiosum, sed ipsi in quam dicebatur. »

pericula depellenda adhiberer, non viderem. Facile intelligo, non modo reticere homines parentum injurias, sed etiam animo æquo[11] ferre oportere. Sed ego ea, quæ ferri possunt, ferenda; quæ taceri, tacenda esse arbitror. Nihil in vita vidit calamitatis A. Cluentius, nullum periculum mortis adiit, nihil mali timuit, quod non totum a matre esset conflatum et perfectum[12]. Quæ hoc tempore sileret omnia, atque ea, si oblivione non posset, tamen taciturnitate sua tecta esse pateretur : sed ea vero sic agit, ut prorsus reticere nullo modo possit. Hoc enim ipsum judicium, hoc periculum, illa accusatio[13], omnis testium copia, quæ futura est, a matre initio est adornata[14], a matre hoc tempore instruitur, atque omnibus ejus opibus et copiis comparatur : ipsa denique nuper Larino, hujus opprimendi causa, Romam advolavit. Præsto est mulier audax, pecuniosa, crudelis : instituit accusatores[15]; instruit testes; squalore hujus[16] et sordibus lætatur; exitium exoptat; sanguinem suum profundere omnem cupit[17], dummodo profusum hujus ante videat. Hæc nisi omnia perspexeritis in causa, temere[18]

11. *Animo æquo*. Parentibus enim, ut idem Cicero ait, et patriæ nunquam est irascendum.

12. Sic multæ vett. edd. Lallem. post Gruter. et Græv. retinuit *profectum*, quod minus significat. J. V. L.

13. *Illa accusatio*. Nempe digito accusatores demonstrat. Duo hæc verba Gulielmius glossam habebat, probantibus Gruter. et Ernest. at *periculum* h. l. vocabulum est generis, *illa accusatio* refertur ad illos ipsos qui accusabant; sic infra « instituit accusatores, etc. »

14. *Adornata*. Comparata et subornata.

15. *Instituit accusatores*. Eos sibi pecuniis parat. Sunt qui verba « instituit » et « instruit » loco mutaverunt, ut infra cap. 67. Grævius e duobus MSS malebat « instituit accusatores; instituit testes ».

16. *Squalore hujus*. Reos in forum pulla veste indutos ad movendam judicum misericordiam prodire nulli ignotum; et novum exemplum in recens eruta Rabir. oratione invenias.

17. *Cupit*. Atrocissimi odii est significatio ac cumulus, quum gravissima non deprecetur Sassia illa, dummodo et ipse filius subeat.

18. *Temere*. Imprudenter et male actum, quod ejus in hoc judicio nomen recitaverim.

a nobis illam appellari putatote : sin autem erunt et aperta et nefaria, Cluentio ignoscere debetis, quod hæc a me dici patiatur; mihi ignoscere non deberetis, si tacerem.

VII. Nunc jam summatim exponam, quibus criminibus[1] Oppianicus damnatus sit; ut et constantiam[2] A. Cluentii, et rationem accusationis perspicere possitis. Ac primum causa accusandi quæ fuerit, ostendam; ut id ipsum A. Cluentium vi[3] et necessitate coactum fecisse videatis.

Quum manifesto venenum deprehendisset[4], quod vir matris Oppianicus ei paravisset, et res non conjectura, sed oculis ac manibus teneretur, neque in causa ulla dubitatio posset esse; accusavit Oppianicum. Quam constanter, et quam diligenter, postea dicam : nunc hoc scire vos volui, nullam huic aliam accusandi causam fuisse, nisi uti propositum vitæ periculum et quotidianas capitis insidias hac una ratione[5] vitaret. Atque, ut intelligatis, his accusatum esse criminibus Oppianicum, ut neque accusator timere, neque reus sperare debuerit : pauca[6] vobis illius judicii crimina exponam; quibus cognitis, nemo vestrum mirabitur, illum, diffidentem rebus suis, ad Stalenum[7] atque ad pecuniam confugisse.

VII. 1. *Quibus criminibus.* Non unum veneficii crimen, sed plurima objecit Oppianico Cluentius.

2. *Constantiam.* In accusando firmam, ac perseverantem agendi rationem, qua liber ac nulli obnoxius accusator demonstratur. Quod non fuisset, si judices corrupisset. Sic infra eodem sensu usurpatur *constanter.* — *Rationem accusationis.* Accusandi consilium, gallice, *le plan, le système.*

3. *Vi et necessitate.* Non accusatoris animo, neque ostentatione, sed sola propriæ salutis causa adductum ad Oppianici vitrici sui accusationem venisse.

4. *Deprehendisset.* In Scamandri manibus, qui propterea damnatus est.

5. *Una ratione.* Quæ unica erat insidias vitandi ratio. Nescio cur Ernestio nullam vim habere videatur.

6. *Pauca.* Ut plura restare intelligant judices.

7. *Stalenum.* Quem primum judicem

Larinas quædam fuit Dinea, socrus Oppianici; quæ filios habuit M. et Numerium Aurios, et Cn. Magium [8], et filiam Magiam, nuptam Oppianico. M. Aurius adolescentulus, bello Italico [9] captus apud Asculum, in Q. Sergii senatoris, ejus, qui inter sicarios damnatus est, manus incidit, et apud eum fuit in ergastulo. Numerius autem Aurius frater mortuus est, heredemque Cn. Magium, fratrem suum, reliquit. Postea Magia, uxor Oppianici, mortua est : postremo unus, qui reliquus erat Dineæ filius, Cn. Magius, est mortuus. Is fecit heredem illum adolescentem Oppianicum, sororis suæ filium, eumque partiri cum Dinea matre jussit. Interim venit index ad Dineam, neque obscurus, neque incertus, qui nuntiaret ei, filium ejus, M. Aurium, vivere, et in agro Gallico esse, in servitute [10]. Mulier, amissis liberis, quum unius filii recuperandi spes esset ostentata, omnes suos propinquos, filiique sui necessarios convocavit, et ab iis flens petivit, ut negotium susciperent, adolescentem investigarent, sibi restituerent eum filium, quem tantum [11] unum ex multis fortuna reliquum esse voluisset. Hæc quum agere instituisset, oppressa morbo est. Itaque testamentum fecit ejusmodi, ut illi filio H-S ccccıↄↄↄↄ [millia [12]] le-

ad ceteros corrumpendos judices sequestrem habuerat. Scriptum olim fuerat *Staienum*, quod defendit doctissimus Niebuhr. in recens editis fragmentis. Nonnulli editores sic etiam exscribunt.

8. *Cn. Magium.* Ex alio viro; ita ut Aurii ex Aurio, Magii ex Magio nati essent.

9. *Bello Italico.* Larinatibus contra Romanos pugnantibus.

10. *In servitute.* Quamvis fœdere reddi captivi debuissent, curabant ut eos in longinquas terras aveherent, unde nullus eis servili carcere inclusis patebat exitus. Imo narrat Suetonius in Augusto, cap. 32, per vias a nonnullis colonis rapi viatores, qui deinde nullo discrimine in ergastula servituri conjicerentur.

11. Alii, *tum*. Beck. e cod. uno et edd. vett. *tamen*. J. V. L.

12. *Millia.* Verbum hoc inepte additum videtur, quum signis numeralibus expressa summa jam satis magna esse videatur (circ. 200,000 fr.)

garet, heredem institueret eumdem illum Oppianicum, nepotem suum. Atque his diebus paucis[13] est mortua. Propinqui tamen illi, quemadmodum viva Dinea instituerant, ita, mortua illa, ad investigandum Aurium cum eodem illo indice in agrum Gallicum profecti sunt.

VIII. Interim Oppianicus, ut erat, sicuti multis ex rebus reperietis, singulari scelere et audacia, per quemdam Gallicanum[1], familiarem suum, primum illum indicem pecunia corrupit : deinde ipsum Aurium, non magna jactura[2] facta, tollendum interficiendumque curavit. Illi autem, qui erant ad propinquum investigandum et recuperandum profecti, literas Larinum ad Aurios, illius adolescentis propinquos, suosque necessarios mittunt; sibi difficilem esse investigandi rationem, quod intelligerent indicem ab Oppianico esse corruptum. Quas literas A. Aurius, vir fortis et experiens[3], et domi nobilis, M. illius Aurii propinquus, in foro, palam, multis audientibus, quum adesset Oppianicus, recitat, et clarissima voce, se nomen Oppianici, si interfectum M. Aurium comperisset, delaturum esse testatur. Interim brevi tempore illi, qui erant in agrum Gallicum profecti, Larinum revertuntur : interfectum esse M. Aurium renuntiant. Animi non solum propinquorum, sed etiam omnium Larinatium odio Oppianici, et illius adolescentis misericordia, commoventur. Itaque quum A. Aurius,

13. *Nepotem suum*. Filiæ suæ Magiæ filium. — *His diebus paucis*. Nec multis interjectis diebus hisce, quibus testamentum fecerat.

VIII. 1. *Gallicanum*. Qui primum Gallus fuerat, deinde, quum in Italiam habitatum venisset, non amplius Gallus, sed Gallicanus esse cœpit; quemadmodum de avo Pisonis materno dixit Cicero; prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo semiplacentinus haberi cœptus est.

2. *Non magna jactura*. Parvo sumptu, non magno pretio.

3. *Experiens*. Longo rerum usu valens.

qui antea denuntiarat[4], clamore hominem ac minis insequi cœpisset; Larino profugit, et se in castra clarissimi viri, Q. Metelli[5], contulit. Post illam fugam, et sceleris et conscientiæ testem[6], numquam se judiciis, numquam legibus, numquam inermem inimicis committere ausus est : sed per illam L. Sullæ vim atque victoriam, Larinum in summo timore omnium cum armatis advolavit; quatuor viros[7], quos municipes fecerant, sustulit; se a Sulla, et alios præterea tres, factos esse dixit, et ab eodem sibi esse imperatum, ut Aurium illum, qui sibi delationem nominis, et capitis periculum ostentarat, et alterum Aurium, et ejus C. filium, et Sext. Virbium, quo sequestre[8] in illo indice corrumpendo dicebatur esse usus, proscribendos interficiendosque curaret. Itaque, illis crudelissime interfectis, non mediocri ab eo ceteri proscriptionis et mortis metu terrebantur. His rebus in[9] causa judicioque patefactis, qui est, qui illum absolvi potuisse arbitraretur?

IX. Atque hæc parva sunt : cognoscite reliqua; ut non aliquando condemnatum esse Oppianicum, sed aliquamdiu incolumem fuisse miremini. Primum videte hominis audaciam. Sassiam in matrimonium ducere,

4. *Denuntiarat.* Qul prædixerat ac minatus erat se Oppianici nomeo delaturum.

5. *Q. Metelli.* T. Livio auetore, Q. Metellus Pius partes uptimatum sequutus, caatra io Africa habuit, nun multo ante L. Sullæ vietoriam.

6. *Conscientiæ testem.* Hac ratione in Milnoiana, cap. 23, lunocentem Milunem ob id maxime esse euntendit, quod postero die quam insidiatorem Clodium oecaverat, nullo meto perterritum, oulla conscientia exanimatom Romam revertisse, et populo rom. ac senatui se tradidisse dieit.

7. *Quatuor viros.* Dieuntur ii, ut alias doumviri, alias triumviri, seviri (h. e. sex viri), octoviri ; ii erant in monieipiis magistratus, qui summa cum potestate præessent.

8. *Quo sequestre.* Quem ministrum et ioterpretem adhibuerat, et ideo proscriptione invulvit, ut sceleris index tolleretur.

9. *In causa.* Oppianici.—*Arbitraretur.* B. Weisk. reposuit *arbitretur.*

Aviti matrem, illam, cujus virum A. Aurium[1] occiderat, concupivit. Utrum impudentior hic, qui postulet[2], an crudelior illa, si nubat, difficile dictu est. Sed tamen utriusque humanitatem constantiamque cognoscite. Petit Oppianicus, ut sibi Sassia nubat, et id magnopere contendit. Illa autem non admiratur audaciam, non impudentiam aspernatur, non denique illam Oppianici domum[3], viri sui sanguine redundantem, reformidat: sed quod haberet tres[4] ille filios, idcirco se ab his nuptiis abhorrere respondit. Oppianicus, qui pecuniam Sassiæ concupivisset, domo[5] sibi quærendum remedium existimavit ad eam moram, quæ nuptiis afferebatur. Nam, quum haberet ex Novia[6] infantem filium; alter autem ejus filius, Papia natus, Teani Apuli[7], quod abest a Larino XVIII millia passuum, apud matrem educaretur; arcessit subito sine causa puerum Teano: quod facere, nisi ludis publicis, aut festis diebus, antea non solebat. Mater, nihil mali misera suspicans, mittit. Ille se Tarentum proficisci quum simulasset, eo ipso die puer, quum

IX. 1. *A. Aurium.* Is non est, opinor, A. Aurius vir fortis quem proscribendum Oppianicus curaverat: hic autem adolescens erat, cujus cædem ideo in transcursu tantum nominat Cicero, ut putent judices multa Oppianici crimina prætermitti. Manutius tamen contra sentit.

2. *Postulet.* Ut ea sibi nubat, cujus maritum occiderat. — *Crudelior.* Quia hoc matrimonio prioris conjugis necem sancire ac comprobare visa fuerit.

3. Codd. Palat. duo, « Oppianici dexteram ». J. V. L.

4. *Tres ille filios.* Unum ex Magia, nomine Oppianicum, quem accusationis hujus auctorem sæpius in hac oratione memorat Cicero; alterum ex Papia, tertium ex Novia natum, qui duo a patre fuerunt interfecti.

5. *Domo.* Ex familia, ex filiorum cæde.

6. *Novia.* Sex uxores duxerat Oppianicus: 1° Noviam, tunc temporis mortuam; 2° Papiam, superstitem, quam repudiarat; 3° Cluentiam Cluentii rei ex patre amitam; 4° Magiam, Auriorum sororem, quæ ei filium Oppianicum genuerat; 5° Cn. Magii soceri viduam; 6° Sassiam ejusdem Cluentii matrem.

7. *Teani Apuli.* Teanum Italiæ oppidum est duplex: est enim Teanum Sidicinum, in Appia via positum,

hora undecima[8] in publico valens visus esset, ante noctem mortuus, et postridie, antequam luceret, combustus est. Atque hunc tantum mœrorem matri prius hominum rumor, quam quisquam ex Oppianici familia renuntiavit. Illa quum uno tempore audisset, sibi non solum filium, sed etiam exsequiarum[9] munus ereptum, Larinum confestim exanimata venit, et ibi de integro funus jam sepulto filio fecit. Dies nondum decem intercesserant, quum ille alter filius[10] infans necatur[11]. Itaque nubit Oppianico continuo Sassia, lætanti jam animo, et spe optima[12] confirmato. Nec mirum, quæ se non nuptialibus donis, sed filiorum funeribus delinitam videret. Ita, quod ceteri propter liberos pecuniæ cupidiores solent[13] esse, ille propter pecuniam liberos amittere jucundius esse duxit.

X. Sentio, judices, vos pro vestra humanitate, his tantis sceleribus breviter a me demonstratis, vehementer esse commotos[1]. Quo tandem igitur animo fuisse illos arbitramini, quibus his de rebus non modo audiendum fuit, verum etiam judicandum? Vos auditis de eo, in quem judices non estis; de eo, quem non

quod non procul a Falerno distabat; alterum Apulum, cui nunc vasto loco nomen est *Civitate*.

8. *Hora undecima*. Hora una ante solem occidentem. Jam diximus, quolibet anni tempore, duodecim horarum civiles dies apud Romanos fuisse, totidemque noctes; ita ut horæ æstate longiores, hieme contra breviores essent.

9. *Exsequiarum munus*. Quod propiuqui solent obire. Unde mater Euryali: « Nec vulnera lavi Veste tegens ».

10. *Alter filius*. Novia natus pariter veneno tollitur. Porro pariter apud Sallustium legimus, Catilinam, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Catil. 15.

11. Olim, *necaretur*. J. V. L.

12. *Spe optima*. Ab eo nempe posse interfici filium, quem oderat, Cluentium.

13. Gulielmius conjiciebat, *quum... soleant*. J. V. L.

X. 1. *Commotos*. Solerter his judicum affectibus utitur orator, ut priores Oppianici judices vi veritatis ad eum damnandum coactos fuisse ostendat, simulque suspicionem tentati judicii non ad Cluentium, de exitu tam manifestæ rei omnino securum, pertinere demonstret.

videtis; de eo, quem odisse jam non potestis[2]; de eo, qui et naturæ, et legibus satisfecit; quem leges exsilio, natura morte multavit. Auditis non ab inimico; auditis sine testibus; auditis, quum ea, quæ copiosissime dici possunt, breviter a me strictimque dicuntur. Illi audiebant de eo, de quo jurati sententias ferre debebant; de eo, cujus præsentis nefarium et consceleratum vultum intuebantur; de eo, quem oderant propter audaciam; de eo, quem omni supplicio dignum esse ducebant. Audiebant ab accusatoribus[3]; audiebant verba multorum testium; audiebant, quum unaquaque de re a P. Canutio, homine eloquentissimo, graviter et diu diceretur. Et est quisquam[4], qui, quum hæc cognoverit, suspicari possit, Oppianicum judicio oppressum[5] et circumventum esse innocentem? Acervatim[6] jam reliqua, judices, dicam, ut ad ea, quæ propiora hujus causæ et adjunctiora sunt, perveniam.

Vos, quæso, memoria teneatis, non mihi[7] hoc esse propositum, ut accusem Oppianicum mortuum; sed, quum hoc persuadere vobis velim, judicium ab hoc[8] non esse corruptum, hoc uti initio ac fundamento defensionis: Oppianicum, hominem sceleratissimum et nocentissimum, esse damnatum. Qui uxori suæ Cluentiæ, quæ amita hujus Aviti fuit, quum

2. *Odisse jam non potestis.* Quia mortuus est. Non enim ultra mortem progredi debet odium; neque etiam potest, quum jam nocere non liceat. Ipsa invidia sepulchris muta insidet.

3. *Accusatoribus.* Cluentio et Canutio.

4. *Et est quisquam.* Egregia hac exclamatione vividus hic locus pulchre clauditur.

5. *Oppianic. oppressum et circumventum.* Unde illa in Cluentium invidia.

6. *Acervatim.* Scelera jam congeram, ut mora omni sublata, ea attingam quæ propius ad Cluentii causam pertinent. — *Reliqua.* De uxore Oppianici Cluentia, de fratre, de fratris uxore gravida, veneno necatis.

7. *Non mihi hoc.* Neque enim pulchrum esset eum qui legibus ac naturæ satisfecit, ultra persequi.

8. *Ab hoc.* Cliente meo, Cluentio.

ipse poculum dedisset, subito illa in media potione exclamavit, se maximo cum dolore mori : nec diutius vixit, quam loquuta est[9]; nam in ipso sermone hoc et vociferatione mortua est. Et ad hanc [10] mortem tam repentinam, vocemque morientis, omnia præterea, quæ solent esse indicia et vestigia veneni, in illius mortuæ corpore fuerunt. Eodemque veneno C. Oppianicum, fratrem, necavit.

XI. Neque est hoc satis : tametsi in ipso fraterno parricidio [1] nullum scelus prætermissum videtur; tamen, ut ad hoc nefarium facinus accederet, aditum sibi aliis sceleribus ante munivit. Nam quum esset gravida Auria, fratris uxor, et jam appropinquare partus videretur; mulierem veneno interfecit, ut[2] una illa, et quod erat ex fratre conceptum, necaretur. Postea fratrem aggressus est : qui sero, jam exhausto illo poculo mortis[3], quum et de suo et de uxoris interitu clamaret, testamentumque mutare cuperet, in ipsa significatione hujus voluntatis, est mortuus. Ita mulierem, ne partu ejus ab hereditate fraterna excluderetur, necavit; fratris autem liberos[4] prius vita privavit, quam illi hanc ab natura propriam lucem[5] accipere potuerunt : ut omnes intelligerent,

9. *Quam loquuta est.* His dictis, absumpta est.

10. *Ad hanc mortem.* Præter quam quod tam repentino est mortua. Sic græce dicitur : Πρὸς τούτῳ θανάτῳ.

XI. 1. *Fraterno parricidio.* Olim verbum hoc ad omnem consanguineorum cædem pertinebat; ideo autem illud usurpat orator, quod prodigiosum quoddam facinus significet.

2. *Ut una.* Ut eodem veneno simul et fratris uxor et proles interficeretur.

3. *Poculo mortis.* Notanda illa locutio, quæ per se tamen satis defenditur. Frustra correxit Gulielmus « mortifero ». Et e glossemate ortum putaverunt Gruterus et Ernestius. Omnino delevit Schützius.

4. *Liberos.* Verbum hoc pro unico filio, unicave filia non semel usurpat Cicero; et sic sæpius dici, scribit A. Gellius, Noct. Attic. II.

5. *Propriam lucem.* Quam omnibus communem, ideoque singulis peculiarem tribuit natura. Male illud opponi credit Schellerus vitæ infantum

nihil ei clausum, nihil sanctum esse posse, cujus ab audacia fratris liberos ne materni quidem corporis custodia tegere potuisset.

Memoria teneo[6], Milesiam quamdam[7] mulierem, quum essem in Asia[8], quod, ab heredibus secundis[9] accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam : neque injuria; quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familiæ, designatum reipublicæ civem, sustulisset. Quanto Oppianicus in eadem injuria majore supplicio dignus? siquidem illa, quum suo corpori vim attulisset, se ipsa[10] cruciavit; hic autem idem illud effecit per alieni corporis mortem[11] atque cruciatum. Ceteri non videntur in singulis hominibus multa parricidia suscipere posse : Oppianicus inventus est, qui in uno corpore plures necaret.

XII. Itaque, quum hanc consuetudinem audaciamque cognosceret avunculus illius adolescentis Oppia-

in utero materno degentium; sed pejori errore Ernest. supervacuum credidit, et Schütz delevit.

6. *Memoria teneo.* Tryphoninus JCtus, l. 39 Digest. de pœn. hoc Ciceronis exemplum pro re judicata de lege advocat.

7. *Quamdam mulierem.* Oratoris est, inquit Quintilianus lib. VIII, amplificare quæ causæ suæ utilia sunt : amplificatio, autem ex comparatione aliquando fit, in qua nonnumquam proposito simili exemplo efficiendum est, ut sit majus id quod a nobis amplificandum est, ut Cicero pro Cluentio, quum exposuisset Milesiam quamdam a secundis heredibus abortu pecuniam accepisse : quanto est, inquit, Oppianicus in eadem injuria, etc.

8. *Quum essem in Asia.* Cicero postquam in causis civilibus esset versatus, et Roscium Amerinum felici eventu defendisset, in Asiam profectus est, ut corporis gracilitati continuis laboribus fessi mederetur, quemadmodum ipse longius in Bruto narrat, sive quod Plutarcho placet, ut dictatoris Sullæ offensionem vitaret.

9. *Secundis.* Subrogatis, substitutis. — *Rei capitalis.* Si mulierem visceribus suis vim intulisse, qua partum abigeret, constiterit, eam in exsilium præses provinciæ exiget, ut ait Ulpianus ad legem Cornel. de sicariis, Digest. XLVIII.

10. Ita Græv. Ernest. Beck. al. Multi legunt *ipsam.* J. V. L.

11. *Mortem.* Quintilianus in loco supra laudato habet « vim atque cruciatum ».

nici [1], Cn. Magius, isque gravi morbo affectus esset, et heredem illum sororis suæ filium faceret: amicis adhibitis, præsente matre sua, Dinea, uxorem suam interrogavit, essetne prægnans. Quæ quum se esse respondisset; ab ea petivit, ut, se mortuo, apud Dineam, quæ tum ei mulieri socrus erat, quoad pareret, habitaret, diligentiamque adhiberet, ut id, quod conceperat [2], servaret, ut salvum parere posset. Itaque ei testamento legat grandem pecuniam a filio [3], si qui natus esset : ab secundo herede nihil legat. Quid de Oppianico suspicatus sit, videtis; quid judicarit, obscurum non est. Nam, quum ejus filium faceret heredem, eum tutorem liberis non adscripsit. Quid Oppianicus fecerit, cognoscite : ut illum Magium intelligatis longe animo prospexisse morientem. Quæ pecunia mulieri legata erat a filio, si qui natus esset, eam præsentem [4] Oppianicus non debitam mulieri solvit : si hæc solutio legatorum, et non merces abortionis appellanda est. Quo illa pretio accepto, multisque præterea muneribus, quæ tum [5] ex tabulis Oppianici recitabantur, spem illam, quam in alvo commendatam [6] a viro continebat, victa avaritia, sceleri Oppianici vendidit. Nihil posse jam ad hanc

XII. 1. *Oppianici.* Qui ex Magia erat natus.

2. *Quod conceperat.* Duker. ad Sueton. Domit. 22, ita hunc locum citat : « ut id, quod conceptum erat, servaretur ». Nulla neque scriptorum, neque impressorum librorum fide.

3. *A filio.* Uxori magnam pecuniæ vim testamento legat, quam ex filii bonis, si quis nasceretur, caperet; nihil autem, si proles non nasceretur, et ad substitutum heredem bona pervenirent : quod eo consilio fecisse videbatur, ne ea sibi partum medicamentis ejiceret, ab Oppianico corrupta.

4. *Præsentem.* Numerata pecunia, quæ non debebatur, quum nondum mulier peperisset.

5. *Tum.* Quum causa Oppianici agebatur. — *Ex tabulis.* Nempe ex tabulis expensi et accepti, in quas referebatur quidquid et in quam rem expendebant.

6. *Commendatam.* Depositam : quo sensu sæpius *commendare* usurpatur. Cf. Phædr. I, 17; Justin. XXXV, 2.

improbitatem addi videtur. Attendite exitum. Quæ mulier obtestatione viri decem illis mensibus[7] ne domum quidem ullam, nisi socrus suæ, nosse debuit, hæc quinto mense post viri mortem ipsi Oppianico nupsit. Quæ nuptiæ non diuturnæ fuerunt : erant enim non matrimonii dignitate, sed sceleris societate conjunctæ.

XIII. Quid ? illa cædes Asinii Larinatis, adolescentis pecuniosi, quam clara tum, recenti re ? quam omnium sermone celebrata ? Fuit Avilius quidam[1] Larinas perdita nequitia, et summa egestate, arte quadam præditus ad libidines adolescentulorum excitandas accommodata[2] : qui ut se blanditiis et assentationibus in Asinii consuetudinem penitus immersit[3], Oppianicus continuo sperare cœpit, hoc se Avilio, tamquam aliqua machina admota[4], capere Asinii adolescentiam, et fortunas ejus patrias expugnare posse. Ratio excogitata Larini est : res translata Romam. Iniri enim id consilium facilius in solitudine[5], perfici rem

7. *Decem illis mensibus*. Definitum hoc erat a veteribus tempus quo nasci posse posthumus filios videbatur. Itaque scribit A. Gellius : « Ut hac ætate persuasum fere omnibus est, partum edi mense nono, ita veteres mense decimo parere mulierem putabant ». Inde Ovidius libro Fastorum I, 33, de anno decem mensium a Romulo constituto scribens : « Quod satis est, utero matris dum prodeat infans, Hoc anno statuit temporis esse satis. Per totidem menses a funere conjugis uxor Sustinet in vidua tristia signa domo ». Post annum licebat eis iterum nubere. Quæ uno autem contentæ erant matrimonio, corona pudicitiæ honorabantur. Valer. Maxim. II, de Instit. vet.

XIII. 1. *Fuit Avilius quidam*. Ursino placuit *Avillius ;* Gulielmio, *A. Villius*. J. V. L.

2. *Accommodata*. Beck. edidit « arte quadam ad lib. adol. excit. accommodatus », quod jam Gul. Grut. et Ernestio placuerat.

3. *Immersit*. Penitus devenit, et tamquam se abdidit in familiaritatem.

4. *Machina admota*. Sumpta similitudo ex urbium oppugnatione, quæ admotis machinis expugnantur.

5. *In solitudine*. In urbe minus frequenti, cujus silentium ad ejusmodi consilium aptum erat, quod tanta arte erat conficiendum. — *In turba*. In magnæ urbis tumultu, in qua quæ admittuntur scelera sunt obscuriora, et auctores facilius latent.

ejusmodi commodius in turba posse arbitrati sunt. Asinius cum Avilio Romam est profectus. Hos vestigiis Oppianicus consequutus est. Jam ut Romæ vixerint, quibus conviviis, quibus flagitiis, quantis et quam profusis sumptibus, non modo conscio, sed etiam conviva et adjutore Oppianico, longum est mihi dicere, præsertim ad alia properanti[6]. Exitum hujus assimulatæ familiaritatis cognoscite. Quum esset adolescens apud mulierculam quamdam, atque ibi pernoctaret, et ibi diem posterum[7] commoraretur: Avilius, ut erat constitutum, simulat se ægrotare, et testamentum facere velle. Oppianicus obsignatores[8] ad eum, qui neque Asinium, neque Avilium nossent, adducit, et illum Asinium appellat: ipse, testamento Asinii nomine obsignato, discedit. Avilius illico convalescit[9]. Asinius autem brevi illo tempore, quasi in hortulos iret, in arenarias quasdam[10] extra portam Esquilinam perductus, occiditur. Qui quum unum jam et alterum diem desideraretur, neque in iis locis, ubi ex consuetudine quærebatur, inveniretur, et Oppianicus in foro Larinatium[11] dictitaret,

6. *Ad alia properanti.* Ad ea quæ ad Cluentii causam propius pertinent.

7. Ernestius conj. «et ibidem diem posterum». J. V. L.

8. *Obsignatores.* Testes, qui testamentum obsignarent. Nam ut est in Inst. Justin. lib. II, 10, in testamento faciendo adhibebantur edicto prætoris septem testes puberes, cives rom. qui testamentum obsignarent.

9. *Convalescit.* Fraudem illam subdititii testamenti inde desumpsisse videretur comicus noster *Regnard* in fabula dicta *le Légataire universel*, nisi factum idem ex multo recentiori historia haustum constaret. Confer *Regnard,* edit. Paris, 1820, IV, p. 15.

10. *Arenarias quasdam.* Arenariæ sunt illa subterranea loca ex quibus arenas ad substructiones ædium effoderunt Romani, quas arenæ fodinas postea Christiani in ea loca converterunt, in quibus aspero tempore sacra facerent. Conf. Varron. de Re rustica, II, 23; Pauli Aringh. Romam subterraneam, I, 1.

11. *In foro Larinatium.* Putat Sylvius et Auger Larinum rediisse Oppianicum, quamvis satis magno intervallo municipium illud Romæ distet, et intra duos dies totum agi videatur. Verissime autem conjicit doctissimus

nuper se et suos amicos testamentum ejus obsignasse; liberti Asinii, et nonnulli amici, quod eo die, quo postremum Asinius visus erat, Avilium cum eo fuisse, et a multis visum esse constabat, in eum invadunt, et hominem ante pedes Q. Manilii, qui tum erat triumvir[12], constituunt. Atque ille continuo, nullo teste, nullo indice, recentis maleficii conscientia perterritus, omnia, ut a me paullo ante dicta sunt, exponit, Asiniumque ab se, consilio Oppianici, interfectum fatetur. Extrahitur domo latitans Oppianicus a Manilio: index Avilius ex altera parte coram tenetur. Hic jam quid reliqua quæritis? Manilium plerique noratis. Non ille honorem a pueritia, non studia virtutis, non ullum existimationis bonæ fructum umquam cogitarat; sed ex petulanti atque improbo scurra, in discordiis civitatis[13], ad eam columnam, ad quam multorum sæpe conviciis perductus erat, tum suffragiis populi pervenerat. Itaque rem cum Oppianico transigit; pecuniam ab eo accipit; causam et susceptam, et manifestam relinquit. Ac tum[14] in Oppianici causa crimen hoc Asinianum quum testibus multis, tum vero indicio Avilii probabatur: in quo, inter allegatos[15], Oppianici nomen primum esse

vir J. L. *Burnouf*, Larinatium forum Romæ exstitisse, qua in urbe suæ cuique municipio stationes erant, ut ait Plin. XVI, 44, et P. Victor, de urbis Romæ regionibus.

12. *Triumvir*. Romæ, ut ait Pomponius, erant triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut, quum animadverti oporteret, interventu eorum fieret. Præterea ante illos sistebantur quicumque servi, aut infimæ conditionis homines urbem turbaverant; illi in foro romano ad columnam Meniam sedebant, de qua paullo infra mentionem habet Cicero.

13. *Discordiis civitatis*. Quum alii Sullam, alii Marium Marianosve sequerentur.

14. *Tum*. Quum a Cluentio Oppianicus accusabatur.

15. *Allegatos*. Adhibitos, subornatos, ad necandum Asinium. Conf. Gronov. ad Liv. XXXVI, 11. Turnebus et Lambin. ediderunt « alligatos » i. e. crimini obnoxios: quod umquam latine dictum alii dubitant.

constabat, ejus, quem vos[16] miserum atque innocentem falso judicio circumventum esse dicitis.

XIV. Quid? aviam tuam, Oppianice, Dineam, cui tu es heres[1], pater tuus non manifesto necavit? ad quam quum adduxisset medicum illum suum, jam cognitum, et sæpe victorem[2] [per quem interfecerat plurimos], mulier exclamat, se ab eo nullo modo velle curari, quo curante suos omnes perdidisset. Tum repente Anconitanum quemdam, L. Clodium, pharmacopolam circumforaneum, qui casu tum Larinum venisset, aggreditur, et cum eo H-S[3] quadringentis, id quod ipsius tabulis tum[4] est demonstratum, transigit. L. Clodius, qui properaret, cui fora multa restarent, simul atque introductus est, rem confecit; prima potione mulierem sustulit: neque postea Larini punctum est temporis commoratus. Eadem hac Dinea testamentum faciente, quum tabulas prehendisset Oppianicus, qui gener ejus fuisset[5], digito legata delevit[6]; et, quum id multis locis fecisset, post mortem ejus, ne lituris coargui posset, testamentum in alias tabulas transcriptum signis adulterinis[7] obsi-

16. *Vos.* Qui Cluentium accusatis.

XIV. 1. *Tu es heres.* Suspiciosa verba, nam quod heres filius, ideo pater occidisse videtur. J. V. L.

2. *Victorem.* Qui multis jam palmis notus erat, et quo adjutore multos alios interfecerat. Verba uncinis inclusa Lambin. Ernest. ex interpretamento in contextum fluxisse contendunt: defendit Grævius.

3. *H-S quadringentis.* Circiter 80 fr. Manutius dubitabat Clodium cum Oppianico tam exigua mercede transegisse, putabatque legi posse « H-S. quadraginta », ut subaudiretur millibus. Verum quum summa in tabulas esset relata, non ingens quædam et quæ medicamenti unius pretium exsuperasset, poterat referri, quæ nempe Oppianicum prodidisset.

4. *Tum.* Quum Oppianici causa a Cluentio ageretur.

5. *Gener ejus fuisset.* Ei enim Magia Dineæ filia, nupserat.

6. *Digito legata delevit.* Solebant cera scribi testamenta; unde locutio illa *in ima cera.* Deleverat autem Oppianicus, quo major ad filium hereditas perveniret.

7. *Signis adulterinis obsignavit.* Falsis et aliis quam testium adhibitorum annulis factis.

gnavit. Multa prætereo consulto. Etenim vereor, ne hæc ipsa nimium multa esse videantur. Vos tamen eum similem sui fuisse in ceteris quoque [8] vitæ partibus existimare debetis. Illum tabulas publicas Larini censorias [9] corrupisse, decuriones universi judicaverunt [10]. Cum illo jam nemo rationem [11], nemo rem ullam contrahebat; nemo illum ex tam multis cognatis et affinibus tutorem umquam liberis suis scripsit; nemo illum aditu, nemo [12] congressione, nemo sermone, nemo convivio dignum judicabat: omnes aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes ut aliquam immanem ac perniciosam bestiam pestemque fugiebant. Hunc tamen hominem tam audacem, tam nefarium, tam nocentem, numquam accusasset Avitus, judices, si id prætermittere, salvo capite suo, potuisset. Erat huic inimicus Oppianicus, erat [13]; sed tamen erat vitricus. Crudelis et huic infesta mater; attamen mater. Postremo nihil tam remotum ab accusatione, quam Cluentius, et natura, et voluntate, et instituta ratione vitæ. Sed quum esset hæc illi proposita conditio, ut aut juste [14] pieque accusaret, aut acerbe indigneque moreretur; accusare, quoquo modo [15] posset, quam illo modo emori, maluit.

8. Ernest. delet *quoque*. Paullo infra, olim *debebitis*. J. V. L.

9. *Censorias*. In municipiis quoque censoriæ illæ exstabant tabulæ, in quas censu peracto, omnia diligenter referrentur. — *Decuriones*. Larini senatores; municipiorum enim senatoribus illud nomen dabatur.

10. *Judicaverunt*. Publico decreto pronuntiarunt.

11. *Rationem*. Rei pecuniariæ.

12. *Nemo congressione*. Ejus congressum vitabant.

13. Schütz. Ernest. duce, alterum *erat* expunxit. Forte levius. J. V. L.

14. *Juste*. Propter Oppianicum vitæ insidiantem. — *Pie*. Erga se ipsum, erga patriam, erga tot cives Oppianici fraude interemptos. Toto hoc loco errat Gronovius, qui excidisse negativam ratus, conjicit « parum juste ».

15. *Quoquo modo*. Contra naturam, contra voluntatem ac institutam vitæ rationem; sed hoc uno consilio ut vitam ab insidiis servaret.

Atque, ut hæc ita esse perspicere possitis, exponam vobis Oppianici facinus manifesto compertum atque deprehensum : ex quo simul utrumque, et huic accusare, et illum condemnari, necesse fuisse intelligetis.

XV. Martiales [1] quidam Larini appellabantur, ministri publici Martis, atque ei deo veteribus institutis religionibusque Larinatium consecrati : quorum quum satis magnus numerus esset, quumque item, ut in Sicilia permulti Venerei sunt, sic illi Larini in Martis familia [2] numerarentur; repente Oppianicus eos omnes liberos esse, civesque romanos, cœpit defendere. Graviter id decuriones Larinatium, cunctique municipes tulerunt. Itaque ab Avito petiverunt, ut eam causam susciperet, publiceque defenderet [3]. Avitus quum se ab omni ejusmodi negotio [4] removisset, tamen pro loco [5], pro antiquitate generis sui, pro eo, quod se non suis solum commodis, sed etiam suorum municipum ceterorumque necessariorum natum esse arbitrabatur, tantæ voluntati universorum Larinatium deesse noluit. Suscepta causa, Romamque delata, magnæ quotidie contentiones inter Avitum et Oppianicum ex utriusque studio defensionis excitabantur. Erat ipse immani [6] acerbaque natura Oppianicus; incendebat ejus amentiam infesta atque ini-

XV. 1. *Martiales*. De servis illis colendo cuidam numini addictis, a quo nomen mutuabantur, fusius ad Actionem prim. in Verr. diximus, ubi eodem sensu sæpe sæpius occurrunt Venerei, seu Veneri addicta familia.

2. *Martis familia*. Inter Martis servos; servos enim hoc nomine appellari vix quisquam ignorat.

3. *Publiceque defenderet*. Suæ civitatis nomine.

4. *Ejusmodi negotio*. Ut quemquam accusaret.

5. *Pro loco*. Pro sua dignitate. — *Antiquitate generis*. Quæ cives ei suos magis commendare videbatur, illudque officium imponebat.

6. *Immani*. Crudeli ac immiti. Acerbi autem dicuntur, qui sunt asperis moribus, qui nihil probant, nisi quod ipsi faciunt, qui suam sententiam in omnibus mordicus tuentur.

mica filio mater Aviti: magni autem illi sua interesse arbitrabantur, hunc a causa Martialium demovere. Suberat etiam alia causa major, quæ Oppianici, hominis avarissimi atque audacissimi, mentem maxime commovebat. Nam Avitus, usque ad illius[7] judicii tempus, nullum testamentum umquam fecerat. Neque enim legare ejusmodi[8] matri poterat in animum inducere; neque testamento nomen omnino prætermittere parentis. Id quum Oppianicus sciret (neque enim erat obscurum), intelligebat, Avito mortuo, bona ejus omnia ad matrem esse ventura[9]: quæ ab sese postea, aucta pecunia[10], majore præmio, orbata filio, minore periculo, necaretur. Itaque his rebus incensus, qua ratione Avitum veneno tollere conatus sit, cognoscite.

XVI. C. et L. Fabricii fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinate[1], homines inter se quum forma, tum moribus similes, municipum autem suorum dissimillimi: in quibus quantus splendor sit, quam prope æquabilis, quam fere omnium constans et moderata ratio vitæ, nemo vestrum, ut mea fert opinio, ignorat. His Fabriciis semper usus est Oppianicus familiarissime. Jam hoc fere scitis omnes, quantam vim

7. *Illius judicii.* Causæ Martialium.

8. *Ejusmodi.* Tam improbæ et impiæ, quæ primum genero suo, deinde ejus occisori Oppianico nupsisset, postremo quæ sibi tam infesta esset.

9. *Ad matrem esse ventura.* Non ideo putandum est Ciceronis ætate, lege sanctium fuisse ut intestati filii mater heres esset: quod tantummodo divi Hadriani tempore senatusconsulto Tertulliano cautum est (Heinecc. III, 3, § 5, 6, 7). Verum hoc fiebat quum sororis loco mater esset, quæ per in manum conventionem apud maritum eumdemque patremfamilias jura filiæ consequuta erat. Conf. Gai. comment. III, 14. Hoc ergo nomine, ut ad consanguineam, non ut ad matrem bona ad Sassiam ventura erant.

10. *Aucta pecunia.* Majori emolumento, quod esset ditior, minori periculo, quippe quam non filius defenderet, posset interficere.

XVI. 1. *Aletrinate.* Municipium istud fuit Hernicorum, quod Alatrium seu Aletrium dicebatur. Vide Cluver. Ital. Antiq. III, 6, et Cellar. Geogr. antiq. II, 9, § 389.

habeat ad conjungendas amicitias, studiorum[2] ac naturæ similitudo. Quum illi ita viverent, ut nullum quæstum turpem esse arbitrarentur; quum omnis ab his fraus, omnes insidiæ, circumscriptionesque[3] adolescentium nascerentur; quumque essent vitiis atque improbitate omnibus noti: studiose[4], ut dixi, ad eorum se familiaritatem multis jam ante annis Oppianicus applicarat. Itaque tum sic statuit, per C. Fabricium (nam L. erat mortuus) insidias Avito comparare. Erat illo tempore infirma valitudine Avitus. Utebatur autem medico ignobili, sed spectato homine, Cleophanto[5]: cujus servum Diogenem Fabricius ad venenum Avito dandum spe et pretio sollicitare cœpit. Servus non incallidus, sed, ut ipsa res declaravit, frugi atque integer, sermonem Fabricii non est aspernatus[6]; rem ad dominum detulit; Cleophantus autem cum Avito est loquutus. Avitus statim[7] cum M. Bebrio senatore, familiarissimo suo, communicavit: qui qua fide[8], qua prudentia, qua dignitate fuerit, meminisse vos arbitror. Ei placuit, ut Diogenem Avitus emeret a Cleophanto, quo facilius aut comprehenderetur[9] res ejus indicio, aut falsa esse

2. *Studiorum.* Quum easdem res et iidem probant et expetunt. — *Naturæ.* Quum ad eadem pari naturæ impulsu feruntur.

3. *Circumscriptiones.* Quum incauti adolescentes facile in insidias inducantur, inde natum est verbum *circumscribere*, seu decipere; quæ mala fraus legibus puniebatur, ut refert Cicero de Off. III: « atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII tabulis, et circumscriptio adolescentium lege Pletoria ».

4. Multi codd. *studio.* J. V. L.

5. *Cleophanto.* Græco; nam Romanis medicina in artibus liberalibus non erat; quod sæpe sæpius jam animadversum est, et ultimis tantum temporibus eam exercuerunt Romani.

6. *Non est aspernatus.* Aures dedit, quasi conditiones non recusaret.

7. *Quidem autem st.* Rectius abest multis codd. J. V. L.

8. *Qua fide.* In amicitiis tuendis, et in colenda justitia. — *Qua prudentia.* In cognoscendis judicandisque rebus. — *Qua dignitate.* Quam nobili et generosa indole.

9. *Comprehenderetur.* Deprehenderetur manifesto.

cognosceretur. Ne multis : Diogenes emitur; venenum diebus paucis (multi viri boni [10] quum ex occulto intervenissent), pecuniaque obsignata, quæ ad eam rem dabatur, in manibus Scamandri, liberti Fabriciorum, deprehenditur.

XVII. Pro dii immortales! Oppianicum quisquam, his rebus cognitis, circumventum esse dicet? Quis umquam audacior [1]? quis nocentior? quis apertior in judicium adductus est? Quod ingenium, quæ facultas dicendi, quæ a quoquam excogitata defensio, huic uni crimini [2] potuit obsistere? Simul et illud quis est qui dubitet, quin, hac re comperta manifestoque deprehensa, aut obeunda mors [3] Cluentio, aut suscipienda accusatio fuerit?

Satis esse arbitror demonstratum, judices, iis criminibus accusatum esse Oppianicum, ut honeste absolvi nullo modo potuerit. Cognoscite nunc ita reum citatum esse illum, ut, re semel atque iterum præjudicata [4], condemnatus in judicium venerit. Nam Cluentius, judices, primum nomen ejus detulit, cujus in manibus venenum deprehenderat. Is erat libertus Fabriciorum, Scamander. Integrum consilium; judicii corrupti nulla suspicio; simplex [5] in judicium causa,

10. *Multi viri boni.* Quum plurimi bona fide testes, qui in loco delituerant, subito sese ostendissent.

XVII. 1. *Audacior.* Quod ex superiore vita probatur. — *Nocentior.* Tot sceleribus et novissimo illo veneficii crimine. — *Apertior.* A comperta re manifestoque deprehensa. — *Quod ingenium.* Sic in Verr. Act. I : « Quod est ingenium tantum, quæ tanta facultas dicendi et copia, quæ istius vitam tot vitiis flagitiisque convictam, jam pridem omnium voluntati judicioque damnatam, aliqua ex parte possit defendere? »

2. *Huic uni crimini.* De veneficio, cujus eum Cluentius accusat.

3. *Obeunda mors.* Exitum illi parante Oppianico, qui, nisi accusaretur, scelus erat perfecturus.

4. *Semel atque iterum.* Cicero in Oppianicum damnatione Scamandri ac Fabricii abutitur.

5. *Simplex...causa.* Causæ sunt simplices, quæ unicum statum habent; et eæ et ad dicendum, et ad judicandum

certa res, verum crimen allatum est. Hic tum Fabricius, is, de quo ante dixi, qui, liberto damnato, sibi illud impendere periculum videret, quod mihi cum Aletrinatibus[6] vicinitatem, et cum plerisque eorum magnum usum esse sciebat, frequentes eos ad me domum adduxit. Qui quamquam de homine, sicut necesse erat[7], existimabant; tamen, quod erat ex eodem municipio, suæ dignitatis esse arbitrabantur, eum, quibus rebus possent, defendere; idque a me, ut facerem, et ut causam Scamandri susciperem, petebant: in qua causa patroni[8] omne periculum continebatur. Ego, qui neque illis talibus viris, ac tam amantibus mei, rem possem ullam negare; neque illud crimen[9] tantum ac tam manifestum esse arbitrarer, sicut ne illi quidem ipsi, qui mihi tum illam causam commendabant, arbitrabantur: pollicitus iis sum, me omnia, quæ vellent, esse facturum.

XVIII. Res agi cœpta est; citatus est Scamander reus. Accusabat P. Canutius, homo in primis ingeniosus, et in dicendo exercitatus; accusabat[1] autem ille quidem Scamandrum verbis tribus, VENENUM ESSE DEPREHENSUM: omnia tela totius accusationis in Oppianicum conjiciebantur. Aperiebatur causa insidiarum[2]; Fabriciorum familiaritas commemorabatur;

faciliores sunt, ideo judicia certiora. Quintil. III, 4.

6. *Cum Aletrinatibus.* Porro huic municipio vicini erant Arpinates, quo ex oppido oriundus Cicero erat, et prædium habebat prope Arpinum.

7. *Sicut necesse erat.* Scilicet pessime, ut supra videre est.

8. *Patroni.* Fabricii, qui patronus erat liberti Scamandri.

9. *Neque illud crimen.* Excusatio; nam orator, quum vir bonus definiatur, bonas recipere causas debet, malas rejicere. — *Nec illi quidem.* Altera est excusatio: ne impudentes, contra quam supra dixit, fuisse videantur Aletrinates, qui tam turpem causam commendaverint.

XVIII. 1. *Accusabat autem.* Canutius totam Scamandri accusationem tribus verbis includebat, nempe in ejus manibus deprehensum fuisse venenum.

2. *Causa insidiarum.* Quod ideo Oppianicus Cluentium veneno tollen-

hominis vita et audacia proferebatur; denique omnis accusatio varie graviterque tractata, ad extremum manifesta veneni deprehensione conclusa est. Hic ego tum[3] ad respondendum surrexi, qua cura? dii immortales! qua sollicitudine animi? quo timore? Semper equidem magno cum metu[4] incipio dicere; quotiescumque dico, toties mihi videor in judicium venire[5], non ingenii solum, sed etiam virtutis atque officii: ne aut id profiteri[6] videar, quod non possim implere, quod est impudentiæ; aut id non efficere, quod possim, quod est aut perfidiæ[7], aut negligentiæ. Tum vero ita sum perturbatus, ut omnia timerem: si nihil dixissem, ne infantissimus[8]; si multa in ejusmodi causa dixissem, ne impudentissimus existimarer.

XIX. Collegi me aliquando, et ita constitui: fortiter esse agendum; illi ætati, qua tum eram[1], solere

dum curasset, ut eo mortuo qui testamentum adhuc nullum fecerat, bona ad matrem venirent, quam deinde ipse, ut ceteras uxores, interficeret.

3. Lallem. et al. *quum*. J. V. L.

4. *Magno cum metu*. Id natura insitum sibi fuisse plurimis in locis Cicero testatur. Conf. Divinat.

5. *Judicium venire*. Ceterarum, inquit Antonius de Orat. I, homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerunt quam solent, aut noluisse, aut valitudine impediti non potuisse consequi id quod scirent, putantur... Oratoris peccatum si quod est animadversum, stultitiæ peccatum videtur: stultitia autem excusationem non habet. Quoties dicimus, toties de nobis judicatur; et qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum; cujus autem in dicendo aliquid reprehensum est, aut æterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis.

6. *Id profiteri*. Scire me ac efficere posse prædicare.

7. *Perfidiæ*. Nam, ut ait A. Gellius, in patronorum fidem patrociniumque clientes se dedunt.

8. *Infantissimus*. Nulla omnino dicendi arte præditus.

XIX. 1. *Qua tum eram*. Annum ætatis 33 agebat ann. U. C. 679, L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta coss. hanc autem pro Cluentio orationem, annis octo post Oppianicum damnatum, qui, nullo fere temporis intervallo, Scamandrum secutus est, prætor habuit. Conf. c. 20. Ceterum illud minime prætermittendum occurrit, quam difficili in loco versetur orator, cui nunc ea impugnanda incumbit causa, quam ipse octo ante annis defendit; et sane miranda est, si non oratoris

laudi dari [2], etiamsi in minus firmis causis hominum periculis non defuissem. Itaque feci; sic pugnavi, sic omni ratione contendi, sic ad omnia confugi, quantum ego assequi potui, remedia ac perfugia [3] causarum, ut hoc, quod timide dicam [4], consequutus sim, ne quis illi causæ patronum defuisse arbitraretur. Sed, ut quidquid [5] ego apprehenderam, statim accusator extorquebat e manibus. Si quæsieram, an inimicitiæ Scamandro cum Avito; fatebatur, nullas fuisse; sed Oppianicum, cujus ille minister fuisset, huic inimicissimum fuisse, atque esse dicebat. Sin autem illud egeram, nullum ad Scamandrum morte Aviti venturum emolumentum [6] fuisse; concedebat, sed ad uxorem Oppianici, hominis in uxoribus necandis exercitati, omnia bona Aviti ventura esse dicebat. Quum illa defensione usus essem, quæ in libertinorum causis honestissima semper existimata est, Scamandrum patrono esse probatum; fatebatur, sed quærebat, cui probatus esset ipse patronus. Quum ego pluribus verbis in eo commoratus essem, Scamandro factas insidias [7] esse per Diogenem, constitutumque inter eos

eadem in re constantia ac tenor, saltem ars ea, qua narrationem confingit et ingenue suam in dicendo dubitationem confiteri, et adolescentiam accusare videtur.

2. *Solere laudi dari.* Cicero, de Off. II, qua ex re adolescentes sibi laudem parent scribens, negat «habendum religioni contrarium, nocentem aliquando et nefarium impiumque defendere; nam vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas».

3. *Remedia ac perfugia causarum.* Quibus in desperatis causis patroni uti solent, et quæ ex communibus locis depromuntur.

4. *Quod timide dicam.* Ne mihi ipse arrogare nimium videar.

5. *Quidquid.* Vix unam quamque defendendi clientis rationem iniveram. *Quidquid* pro quidque dici nemo est qui nesciat.

6. *Emolumentum.* Magno illo momento sæpius utitur in causis Cicero, ut in Miloniana Clodii mortem non Milonis referre, Milonis autem cædem maxime Clodio prodesse multis disputat.

7. *Factas insidias.* Scamandrum a Diogene deceptum; ab eo, medicamenti loco quod petierat, venenum fuisse datum; neminem esse cui illud

de alia re fuisse, ut medicamentum, non venenum Diogenes afferret; hoc cuivis usu venire posse; quærebat, cur in ejusmodi locum, tam abditum, cur solus, cur cum obsignata pecunia venisset[8]. Denique hoc loco causa testibus, honestissimis hominibus, premebatur. M. Bebrius de suo consilio Diogenem emptum; se præsente, Scamandrum cum veneno pecuniaque deprehensum esse dicebat. P. Quintilius[9] Varus, homo summa religione[10] et summa auctoritate præditus, de insidiis, quæ fierent Avito, et de sollicitatione Diogenis, recenti re, secum Cleophantum loquutum esse dicebat. Atque in illo judicio quum Scamandrum nos defendere videremur, verbo ille reus erat, re quidem vera[11], et periculo, et tota accusatione Oppianicus. Neque id obscure ferebat, nec dissimulare ullo modo poterat: aderat frequens, advocabat[12], omni studio gratiaque pugnabat; postremo, id quod maximo malo illi causæ fuit, hoc ipso in loco[13], quasi reus ipse esset, sedebat. Oculi omnium judicum non in Scamandrum, sed in Oppianicum conjiciebantur; timor ejus, perturbatio, suspensus incertusque vultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea suspiciosa, hæc aperta ac manifesta faciebant.

contingere non possit, ut ei venenum ab improbo medici servo afferatur.

8. *Venisset.* Male aliquot MSS *tenuisset.* J. V. L.

9. Codd. habent *Quintius,* vel *Quinctius.* Lambinus restituit *Quintilius,* P. Merula jam olim probante. Frustra alii quidam repugnant. J. V. L.

10. *Summa religione.* Cujus animus ab omni fraude ac mendacio abhorreret. — *Summa auctoritate.* Cujus testimonio fidem abrogare non liceat.

11. Negabat Ernest. aut dubitabat, latine dici *re vera* pro *re ipsa;* sed occurrere sæpius B. Weisk. in h. l. probavit, ut in Verr. Act. I, 15; Agr. II, 4 et 13; ad Div. I, 4, III, 5, etc.

12. *Advocabat.* Fautores et advocatos, qui sua auctoritate reum protegerent, conquirebat, et eos secum adducebat.

13. *Hoc ipso in loco.* In subselliis reorum, ex quibus Cicero Cluentii causam agebat.

XX. Quum in consilium iri[1] oporteret, quæsivit ab reo C. Junius, quæsitor[2], ex lege illa[3] Cornelia, quæ tum erat, clam, an palam, de se sententiam ferri vellet. De Oppianici sententia responsum est, quod is[4] Aviti familiarem Junium esse dicebat, clam velle ferri. Itum est in consilium. Omnibus sententiis, præter unam, quam suam Stalenus[5] esse dicebat, Scamander prima actione[6] condemnatus est. Quis tum erat omnium, qui, Scamandro condemnato, non judicium de Oppianico factum esse arbitraretur? Quid est illa damnatione judicatum, nisi venenum id, quod Avito daretur, esse quæsitum[7]? Quæ porro tenuissima suspicio collata in Scamandrum est, aut conferri potuit, ut is sua sponte necare voluisse Avitum putaretur?

Atque, hoc tum judicio facto, et Oppianico, re et existimatione jam, lege[8] et pronuntiatione nondum condemnato; tamen Avitus Oppianicum reum statim non fecit. Voluit cognoscere, utrum judices in eos solos essent severi, quos venenum habuisse ipsos comperissent, an etiam consilia conscientiasque[9] ejusmodi facinorum supplicio dignas judicarent. Itaque C. Fabricium, quem propter familiaritatem Op-

XX. 1. *In consilium iri.* Eunt in consilium judices, quum, causa utrimque perorata, ad sententiam ferendam conveniunt.

2. *Quæsitor.* Qui tum quæstioni præerat. De quæsitore, seu quæstionis judice vide plura ad calcem Verr. I, Append. de Judic. public.

3. *Illa Cornelia.* Quam L. Cornelius Sulla de sicariis et veneficis tulerat, ut sententiæ a judicibus clam aut palam ex rei voluntate ferrentur. Conf. c. 27. — *Quæ tum erat.* Postea videtur aliquid in ea mutatum.

4. *Quod is.* Scamander clam ferri sententiam petivit, ne qui judices, Junii auctoritate adducti, Scamandrum damnare aperte cogerentur.

5. Al. ut passim, *Staienus.* J. V. L.

6. *Prima actione.* Ampliandi potestatem lege permittente.

7. *Esse quæsitum.* Fuisse comparatum. — *Is sua sponte.* Non alieno consilio.

8. *Lege.* Quæ judicum sententiis reum condemnat.

9. *Conscientias.* Eos qui dedissent consilium, tanti sceleris conscii.

pianici conscium illi facinori fuisse arbitrabatur, reum statim fecit; utique[10] ei locus primus constitueretur, propter causæ conjunctionem impetravit. Hic tum Fabricius non modo ad me meos vicinos et amicos, Aletrinates, non adduxit, sed ipse iis neque defensoribus uti postea, neque laudatoribus[11] potuit. Rem enim integram[12] hominis non alieni, quamvis suspiciosam, defendere, humanitatis esse putabamus, judicatam labefactare[13] conari, impudentiæ. Itaque tum ille, inopia et necessitate coactus, in causa ejusmodi ad Cæpasios fratres[14] confugit, homines industrios, atque eo animo, ut, quæcumque[15] dicendi potestas esset data, in honore atque in beneficio ponerent.

XXI. Jam hoc quoque prope iniquissime comparatum est[1], quod in morbis corporis, ut quisque est difficillimus[2], ita medicus nobilissimus atque optimus quæritur; in periculis capitis, ut quæque[3] causa difficillima est, ita deterrimus obscurissimusque pa-

10. Olim, *utque*. Correxit Ernest. non sine MSS et edd. J. V. L. — Sensus est: Et impetravit, ut ea Fabricii causa, quod cum Scamandri causa conjuncta esset, ante alias omnes statim ageretur.

11. *Laudatoribus*. Moris erat ut reus decem honestos viros produceret, a quibus ipsius mores ac agendi ratio laudarentur: quemadmodum sæpius in Verrinis et Fonteiana vidimus a reo prætore decem urbium testimonia fuisse proferenda, quæ ipsum laudibus donarent. De more illo vide ad calc. Verr. I. Excurs. de Judic.

12. *Integram*. Causam Scamandri nullo antea judicio damnatam.

13. *Judicatam labefactare*. Rescindere: eadem enim erat Fabricii et Scamandri causa.

14. *Cæpasios fratres*. De quibus in Bruto, cap. 69: «C. et L. Cæpasii fratres fuerunt, qui multa opera ignoti homines et repentini, quæstores celeriter facti sunt, oppidano quodam et incondito genere dicendi».

15. *Quæcumque*. Ut beneficii et honoris loco haberent, si quis eis suæ exercendæ industriæ in quavis causa occasionem daret.

XXI. 1. *Comparatum*. Constitutum et non confirmatum.

2. *Difficillimus*. Gravissimus et periculosissimus.

3. *Ut quæque causa*. Ubi pessima est causa et desperata, ad pessimum oratorem confugere cogitur reus; hujus autem differentiæ ratio est, quod forsan medicus tantum suam artis peritiam præstat (gall. *est responsable*),

tronus adhibetur : nisi forte[4] hæc causa est, quod medici nihil præter artificium, oratores etiam auctoritatem præstare debent. Citatur reus; agitur causa; paucis verbis accusat, ut de re judicata, Canutius. Incipit longo et alte petito procemio respondere major Cæpasius. Primo attente auditur ejus oratio. Erigebat animum[5], jam demissum et oppressum, Oppianicus. Gaudebat ipse Fabricius : non intelligebat, animos judicum, non illius eloquentia, sed defensionis impudentia commoveri. Posteaquam de re cœpit dicere, ad ea, quæ erant in causa, addebat etiam ipse nova quædam vulnera[6]. Hoc quamquam sedulo[7] faciebat, tamen interdum non defendere, sed prævaricari[8] accusationi videbatur. Itaque quum callidissime se dicere putaret, et quum illa verba gravissima ex intimo artificio[9] deprompsisset : « Respicite, judices, hominum fortunas; respicite dubios variosque casus; « respicite C. Fabricii senectutem »; quum hoc « Respicite », ornandæ orationis causa sæpe dixisset, respexit ipse : at C. Fabricius a subselliis, demisso capite, discesserat. Hic judices ridere; stomachari atque acerbe ferre patronus, causam sibi eripi, et se cetera de illo

orator autem præterea quoddam morum suorum pignus ac obsides judicibus offerre debet; nempe ut bonus vir putetur; quod obstat quin pessimam suscipiat causam, quam nempe defendens illa morali auctoritate orbaretur, quæ ad ejus eloquentiam debet accedere. Verba ipsa et sententiæ conformatio Cicerone omnino digna existunt.

4. Absunt hæc, « nisi... debent » a multis codd. et edd. tribus primis, probantibus Græv. Ernest. al. Auctoritatibus freti et nos, sensu non repugnante, restituimus. J. V. L. — Vide notam superiorem.

5. *Erigebat animum*. Quum attente audiri Cæpasii orationem videret, quasi captis ejus eloquentia judicibus.

6. *Nova quædam vulnera*. Cæpasius ad ea quæ jam Fabricii causæ nocebant, nova in eum argumenta per stultitiam addebat.

7. *Sedulo*. Studiose, sine dolo, non vulnera putans, sed remedia.

8. *Prævaricari*. Partem suam prodere, et accusationem male defendendo adjuvare. Schütz. « accusationi » delevit. Imprudentius. J.V. L.

9. *Ex intimo artificio*. Ex suæ rhetoricæ thesauris.

loco[10], « Respicite, judices », non posse dicere : nec quidquam propius est factum, quam ut illum persequeretur, et collo obtorto ad subsellia reduceret, ut reliqua posset perorare. Ita tum Fabricius, primum suo judicio[11], quod est gravissimum, deinde legis vi[12], et sententiis judicum est condemnatus.

XXII. Quid est, quod jam de Oppianici causa plura dicamus? Apud eosdem judices reus est factus, quum is[1] duobus præjudiciis jam damnatus esset; ab iisdem autem judicibus, qui Fabriciorum[2] damnatione de Oppianico judicarant, locus ei primus est constitutus[3]; accusatus est criminibus gravissimis[4], et iis, quæ a me breviter dicta sunt, et præterea multis, quæ ego omnia nunc omitto; accusatus est apud eos, qui et Scamandrum, ministrum Oppianici, et Fabricium, conscium maleficii, condemnarant. Utrum, per deos immortales! magis est mirandum, quod is condemnatus est, an quod omnino respondere ausus est? Quid enim illi judices facere potuerunt? qui si innocentes Fabricios condemnassent, tamen in Oppianico sibi constare, et superioribus consentire judiciis debuerunt. An vero illi sua per se ipsi judicia rescinderent[5], quum ceteri soleant in judicando, ne ab

10. *De illo loco.* Ex tam præclaro affectu, et egregio rhetoricæ loco desumpta. Ceterum hanc narrationem magna ex parte confictam ad solvendos urbanitate judicum animos scribit Quintil. IV. Idem, VI, 3, in primis subtile et oratorium esse dicit falsa narrare, ut Cicero pro Cluentio narrat de Cæpasio et Fabricio.

11. *Suo judicio.* Quum desperata absolutione, ipse discesserat.

12. *Legis vi.* Legis auctoritate.

XXII. 1. *Is.* Grævius e nonnullis MSS edidit « his ». Sequutus est Lall.

2. *Fabriciorum.* Scamander, de more, patroni nomen suo addiderat, inde fit ut eum cum Fabricio appellet, et binas in unam causas confundat.

3. *Primus est constitutus.* Propter conjunctionem causæ, ut Fabricio, post damnatum Scamandrum.

4. *Criminibus gravissimis.* Verum ea omnino extra causam erant, et judicibus de veneficio tantum sententia era ferenda, quod dubito an validissimis h. l. comprobetur argumentis.

5. *Judicia rescinderent.* Non omittendum quam artificiose Scamandri et

aliorum judiciis discrepent, providere? Et illi, qui Fabricii libertum, quia minister in maleficio fuerat, patronum, quia conscius, condemnassent; ipsum principem atque architectum sceleris[6] absolverent? Et qui ceteros, nullo præjudicio facto, tamen ex ipsa causa condemnassent; hunc, quem bis condemnatum jam acceperant, liberarent? Tum vero illa judicia senatoria[7], non falsa invidia, sed vera atque insigni turpitudine notata, atque operta[8] dedecore et infamia, defensioni[9] locum nullum reliquissent. Quid enim tandem illi judices responderent, si quis ab iis quæreret: Condemnastis[10] Scamandrum, quo crimine? nempe quod Avitum, per servum medici, veneno necare voluisset. Quid Aviti morte Scamander consequebatur? nihil; sed administer erat Oppianici. Condemnastis C. Fabricium, quid ita? quia, quum ipse familiarissime Oppianico usus, libertus autem ejus in maleficio deprehensus esset, illum expertem ejus consilii fuisse non probabatur. Si igitur ipsum Oppianicum, bis suis judiciis condemnatum, absol-

Fabricii crimina cum Oppianici causa communicet orator, ita ut prioribus duobus judiciis veluti constrictos judices ostendat: et tamen, absoluto, si innocens esset, Oppianico, non prioribus nocebant judiciis; quum in his venenum deprehensum, in illo autem de suspicione sceleris non omnino probata decernerent.

6. *Architectum sceleris.* Quod erat omnino demonstrandum, neque satis manifeste ostenditur.

7. *Senatoria.* Quæ tunc per solos administrata senatores, maxima laborabant invidia, ut videre est in prioribus Verrinis, ac præcipue in Act. I in Verr. 13, ubi ea ipsa Cluentiana causa diverso omnino modo narratur. Ceterum, quum hanc agebat causam Cicero, communicata fuerant Aurelia lege, tribus ordinibus, Pompeio et Crasso coss.

8. *Operta.* Schütz. ex MSS nonnullis, teste Grævio et Garaton. « cooperta » edidit.

9. *Defensioni.* Defendi nullo jam modo et excusari potuissent senatorum judicia.

10. *Condemnastis.* Mira sane arte et has interrogationes et hæc responsa judicibus affingit orator, ita ut ipsi suis ultro verbis involvi et impediri videantur. Hoc est dialogismi exemplum, quo antecedentia argumenta in unum veluti fasciculum colliguntur, unde vim novam ac fulgorem hauriant.

vissent, quis tantam turpitudinem judiciorum, quis tantam inconstantiam rerum judicatarum, quis tantam libidinem judicum ferre potuisset?

Quod si hoc videtis, quod jam hac omni oratione patefactum est, illo judicio reum[11] condemnari, præsertim ab iisdem judicibus, qui duo præjudicia fecissent, necesse fuisse; simul illud videatis necesse est, nullam accusatori causam esse potuisse, cur judicium vellet corrumpere.

XXIII. Quæro enim abs te, T. Atti[1], relictis jam ceteris argumentis omnibus, num Fabricios quoque innocentes condemnatos existimes? num etiam illa judicia pecunia corrupta esse dicas, quibus judiciis alter a Staleno solo absolutus est, alter etiam ipse se condemnavit[2]? Age, si nocentes; cujus maleficii? Numquid præter venenum quæsitum, quo Avitus necaretur, objectum est? numquid aliud in illis judiciis versatum est, præter hasce insidias Avito ab Oppianico per Fabricios factas? Nihil, nihil[3], inquam, aliud, judices, reperietis. Exstat memoria; sunt tabulæ publicæ; redargue me, si mentior; testium dicta recita; doce, in illorum judiciis quid, præter hoc venenum Oppianici, non modo in criminis, sed in maledicti loco sit objectum. Multa dici possunt, quare ita necesse fuerit judicari; sed ego occurram[4] exspe-

11. *Reum.* Non aliter fieri potuisse, quam ut Oppianicus damnaretur. — *Accusatori.* Cluentio.

XXIII. 1. *T. Atti.* Hic T. Attius Cluentii accusator erat, de quo Cic. in Brut. 78 : «T. Attii Pisaurensis equitis rom. et amici nostri accusationi respondi pro A. Cluentio; qui et accurate dicebat, et satis copiose, eratque præterea doctus Hermagoræ præceptis, quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen, ut hastæ velitibus amentatæ, sic apta quædam et parata singulis causarum generibus traduntur».

2. *Ipse se condemnavit.* Discedens ante peroratam causam.

3. Repetitio est a codd. quatuor Palat. et S. Vict. Nam vulgatæ olim edd. semel tantum posuerant vocem *nihil.* J.V. L.

4. *Occurram.* Satisfaciam ei rei

ctationi vestræ, judices. Nam, etsi a vobis sic audior, ut numquam benignius, neque attentius quemquam auditum putem; tamen vocat me alio jamdudum tacita vestra exspectatio, quæ mihi obloqui[5] videtur. Quid ergo? negasne, illud judicium esse corruptum? Non nego; sed ab hoc corruptum non esse confirmo. A quo igitur est corruptum? Opinor, primum, si incertum fuisset[6], quisnam exitus illius judicii futurus esset, verisimilius tamen esset[7], eum potius corrupisse, qui metuisset, ne ipse condemnaretur, quam illum, qui veritus esset, ne alter absolveretur: deinde, quum esset nemini dubium, quid judicari necesse esset, eum certe potius, qui sibi aliqua ratione diffideret, quam eum, qui omni ratione confideret: postremo, certe potius illum, qui bis apud eos judices offendisset, quam eum, qui bis causam iis probavisset. Unum quidem certe, nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat: si constet, corruptum illud esse judicium, aut ab Avito, aut ab Oppianico esse corruptum. Si doceo non ab Avito, vinco ab Oppianico. Si ostendo ab Oppianico, purgo Avitum[8]. Quare, etsi satis docui, rationem nullam huic corrumpendi fuisse (ex quo intelligitur, ab

quam exspectatis, nempe Oppianici pecunia tentatum judicium.

5. *Obloqui.* Mecum expostulare.

6. *Si incertum fuisset.* Si non ab initio patuisset quam sententiam judices laturi essent, verisimilius fuisset judicium corruptum ab Oppianico, qui timuisset ne condemnaretur, quam a Cluentio, qui tantummodo veritus esset, ne ille absolveretur. Sed quum nemini dubium fuerit, quin Oppianicum duobus jam præjudiciis condemnatum condemnaturi fuissent, certum esse debet ab Oppianico de causa diffidente, non a Cluentio bene omnino sperante corruptum judicium.

7. Ernest. scribendum putat *esse.* Frustra. J. V. L.

8. *Purgo Avitum.* Hoc dilemma laudat Quintil. V, 10, et utile dicit ut duo ponantur inter se contraria, quorum tenuisse utrumlibet sufficiat. Verum inter duo hæc utrimque ferientis argumenti cornua, medius quidam invenitur h. l. terminus, qui solus verus esse videtur: nempe ab Oppianico et Cluentio corruptum fuisse judicium. Quod ipse omnino affirmat Cicero,

Oppianico esse corruptum); tamen de illo ipso[9] separatim cognoscite.

XXIV. Atque ego illa non argumentabor, quæ sunt gravia[1] vehementer: eum corrupisse, qui in periculo fuerit; eum, qui metuerit; eum, qui spem salutis in alia ratione non habuerit; eum, qui semper singulari fuerit audacia. Multa sunt ejusmodi[2]; verum quum habeam rem non dubiam, sed apertam atque manifestam, enumeratio singulorum argumentorum non est necessaria.

Dico, C. Ælio Staleno, judici, pecuniam grandem statium Albium ad corrumpendum judicium dedisse. Num quis negat? Te appello, Oppianice; te, T. Atti; quorum alter[3] eloquentia damnationem illam, alter[4] tacita pietate deplorat. Audete negare, ab Oppianico Staleno judici pecuniam datam: negate, negate, inquam, in eo loco[5]. Quid reticetis? At negare non potestis, quod repetistis[6], quod confessi estis, quod abstulistis[7]. Quo tandem igitur ore mentionem corrupti judicii facitis, quum ab ista parte[8] judici pecuniam ante judicium datam, post judicium ereptam

Act. I in Verr. 13. Inde non mirum prædicasse illum, teste Quintiliano, II, 17, se tenebras offudisse judicibus in causa Cluentii. Conf. de Brosses, *Histoire de la République romaine*, lib. III, cap. 19.

9. *De illo ipso.* De corrupto ab Oppianico judicio.

XXIV. 1. *Gravia.* Quæ sunt efficacia et multum habent momenti.

2. *Multa sunt ejusmodi.* Quibus argumentari possum, ab Oppianico corruptum judicium.

3. *Quorum alter.* T. Attius, accusator Cluentii, damnatum Oppianicum eloquentissime deplorat.

4. *Alter.* Caius, Oppianici filius cujus adolescentis infantiam obscure minus infra notat.

5. *In eo loco.* In hoc ipso tribunali, vel, ut Weiskio placet, hac ipsa in re. Lambin. conjicit «in isto loco», i. e. in subselliis, ubi sedebant accusatores.

6. *Repetistis.* Aliquot codd. «recepistis». Male. Repetere h. l. est reposcere. Quod post Oppianici damnationem, pecunia Staleno data repetita est, eo ipso confessus est Oppianicus datam ei pecuniam ad corrumpendos judices fuisse.

7. *Abstulistis.* Judicio populi, agente Quintio tribuno pl.

8. *Ab ista parte.* Ab Oppianici parte, subsellia accusatorum ostendens.

esse fateamini? Quonam igitur hæc modo gesta sunt? Repetam paullo altius, judices, et omnia, quæ in diuturna obscuritate latuerunt, sic aperiam, ut ea cernere oculis videamini. Vos quæso, ut adhuc me attente audistis, item, quæ reliqua sunt, audiatis: profecto nihil a me dicetur, quod non dignum hoc conventu et silentio, dignum vestris studiis atque auribus esse videatur.

Nam, ut primum Oppianicus, ex eo, quod Scamander reus erat factus, quid sibi impenderet, cœpit suspicari; statim se ad hominis egentis, audacis, in judiciis corrumpendis exercitati, tum autem judicis, Staleni familiaritatem applicavit. Ac primum Scamandro reo, tantum donis, datis, muneribusque[9] perfecerat, ut eo auctore[10] uteretur cupidiore, quam fides judicis postulabat. Post autem, quum esset Scamander unius Staleni sententia absolutus, patronus autem Scamandri ne sua quidem sententia[11] liberatus; acrioribus saluti suæ remediis subveniendum putavit. Tum a Staleno, sicut ab homine ad excogitandum acutissimo, ad audendum impudentissimo, ad efficiendum acerrimo (hæc enim ille et aliqua ex parte habebat, et majore ex parte se habere simulabat), auxilium capiti et fortunis suis petere cœpit.

XXV. Jam hoc non ignoratis, judices, ut etiam bestiæ, fame dominante[1], plerumque ad eum locum,

9. *Muneribusque*. Alii simpliciter, *muneribus*. J. V. L.

10. *Auctore*. Defensore. — *Cupidiore*. Partium studiosiore. Stalenus enim in absolvendo Scamandro tantum partium studium præ se tulerat, ut solus eum absolveret, et non videretur ejus esse judex, sed patronus. Postea autem Oppianico consilia salutis expediendæ dederat, velut advocatus, quæ sane partes judici non conveniunt. Lamb. ex uno cod. «fautore» reposuit.

11. *Sententiam*. Ne conscientiæ quidem suæ voce absolutus; quum ante finem judicii, demisso capite, discessisset. Supra 21.

XXV. 1. *Dominante*. Gesner. in Thes. LL. conjic. «domante». Schütz.

ubi pastæ aliquando sint, revertantur. Stalenus ille biennio ante, quum causam bonorum Safinii[2] Atellæ recepisset, sexcentis millibus nummum[3] se judicium corrupturum esse dixerat : quæ quum accepisset a pupillo, suppressit[4]; judicioque facto, nec Safinio, nec bonorum emptoribus reddidit. Quam quum pecuniam profudisset, et sibi nihil, non modo ad cupiditates[5] suas, sed ne ad necessitatem quidem reliquisset; statuit ad easdem sibi prædas ac suppressiones judiciales revertendum. Itaque quum Oppianicum jam perditum, et duobus jugulatum præjudiciis videret; promissis eum suis excitavit abjectum, et simul saluti desperare vetuit. Oppianicus orare hominem cœpit, ut sibi rationem ostenderet judicii corrumpendi. Ille autem (quemadmodum ex ipso Oppianico postea est auditum) negavit, quemquam esse in civitate, præter se, qui id efficere posset[6]. Sed primo gravari[7] cœpit, quod ædilitatem se petere cum hominibus nobilissimis, et invidiam atque offensionem timere dicebat. Post exoratus, initio permagnam pecuniam poposcit : deinde ad id pervenit, quod confici[8] potuit, et sestertium sexcenta quadraginta millia[9] deferri ad se domum jussit. Quæ pecunia simul atque ad eum delata est, homo impurissimus statim cœpit in ejusmodi mente et cogitatione versari : nihil esse

ex marg. unius cod. « monitæ » recepit; quod nullam vim habet.

2. *Safinii Atellæ*. Quum Safinius Atella pupillus bona sua judicio repeteret ab iis qui erepta possidebant. Ceterum non alias hujus causæ mentio occurrit.

3. *Nummum*. Sestertium.

4. *Suppressit*. Judicibus non dedit, ipse clam retinuit.

5. *Cupiditates*. Libidines. — *Jugulatum*. Omnino condemnatum et perniciei devotum.

6. Al. *possit*. J. V. L.

7. *Gravari*. Aspernari, nec facere posse se dixit, quo scilicet se suamque operam pluris venderet.

8. *Confici*. Fieri poterat.

9. Abest *millia*. Sed confer c. 32, circ. J. V. L.

suis rationibus utilius[10], quam Oppianicum condemnari; illo absoluto, pecuniam illam aut judicibus dispertiendam, aut ipsi esse reddendam; damnato, repetiturum esse neminem. Itaque rem excogitat singularem. Atque hæc, judices, quæ vere dicuntur a nobis, facilius credetis, si cum animis vestris longo intervallo recordari C. Staleni vitam[11] et naturam volueritis. Nam perinde ut opinio est[12] de cujusque moribus, ita, quid ab eo factum, et non factum sit, existimari potest.

XXVI. Quum esset egens, sumptuosus, audax, callidus, perfidiosus, et quum domi suæ, miserrimis[1] in locis et inanissimis, tantum nummorum positum videret, ad omnem malitiam et fraudem versare mentem suam cœpit. Demne judicibus[2]? mihi igitur ipsi, præter periculum et infamiam, quid quæretur? Nihil excogitem, quamobrem Oppianico damnari necesse sit? qui tandem? nihil enim est, quod fieri non possit. Si quis eum forte casus ex periculo eripuerit, nonne reddendum est[3]? Præcipitantem igitur impellamus[4], inquit, et perditum prosternamus. Capit hoc consilium, ut pecuniam quibusdam judicibus levissi-

10. *Utilius.* Sibi commodius. — *Dispertiendam.* Qua nempe antea promissa, judicum animos ac voluntates emeret.

11. *Vitam et naturam.* Nam ipse ait in Rhetor. II: «Ex ante factis vitam hominis spectandam esse, ut res fiat probabilis».

12. *Ut opinio est.* Ex ea, quam de hominis moribus opinionem informavimus, facile judicari potest ac æstimari quid fecerit, aut qua re abstinuerit.

XXVI. 1. Lallem. ex al. MSS, *miserrimus et inanissimus.* J. V. L. — Ernest. vulgatam lectionem tuetur, ut dicta sit pro thesauris, nisi forte legendum loculis. Verum simplicius potest explicari : in his locis in quibus egestas erat, et nihil non inane.

2. *Demne judicibus.* Vix operæ pretium est animadvertere quanta arte agentes ac loquentes semper Cicero inducat.

3. *Reddendum est.* Restituenda pecunia; dicet enim se non mea opera, sed innocentiæ suæ vi absolutum.

4. *Impellamus.* Cadentis ruinam adjuvemus, et jam pereuntem ultimo ictu affligamus.

mis polliceatur; deinde eam postea supprimat: ut, quoniam graves homines sua sponte severe judicaturos putabat, hos, qui leviores erant, destitutione[5] iratos Oppianico redderet. Itaque, ut erat semper præposterus[6] atque perversus, initium facit a Bulbo; et eum, quod jamdiu nihil quæsierat, tristem atque oscitantem, leviter impellit[7]. Quid tu? inquit; ecquid me adjuvas, Bulbe, ne gratis reipublicæ serviamus? Ille vero, simul atque hoc audivit, ne gratis: Quo voles, inquit, sequar. Sed quid affers[8]? Tum ei quadraginta millia, si esset absolutus Oppianicus, pollicetur; et eum, ut ceteros[9] appellet, quibuscum loqui consuesset, rogat; atque etiam ipse conditor[10] totius negotii, Guttam adspergit huic Bulbo. Itaque minime amarus is visus est, qui aliquid ex ejus sermone speculæ degustarat. Unus et alter dies intercesserat, quum res parum certa videbatur: sequester[11] et con-

5. *Destitutione.* Eo quod illos promissa Oppianici nomine pecunia destituisset.

6. *Præposterus.* Jocorum seriem hic locus continet, qui nostris auribus forsan frigeant, non autem Romanos offendebant, ut ex Quintil. IV, 2, videre est, qui sine ulla animadversione locum recitat. Longa metaphora est ex cœnæ usu desumpta. Quum enim initium cœnæ a bulbo fieri non soleat, Stalenus tamen a Bulbo judice initium fecerit judicii corrumpendi, ideo vocat eum Cicero præposterum atque omnia perverso ordine agentem.

7. *Leniter impellit.* Cubito leniter attingit.

8. *Sed quid affers?* Quid agendum nuncias?

9. *Ceteros.* Judices, quibuscum familiariter versaretur.

10. *Ipse conditor.* Continuata metaphora: Stalenus ille, qui totam hanc rem condierat, aspergit huic bulbo, amaro scilicet legumini, guttam, seu liquoris paullulum, ejus amaritudinis temperandæ causa. Quod serio sensu significat Guttam, alterum judicem, Bulbo adjunctum fuisse, qui illius promissorum ceteris, quos corrumpendos susceperat, fidem faceret. Sic autem rebus compositis, Bulbus minime visus est amarus ei qui spem aliquam pecuniæ ex ejus sermonibus acceperat. Multus est in hoc admirando loco Manutius, mirumque Ciceronis ingenium in lepore dictorum laudibus effert: nobis hujusmodi joci ex nominibus ducti sæpius frigidi videntur. Conf. Quintil. VI, 3.

11. *Sequester.* Cujus in manu pecunia deponeretur. — *Confirmator.* Qui de pecunia sponderet a Staleno promissa.

firmator pecuniæ desiderabatur. Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, ut blandissime potest: Quid tu, inquit, Pæte (hoc enim sibi Stalenus cognomen[12] ex imaginibus Æliorum delegerat, ne, si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ, quam generis uti cognomine videretur)? qua de re mecum loquutus es, quærunt a me, ubi sit pecunia. Hic ille planus[13] improbissimus, quæstu judiciario pastus, qui illi pecuniæ, quam condiderat, spe jam atque animo incubaret, contrahit frontem (recordamini faciem, atque illos ejus fictos simulatosque vultus); quæritur se ab Oppianico destitutum; et, qui esset totus ex fraude et mendacio factus[14], quique ea vitia, quæ a natura habebat, etiam studio atque artificio quodam malitiæ condivisset, pulchre asseverat se ab Oppianico destitutum; atque hoc addit testimonii, sua illum sententia, quam palam[15] omnes laturi essent, condemnatum iri.

XXVII. Manarat sermo in consilio[1], pecuniæ quamdam mentionem inter judices esse versatam. Res ne-

12. *Cognomen*. C. Stalenus, ut ex hoc loco apparet, e Liguria oriundus erat; sed, ut ait Cicero in Bruto 68, se ipse adoptaverat, et de Staleno Ælium fecerat. Gens autem Ælia in Pætos et Ligures erat divisa; ipse Pæti cognomen assumpsit, ne si Liguris nomen usurpasset, suam e Liguria originem, simulque fraudulentam indolem in memoriam revocaret; namque Ligures subdoli ac mendaces fama celebrabantur; ut dixisse Catonem in Originibus testatur Servius, et Virg. Æneid. XI, 700: « Incidit huic, subitoque adspectu territus hæsit Apenninicolæ bellator filius Auni, Non Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant ». De Staleno plura videre licet ad Brutum, cap. 68, et Top. 20.

13. *Planus*. Sycophanta fraudulentus. Hoc vocabulo usum esse Ciceronem testatur A. Gell. N. A. XVI, 7.

14. *Mendacio factus*. Qui nihil in se habet, præter fraudem et mendacium; tamquam ex his totus corpore et animo constat.

15. *Palam*. E lege Cornelia, reo potestas dabatur, ut sententiæ vel clam vel palam ferrentur; reus autem Oppianicus, qui Staleno pecuniam ad corrumpendos judices dedisset, quin palam sententias ferri vellet, ut in eo Staleni fidem nosset, minime dubium erat.

XXVII. 1. *Manarat sermo in consilio*. In judicum cœtu.

que tam fuerat occulta, quam erat occultanda; neque tam erat aperta, quam reipublicæ causâ aperienda[2]. In ea obscuritate ac dubitatione omnium, Canutio, perito homini, qui quodam odore suspicionis Stalenum corruptum esse sensisset, neque dum rem perfectam arbitraretur, placuit[3] repente pronuntiare judices. Dixerunt, se id velle. Hic tum Oppianicus non magnopere pertimuit. Rem a Staleno perfectam esse arbitrabatur. In consilium erant ituri judices[4] XXXII: sententiis XVI absolutio confici poterat. H-S DCXL in singulos judices distributa, eum numerum sententiarum conficere debebant, ut ad cumulum, spe majorum præmiorum, ipsius Staleni sententia septimadecima accederet. Atque etiam casu tum, quod illud repente erat factum, Stalenus ipse non aderat. Causam nescio quam apud judicem defendebat. Facile hoc Avitus patiebatur, facile Canutius; at non Oppianicus, neque patronus ejus L. Quintius: qui quum esset eo tempore tribunus plebis, convicium C. Junio, judici quæstionis, maximum fecit, ut ne sine Staleno in consilium iretur; quumque id ei per viatores[5] consulto negligentius agi videretur, ipse a publico judicio ad privatum Staleni judicium profectus

2. *Aperienda*. Non tam erat manifesta quam reip. utilitas postulabat.

3. *Placuit*. Quum iterum causam agere posset, maluit sententias statim ferri, ne corruptio a Staleno posset perfici.

4. *Judices XXXII*. In publicis causis non lege definitus fuisse judicum numerus videtur, ut pro Milone judices fuerint 71, in causa Clodii de incestu 55, hic 32. Manutius putat hunc numerum omisso Staleno fuisse, ita ut universi 33 essent. Obloquitur Ferratius parem sæpe judicum numerum fuisse, sicque locum intelligit, ut ad absolutionem sententiæ 17 requirerentur, seu 16 absque illa Staleni, quæ ad implendum numerum jam certa teneretur. Verum simplicius crediderim suffragiis æquis dimissos reos, ita ut 15 sufficerent, more a Græcis et humanitate sumpto, et Staleni sententia supra numerum et ex supervacaneo esset. Ceterum plura vide ad calcem Verr. I, Excurs. de publicis Judiciis. —*Hoc*. Abesse Stalenum.

5. *Viatores*. Accensos, per quos Stalenus advocabatur.

est, et illud pro potestate[6] dimitti jussit; Stalenum ipse ad subsellia adduxit. Consurgitur in consilium; quum sententias Oppianicus, quæ tum erat[7] potestas, palam ferri velle dixisset, ut Stalenus scire posset, quid cuique deberetur. Varia judicum genera: nummarii[8] pauci; sed omnes irati. Ut qui[9] accipere in campo consuerunt, iis candidatis, quorum nummos suppressos esse putant, inimicissimi solent esse; sic ejusmodi judices infesti tum reo venerant. Ceteri nocentissimum[10] esse arbitrabantur; sed spectabant sententia eorum, quos corruptos putabant, ut ex iis constituerent, a quo[11] judicium corruptum videretur.

XXVIII. Ecce tibi[1] ejusmodi sortitio, ut in primis Bulbo, et Staleno, et Guttæ esset judicandum. Summa omnium exspectatio, quidnam sententiæ ferrent[2] leves ac nummarii judices. Atque illi omnes sine ulla dubitatione condemnant. Hic tum injectus est hominibus scrupulus, et quædam dubitatio, quidnam esset actum[3]. Deinde homines sapientes, ex vetere illa disciplina judiciorum, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent, neque eum, de quo esset orta suspicio, pecunia oppugnatum[4], re illa inco-

6. *Pro potestate.* Tribunitio jure.

7. *Erat potestas.* Quod tunc temporis reo licebat.

8. *Nummarii.* Venales, quibus a Staleno promissa primum pecunia, deinde negata.

9. *Ut qui.* Quemadmodum ii qui sua in comitiis vendunt suffragia, infestissimi veniunt candidato illi, qui promissa pecunia ipsos fraudavit, et fidem suam non implevit.

10. *Nocentissimum.* Male Lambin. ed. *innocentissimum.* J. V. L. — *Ceteri.* Justi et integri.

11. *A quo.* Qua ex parte, Cluentiine, an Oppianici.

XXVIII. 1. *Ecce tibi.* Mira quadam sorte evenit, ut, quum prætor de judicum ordine ac loco in ferendis sententiis sortiretur, illi primi ad sententiam dicendam designarentur, qui pecunia tentati videbantur.

2. *Ferrent leves.* Illi qui fidei parum certæ habebantur.

3. *Quidnam esset actum.* An a Cluentio jam fuissent corrupti, quod verum fuisse apparet.

4. *Pecunia oppugnatum.* Ad eum

gnita, primo condemnare vellent; non liquere [5] dixerunt. Nonnulli autem severi homines hoc statuerunt, quo quisque animo quid faceret, spectari oportere; et, si alii [6] pecunia accepta verum judicabant [7], tamen nihilominus se superioribus suis judiciis constare putabant oportere. Itaque damnarunt. Quinque omnino fuerunt, qui illum vestrum innocentem Oppianicum sive imprudentia [8], sive misericordia, sive aliqua suspicione, sive ambitione adducti, absolverent.

Condemnato Oppianico, statim L. Quintius, homo maxime popularis, qui omnes rumorum et concionum ventos colligere [9] consuesset, oblatam sibi facultatem putavit, ut ex invidia senatoria posset crescere, quod ejus ordinis judicia minus jam probari populo arbitrabatur [10]. Habetur una atque altera concio vehemens et gravis: accepisse pecuniam judices, ut innocentem reum condemnarent, tribunus plebis clamitabat; agi fortunas omnium dicebat; nulla [11] esse judicia; qui pecuniosum inimicum haberet, incolumem esse neminem posse. Homines totius ignari negotii, qui Oppianicum numquam vidissent, virum optimum, et hominem pudentissimum, pecunia oppressum arbitrarentur, incensi suspicione, rem in

opprimendum pecunia fuisse tentatos judices.

5. *Non liquere.* Quibus satis cognita causa non erat, ut in ferenda sententia aut damnarent, aut absolverent, hoc utebantur verbo, quæ significatio ampliationis erat.

6. *Si alii.* Si nonnulli ad bene judicandum pecuniam accepissent.

7. Ernest. conj. *judicarent*, vel *judicassent.* J. V. L.

8. *Imprudentia.* Sive ignorantes, sive corruptos a Cluentio judices suspicati, sive captandæ gratiæ causa.

9. *Ventos colligere.* Merito putat Ernest. significantius aliquod his verbis subesse, quam si cum interpretibus dicas rumores aucupari; non enim modo rumores expiscabatur tribunus Quintius, sed etiam concionum procellas, ut ait Livius, ciere omni ope atque opera tentabat.

10. *Arbitrabatur.* Quod et ipse Cicero popularis auræ cupidior in orationibus sæpius jactabat.

11. *Nulla esse.* Non jam exsistere judicia, et illi perniciem instare qui a divite inimico accusaretur.

medium vocare cœperunt, et causam illam totam deposcere[12]. Atque illo ipso tempore in ædes T. Annii, hominis honestissimi, necessarii et amici mei, noctu Stalenus, arcessitus ab Oppianico, venit. Jam cetera nota sunt omnibus: ut cum illo Oppianicus egerit de pecunia[13]; ut ille se redditurum esse dixerit; ut eorum sermonem omnem audierint viri boni, qui tum consulto propter[14] in occulto stetissent; ut res patefacta, atque in forum prolata, et pecunia omnis a Staleno extorta atque erepta sit.

XXIX. Hujus Staleni persona[1], populo jam nota atque perspecta, ab nulla turpi suspicione abhorrebat[2]; suppressam esse ab eo pecuniam, quam pro reo pronuntiasset[3], qui erant in concione, non intelligebant: neque enim docebantur. Versatam esse in judicio mentionem pecuniæ sentiebant; innocentem reum condemnatum esse audiebant; Staleni sententia condemnatum videbant; non gratis id ab eo factum esse, quod hominem norant, judicabant. Similis in Bulbo, in Gutta, in aliis nonnullis suspicio consistebat. Itaque confiteor[4] (licet enim jam impune, hoc

12. *Deposcere.* Ad se vocare, suæ cognitioni ac judicio reservare.

13. *Egerit de pecunia.* Sibi restitui pecuniam juberet, quam ut absolveretur, dederat.

14. MSS Palat. et alii nonnulli, *prope*. J. V. L.

XXIX. 1. *Staleni persona.* Non idem est quod Stalenus ipse, verum pro eo agendi modo ponitur, quem sequebatur ubique Stalenus, et e quo, tamquam e persona sibi imposita, cognoscebatur. Quod optime vernacula lingua, inde deducto vocabulo, extulerit.

2. *Abhorrebat.* Is erat in quem nullius non turpitudinis suspicio cadere posset.

3. *Pronuntiasset.* Promisisset: quo sensu sæpius usurpatur.—*Non intelligebant.* Qua ex parte corruptus fuisset.

4. *Confiteor.* Fateor ergo, quum populus Oppianici mores ignoraret, quum emptis suffragiis damnatum innocentem indignaretur, quam corrupti judicii suspicionem augebat Staleni et aliorum judicum turpitudo; quum denique illa causa a potentissimo, et magna vi ad concitandam multitudinem prædito homine L. Quintio ageretur, in summum odium venisse illud judicium.

præsertim in loco, confiteri), quod Oppianici non modo vita, sed etiam nomen ante illud tempus populo ignotum fuisset; indignissimum porro videretur, circumventum esse innocentem pecunia; hanc deinde suspicionem augeret Staleni improbitas, et nonnullorum ejus similium judicum turpitudo; causam autem ageret L. Quintius, homo quum summa potestate præditus, tum ad inflammandos animos multitudinis accommodatus : summam illi judicio invidiam infamiamque esse conflatam. Atque in hanc [5] flammam recentem, C. Junium, qui illi quæstioni præfuerat, injectum esse memini, et illum hominem ædilitium, jam prætorem opinionibus hominum constitutum, non disceptatione dicendi, sed clamore hominum, de foro[6] atque adeo de civitate esse sublatum.

Neque me pœnitet hoc potius tempore, quam illo, causam A. Cluentii defendere. Causa enim manet eadem, quæ mutari nullo modo potest : temporis iniquitas atque invidia recessit, ut, quod in tempore mali fuit, nihil obsit; quod in causa boni fuit, prosit. Itaque nunc quemadmodum audiar, sentio, non modo ab iis, quorum judicium atque potestas est; sed etiam ab illis, quorum tantum est existimatio. At tum si dicerem [7], non audirer : non quod alia res esset, imo eadem, sed tempus aliud. Id adeo[8] sic cognoscite.

5. *In hanc flammam.* Recens id invidiæ incendium M. Junium absorpsit, quæstionis judicem, qui ad prætoriam dignitatem hominum opinione destinabatur. Porro jam adnotavimus illum veluti præsidis provinciam, non magistratum esse, sed tamen quemdam esse gradum, et ad id muneris implendum quæri solitos qui jam erant ædilitate functi.

6. *De foro.* Honoribus quos aut gesserat, aut sperabat, et civitatis jure est orbatus. — *Quod in tempore mali.* Quæ temporum iniquitate pejus sunt judicata.

7. *Si dicerem.* Si tunc temporis dixissem, non mea verba audire voluissent.

8. *Adeo.* Familiaris Ciceroni locutio, quæ attentionem rogantis est.

XXX. Quis tum[1] auderet dicere, nocentem condemnatum esse Oppianicum? quis nunc id audet negare? Quis tum posset arguere, ab Oppianico judicium tentatum esse pecunia? quis id hoc tempore infitiari potest? Cui tum liceret docere, Oppianicum reum factum esse tum denique, quum duobus proximis præjudiciis condemnatus esset? quis est, qui id hoc tempore infirmare conetur? Quare, invidia remota, quam dies mitigavit, oratio mea deprecata est, vestra fides atque æquitas a veritatis disceptatione rejecit; quid est præterea, quod in causa relinquatur[2]?

Versatam esse in judicio pecuniam, constat: ea, quæritur, unde profecta sit? ab accusatore, an ab reo. Accusator[3] dicit hæc: Primum, gravissimis criminibus accusabam, ut nihil opus esset pecunia; deinde, condemnatum adducebam, ut ne eripi[4] quidem pecunia posset; postremo, etiamsi absolutus esset, mearum tamen omnium fortunarum status incolumis maneret. Quid contra reus? Primum, ipsam multitudinem et atrocitatem criminum pertimescebam; deinde, Fabriciis propter conscientiam[5] mei sceleris condemnatis, me esse condemnatum, sentiebam; postremo, in eum casum veneram, ut omnis mearum fortunarum status unius judicii periculo contineretur.

Age, quoniam corrumpendi judicii causas ille multas et graves habuit, hic nullam: profectio[6] ipsius pecuniæ requiratur. Confecit tabulas[7] diligentissime

XXX. 1. *Tum.* In illa olim temporum iniquitate.

2. *Relinquatur.* Dubium jam et mihi dicendum supersit.

3. *Accusator.* Nempe Cluentius.

4. *Eripi.* Legibus et pœnæ. *Eripi* aut *auferri* dicitur reus, qui aut potentia, aut pecunia, aut vi impune evadit, quum secundum leges esset puniendus.

5. *Propter conscientiam.* Quod mei sceleris essent conscii.

6. *Profectio.* Unde sit profecta pecunia; et quo itinere ad judicem aliquem pervenerit.

7. *Tabulas.* Accepti et expensi, ut omnes patresfamilias.

Cluentius. Hæc autem res habet hoc certe, ut nihil possit neque additum, neque detractum de re familiari latere. Anni sunt octo[8], quum ista causa in ista meditatione versatur, quum omnia, quæ nunc ad eam rem pertinent, et ex hujus, et ex aliorum tabulis, agitatis, tractatis, inquiritis : quum interea Cluentianæ pecuniæ vestigium nullum invenitis. Quid? Albiana[9] pecunia vestigiisne nobis[10] odoranda est, an ad ipsum cubile, vobis ducibus, venire possumus? Tenentur uno in loco H-S IↃCXL; tenentur apud hominem audacissimum; tenentur apud judicem. Quid vultis amplius? At enim Stalenus non fuit ab Oppianico, sed a Cluentio ad judicium corrumpendum constitutus. Cur eum, quum in consilium iretur, Cluentius et Canutius abesse patiebantur? cur[11], quum in consilium mittebant[12], Stalenum judicem, cui pecuniam dederant, non requirebant? Oppianicus quærebat; Quintius flagitabat; sine Staleno ne in consilium iretur, tribunitia potestate perfectum est. At condemnavit. Hanc enim damnationem dederat obsidem[13] Bulbo et ceteris, ut destitutus ab Oppianico videretur. Quare si istinc causa corrumpendi judicii, istinc pecunia, istinc Stalenus, istinc denique omnis fraus et audacia est; hinc pudor, honesta vita, et nulla suspicio pecuniæ, nulla corrumpendi judicii

8. *Anni sunt octo*. Post damnatum Oppianicum.

9. *Albiana*. Albii Oppianici.

10. Est a Palat. omnibus, et sequenti *vobis*, judice Grutero, egregie opponitur. J. V. L.

11. Male abest illud iteratum *cur* MSS Palat. Deinde pro *quærebat*, alii habent *requirebat*, alii *querebatur*. J. V. L.

12. *Mittebant*. Cluentius et Canutius. Ii dicuntur fecisse, quod proprie prætor seu judex quæstionis facit, quia postularant ut id fieret, et quomodo fieri vellent; sic et Cicero, ut orator, dicit aliquo loco « sic eos (judices) in consilium mittam ».

13. *Dederat obsidem*. Illud propter judices, quos corrumpendos primo susceperat, tunc facere debebat ut ostenderet se a corruptore elusum, nec quidquam esse jam sperandum.

causa : patimini, veritate patefacta, atque omni errore sublato, eo transire[14] illius turpitudinis infamiam, ubi cetera maleficia consistunt; ab eo invidiam discedere aliquando, ad quem numquam accessisse culpam videtis.

XXXI. At enim pecuniam Staleno dedit Oppianicus, non ad corrumpendum judicium, sed ad conciliationem[1] gratiæ. Tene hoc, Atti, dicere, tali prudentia, etiam usu atque exercitatione præditum? Sapientissimum[2] esse dicunt eum, cui, quod opus sit, ipsi veniat in mentem; proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet. In stultitia contra est[3]. Minus enim stultus est is, cui nihil in mentem venit, quam ille, qui, quod stulte alteri venit in mentem, comprobat[4]. Istam conciliationem gratiæ Stalenus tum recenti re, quum faucibus premeretur[5], excogitavit; sive, ut homines tum loquebantur, a P. Cethego admonitus, istam dedit conciliationis et gratiæ fabulam. Nam fuisse hunc hominum sermonem, recordari potestis : Cethegum, quod hominem odisset, et quod ejus improbitatem versari in republica nollet, et quod videret, eum, qui se ab reo pecuniam, quum judex esset, clam atque extra

14. *Eo transire.* Ad istam redire originem, unde tot profecta malefacta.

XXXI. 1. *Conciliationem.* Ut secum Cluentius Staleni opera in gratiam rediret.

2. *Sapientissimum.* Ex Hesiodo, Oper. et D. v. 291, expressa sententia, quam in Antigona usurpavit Sophocles : Φημὶ ἔγωγε πρεσβεύειν πολὺ Φῦναι τὸν ἄνδρα πάντ' ἐπιστήμης πλέω. Εἰ δ' οὖν (φιλεῖ γὰρ τοῦτο μὴ ταύτῃ ῥέπειν) Καὶ τῶν λεγόντων εὖ καλὸν τὸ μανθάνειν. Eadem omnino dicentem M. Minucium inducit T. Livius, lib. XXXIII, cap. 29.

3. *In stultitia.* Contrarium stultis accidit.

4. *Quod stulte alteri venit in mentem, comprobat.* Eodem sensu satyricus noster, Art. Poet. I :

Un sot trouve toujours un plus sot qui l'admire.

5. *Faucibus premeretur.* Hanc rationem conciliandi cum Oppianico Cluentii invenit, quum sententiis judicum pæne jugularetur.

ordinem [6] accepisse confessus esset, salvum esse non posse, minus ei fidele [7] consilium dedisse. In hoc si improbus Cethegus fuit, videtur mihi adversarium removere voluisse: sin erat ejusmodi causa, ut Stalenus nummos se accepisse negare non posset; nihil autem erat periculosius, nec turpius, quam, ad quam rem accepisset, confiteri; non est consilium Cethegi reprehendendum [8]. Verum alia causa tum Staleni fuit, alia nunc, Atti, tua est. Ille, quum re premeretur [9], quodcumque diceret, honestius diceret, quam si, quod erat factum, fateretur. Te vero illud idem, quod tum explosum et ejectum est, nunc retulisse demiror. Qui enim poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius, qui cum matre habebat simultates? hærebat [10] in tabulis publicis reus et accusator; condemnati erant Fabricii; nec elabi alio accusatore poterat Albius, nec sine ignominia calumniæ relinquere accusationem Cluentius.

XXXII. An ut prævaricaretur [1]? Jam id quoque ad corrumpendum judicium [2] pertinet. Sed quid opus erat ad eam rem judice sequestre? et omnino, quamobrem tota ista res per Stalenum potius, hominem ab utroque alienissimum, sordidissimum, turpissimum, quam

6. *Extra ordinem*. Ob nullam rem legitimam.

7. *Minus fidele*. Satis perfidum: quum sciret explosum iri, ut inane, commentum illud conciliatæ gratiæ.

8. *Reprehendendum*. Non enim huic sic explicito suberat perfidia.

9. Edd. ante Aldum, *reprehenderetur*. J. V. L.

10. *Hærebat*. Jam in albo erant proposita accusatoris Cluentii et rei Oppianici nomina; ita ut, vel si cum Cluentio in gratiam rediret Oppianicus, ab alio posset accusari, qui eum effugere non sivisset; et ipse Cluentius non posset ab accusando desistere, quin calumniæ subiret infamiam.

XXXII. 1. *Prævaricaretur*. An pecunia data est Staleno qui Cluentium adduceret ut cum reo colluderet, suam ipse causam proderet, nec veri et fortis accusatoris partes ageret? Vid. supra cap. 21.

2. *Ad corrumpendum judicium*. Nam accusatorem a suscepta causa removere, corrupti judicii genus est.

per bonum aliquem virum ageretur, et amicum necessariumque communem? Sed quid ego hæc pluribus, quasi de re obscura, disputo [3]; quum ipsa pecunia, quæ Staleno data est, numero ac summa sua non modo quanta fuerit, sed etiam ad quam rem data fuerit, ostendat? Sexdecim dico judices, ut Oppianicus absolveretur, corrumpendos fuisse; ad Stalenum sexcenta et quadraginta millia nummum esse delata. Si, ut tu dicis, gratiæ conciliandæ causa, quadraginta istorum accessio [4] millium quid valet? si, ut nos dicimus, ut DCXL [5] millia nummum sexdecim judicibus darentur; non Archimedes melius potuit describere [6].

At enim judicia facta [7] permulta sunt, a Cluentio judicium esse corruptum. Imo vero ante hoc tempus omnino ista ipsa res suo nomine [8] in judicium numquam est vocata. Ita multum agitata, ita diu jactata ista res est, ut hodierno die primum causa illa defensa sit, hodierno die primum veritas vocem contra invidiam, his judicibus freta, miserit. Verumtamen multa ista judicia quæ sunt? ego enim me ad omnia confirmavi, et sic paravi, ut docerem, quæ facta postea judicia de illo judicio [9] dicerentur, partim ruinæ similiora [10] aut tempestati, quam judicio et disceptationi fuisse, partim nihil contra Avitum valere [11], partim etiam pro

3. Beck. e MSS Oxon. et multis aliis, *disputem*. J. V. L.

4. *Accessio*. Si ad emendam Cluentii amicitiam darentur, quid illa quadraginta millia amplius significant? Nonne satis erant sexcenta millia? — Lambin. transponit *millium* ante *accessio*. J. V. L.

5. Al. *quadragena*. J. V. L.

6. *Potuit describere*. Nam 40,000 per 16 multiplicata, 640,000 efficiunt.

7. *Judicia facta*. Quinque condemnatis, tamquam nummariis judicibus.

8. *Suo nomine*. Quod non eo accusati sunt et damnati nomine quod pecuniam a Cluentio accepissent; quamvis vera causa fuerit damnationis.

9. *De illo judicio*. De illo quo damnatus est Oppianicus.

10. *Ruinæ similiora*. Quale illud Junii fuit.

11. *Valere*. Ut Bulbi damnatio. — *Pro hoc esse*. Ut Staleni et Falculæ, de quibus infra.

hoc esse, partim esse ejusmodi, ut neque appellata umquam judicia sint, neque existimata. Hic ego, magis ut consuetudinem servem, quam quod vos non vestra hoc sponte faciatis, petam a vobis, ut me, dum de his singulis disputo judiciis, attente audiatis.

XXXIII. Condemnatus est C. Junius, qui ei quæstioni præfuerat; adde etiam illud, si placet: tum est condemnatus, quum esset judex quæstionis [1]. Non modo causæ, sed ne legi quidem quidquam per tribunum plebis laxamenti datum est. Quo tempore illum a quæstione ad nullum aliud reipublicæ munus abduci licebat, eo tempore ad quæstionem [2] ipse abreptus est. At quam quæstionem [3]? Vultus enim vestri, judices, me invitant, ut, quæ reticenda putaram, libeat jam libere dicere. Quid? illa tandem quæstio, aut disceptatio, aut judicium fuit? Putabo [4] fuisse. Dicat, qui vult [5] hodie de illo populo concitato, cui tum mos gestus est, qua de re Junius causam dixerit. Quemcumque rogaris, hoc respondebit, quod pecuniam acceperit, quod innocentem circumvenerit. Est hæc opinio. At, si ita esset, hac lege [6] accusatum esse opor-

XXXIII. 1. *Judex quæstionis.* Quamvis, ut supra diximus, non ille esset magistratus, ideoque in judicium adduci nec finito tempore posset, apparet tamen moris fuisse, ut quædam ei reverentia tribueretur; quæ Quintio tribuno obstare debebat quin eum ad populum citius raperet : hac autem non servata consuetudine abutitur orator, quasi non mos tantum, verum ipsa lex esset violata.

2. *Ad quæstionem.* Ad judicium, ut de ipso quæsitore quæreretur.

3. Al. « Ad quam quæstionem ». Quod Grævio non displicebat. J. V. L.

4. Lambinus aliique, « Putato »; Mich. Brutus maloit « Putatote », ut ad judices referatur, sed contra scriptos codices. J. V. L.

5. *Qui vult.* Libenter volentem aliquem ex hac turba olim concitata, interrogabo, cujus rei accusatus fuerit Junius.

6. *Hac lege.* Lex Cornelia, qua accusatus erat Cluentius, ad sicarios, veneficos, corruptosque judices pertinebat. In ea enim illud nominatim continebatur : « qui, quum magistratus esset, publicove judicio præesset; quive magistratus, judexve quæstionis ob capitalem causam pecuniam acceperit, etc. » Digest. XLVIII, 8.

tuit, qua accusatur Avitus. At ipse ea lege quærebat. Paucos dies [7] exspectasset Quintius. At neque privatus accusare, nec sedata jam invidia, volebat. Videtis igitur, non in causa, sed in tempore [8] ac potestate spem omnem accusatoris fuisse. Multam petivit. Qua lege? quod in legem non jurasset [9]; quæ res nemini umquam fraudi fuit : et quod C. Verres, prætor urbanus, homo sanctus et diligens, subsortitionem [10] ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur [11]. His de causis C. Junius condemnatus est, judices, levissimis et infirmissimis; quas omnino in judicium afferri non oportuit. Itaque oppressus est, non causa, sed tempore.

XXXIV. Hoc vos Cluentio judicium putatis obesse oportere? Quam ob causam? Sic ex lege subsortitus non erat Junius, aut si in legem aliquando non juraverat; idcirco illius damnatione aliquid de Cluentio judicabatur? Non, inquit; sed ille idcirco his legibus condemnatus est, quod contra aliam legem [1] commi-

7. *Paucos dies.* Donec Junius quærere desiisset. Sed eo etiam tempore finiebatur tribunorum potestas, qui IV id. dec. se abdicare solebant. Observandum autem est Quintii apud populum gratiam vel post tribunatum perdurasse. Vid. cap. 40.

8. *In tempore.* Propter recentem invidiam. — *In potestate.* Quod tribunus plebis erat Quintius.

9. *Non jurasset.* In quam judicibus jurandum. Hoc ostenditur differre a prætore judex quæstionis; prætor enim non jurat.

10. *Subsortitionem.* Postquam certum judicum numerum accusator ac reus rejecissent, altera fiebat sortitio, seu subsortitio; quum autem nomina judicum sortitione et subsortitione delectorum a Junio, judice quæstionis, Verri prætori urbano in codice scripta tradita essent, in eo codice non comparebant nomina judicum subsortitione electorum; verum iste codex litura corruptus proferebatur. Ceterum de hac tota re cf. quæ diximus ad prim. act. in Verr. 13, et Verr. I, 61.

11. *Proferebatur.* Transfert a Junio culpam in Verrem qui codicem suum corruperit, ut damnaretur Junius: quod alii sententiam judices de Oppianico tulissent, alii scripti essent in suo codice. Asconius tamen Verrem excusat, eaque de re Ciceronem invidiose magis quam vere loqutum dicit.

XXXIV. 1. *Contra aliam legem.* Quamvis de certis tantum et lege definitis sceleribus judicari posset

serat. Qui hoc confitentur, possunt illud iidem[2] judicium fuisse defendere[3]? Ergo idcirco, inquit, infestus tum prætor[4] Junio fuit, quod illud judicium corruptum per eum putabatur. Num igitur hoc tempore causa mutata est? num alia res, alia ratio illius judicii, alia natura totius negotii nunc est, ac tum fuit? Non opinor, ex iis rebus, quæ gestæ sunt, rem ullam potuisse mutari. Quid ergo est causæ, quod nunc nostra defensio audiatur tanto silentio, tunc Junio defendendi sui potestas erepta sit? Quia tum in causa nihil erat, præter invidiam, errorem, suspicionem, conciones quotidianas, seditiose ac populariter concitatas. Accusabat tribunus plebis idem in concionibus, idem ad subsellia; ad judicium non modo de concione, sed etiam cum ipsa concione veniebat. Gradus illi Aurelii[5], tum novi, quasi pro theatro illi judicio ædificati videbantur: quos ubi accusator concitatis hominibus compleratt, non modo dicendi ab reo[6], sed ne surgendi quidem potestas erat.

Nuper apud C. Orchinium[7], collegam meum, locus[8]

reus, et sua cuique questioni seu tribunali attributa crimina essent, solebat tamen accusator et cetera rei crimina, licet ad rem non pertinentia, proferre quibus sæpius judices impellebantur. Itaque Attius contendit specie quidem propter duas leges violatas, sed reipsa propter corruptum a Cluentio judicium fuisse damnatum Junium.

2. Male olim *idem*, et *non fuisse*. Voculam *non* plane ignorant codd. regii. J. V. L.

3. *Defendere.* Qui fatentur Junium his legibus condemnatum esse, quod contra aliam legem peccavisset, quomodo possunt contendere illud judicium verum et justum fuisse?

4. *Prætor.* Quo quærente de corruptis judicibus damnatus est Junius.

5. *Gradus illi Aurelii.* Erant illi in foro romano haud procul a tribunali et a subselliis, ubi judicia habebantur. Digito autem illos monstrabat orator. Cf. pro Flacco, 28; pro Sextio, 15; in Pis. 5. — *Novi.* Nempe videntur ædificati a. U. C. 678, quo C. Aurelius Cotta consulatum cum Octavio gessit et ab eo nomen accepisse. Judicium autem Junii anno 679 factum est.

6. *Ab reo.* Pro reo. — *Surgendi.* Propter turbam.

7. *C. Orchinium.* Ille in prætura Ciceronis collega erat, ac de peculatu quærebat, ut videre est cap. 53.

8. *Locus.* Quum accusatus fuisset

ab judicibus Fausto Sullæ de pecuniis residuis non est constitutus: non quo illi aut exlegem [9] esse Sullam, aut causam pecuniæ publicæ contemptam atque abjectam putarent; sed quod, accusante tribuno plebis, conditione æqua disceptari posse non putaverunt [10]. Quid? conferam Sullamne cum Junio? an hunc tribunum plebis [11] cum Quintio? an vero tempus cum tempore? Sulla maximis opibus [12], cognatis, affinibus, necessariis, clientibus plurimis; hæc autem apud Junium parva, et infirma, et ipsius labore quæsita atque collecta. Hic tribunus plebis, modestus, pudens [13], non modo non seditiosus, sed etiam seditiosis adversarius; ille autem acerbus, criminosus [14], popularis homo ac turbulentus. Tempus hoc tranquillum ac pacatum; illud omnibus invidiæ tempestatibus concitatum. Quæ quum ita essent, in Fausto tamen illi judices statuerunt, iniqua conditione reum causam dicere, quum adversario ejus ad jus accusationis summa vis potestatis accederet.

XXXV. Quam quidem rationem vos, judices, diligenter, pro vestra sapientia et humanitate, cogitare et penitus perspicere debetis, quid mali, quantum periculi unicuique nostrum inferre possit vis tribunitia, conflata præsertim invidia et concionibus seditiose concitatis. Optimis hercle temporibus, tum, quum

Faustus Sulla, dictatoris filius, de pecuniis quas ad remp. pertinentes L. Sulla in ærarium non retulisset, judices definitum tempus dicendæ causæ constituere noluere. Supra cap. 22, eodem sensu vidimus usurpari *locum*, quod ordo fit reorum in tabulis prætoris quo causam dicant.

9. *Exlegem*. Non quod supra leges eminere Sullam arbitrarentur.

10. Sic MSS Ernest. *putarent;* Schütz, *putabant*. J. V. L.

11. *Hunc tribunum pl*. Qui Faustum accusaverat.

12. *Maximis opibus*. Summa potentia ac gratia.

13. Alii, *prudens*. J. V. L.

14. *Criminosus*. Qui alios criminibus onerat; et premendo alios apud populum se extollit.

homines se non jactatione populari[1], sed dignitate atque innocentia tuebantur, tamen nec P. Popillius[2], nec Q. Metellus, clarissimi atque amplissimi viri, vim tribunitiam sustinere potuerunt : nedum his temporibus, his moribus, his magistratibus, sine vestra sapientia, ac sine[3] judiciorum remediis, salvi esse possimus. Non fuit igitur[4] illud judicium judicii simile, judices, non fuit; in quo non modus est habitus, non mos consuetudoque servata, non causa defensa. Vis illa fuit, et, ut sæpe jam dixi, ruina quædam atque tempestas, et quidvis potius, quam judicium, aut disceptatio, aut quæstio. Quod si quis est, qui illud judicium fuisse arbitretur, et qui his rebus judicatis standum putet; is tamen hanc causam ab illa debet sejungere. Ab illo enim, sive quod in legem non jurasset, sive quod ex lege subsortitus judicem non esset, multa petita esse dicitur. Cluentii autem ratio cum illis legibus, quibus a Junio multa petita est, nulla potest ex parte esse conjuncta[5]. At etiam Bulbus est condemnatus. Adde, majestatis : ut intelligas, hoc judicium cum illo[6] non esse conjunctum. At est hoc illi crimen objectum. Fateor; sed etiam legionem esse ab eo sollicitatam[7] in Illyrico, C. Cosconii literis et

XXXV. 1. *Quum homines... jactatione populari*. Concitatione et veluti tempestate populi.

2. *P. Popillius*. Is prætor quum amicos Tib. Gracchi in exsilium ejecisset, lege ejusdem Tib. Gracchi accusatus est qua cavebatur, si quis magistratus civem rom. sine judicio morte aut exsilio multasset, in eum populi animadversionem fore. Olim « C. Popilius », falso. — *Q. Metellus*. Numidicus. Quum in legem agrariam jurare renuisset, Saturnini tribuni pl. jussu, Roma est expulsus, et aqua, igni et tecto ei interdictum. Vid. Plutarch.

3. Abest *sine*. J. V. L.

4. *Non fuit igitur*. Grævius ut omnem tautologiam excludat, sic interpungit : « non fuit ig. ill. judicium; jud. sim. jud. non fuit ». Paullo infra loco « habitus » alii « adhibitus ».

5. *Esse conjuncta*. Objici tamen Ciceroni poterat idem non ex lege subsortitum Junium, quod a Cluentio fuerat tentatus.

6. *Cum illo*. Cum Cluentiano.

7. *Sollicitatam*. Auctore Ulpiano, Digest. XLVIII, majestatis lege tene-

multorum testimoniis planum factum est : quod crimen erat proprium illius quæstionis, et quæ res lege majestatis tenebatur. At hoc[8] obfuit ei maxime. Jam ista divinatio est : qua si uti licet, vide, ne mea conjectura multo sit verior. Ego enim sic arbitror, Bulbum, quod homo nequam, turpis, improbus, multis flagitiis contaminatus in judicium sit adductus, idcirco facilius esse damnatum : tu mihi ex tota causa Bulbi, quod tibi commodum est, eligis, ut id esse sequutos judices dicas.

XXXVI. Quapropter hoc Bulbi judicium non plus obesse huic causæ debet, quam illa, quæ commemorata sunt ab accusatore, duo judicia, P. Popillii[1], et T. Guttæ : qui causam de ambitu dixerunt, qui accusati sunt ab iis, qui erant ipsi ambitus[2] condemnati : quos ego non idcirco esse arbitror in integrum résti-tutos, quod planum fecerint, illos ob rem judicandam pecuniam accepisse; sed quod judicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent, se ad præmia legis venire oportere. Quapropter neminem dubitare existimo, quin illa damnatio ambitus nulla ex parte cum causa Cluentii vestroque judicio conjuncta esse possit. Quid, quod Stalenus est condemnatus? Non dico hoc tempore,

tur, qui milites sollicitaverit, concitaveritve, quo seditio tumultusve adversus remp. fiat. Conf. ad calc. Verr. I, exc. de Publ. jud. § Quæstio majestatis.

8. *Hoc*. Crimen corrupti judicii, quod Bulbo est objectum.

XXXVI. 1. *P. Popillii*. Unius e judicibus, non ejusdem vero cujus antea cap. 35 meminit. Quintilianus, dum hunc locum V, 10, recitat, Tiberium Guttam scribit.

2. *Ambitus condemnati*. Si quis legibus de ambitu damnaretur, pecunia et magistratu multabatur (Sall. Catil. 18); sin alium quempiam ejusdem criminis reum convinceret, in integrum restituebatur; Cicero autem consul Tulliam legem de ambitu tulit ceteris severiorem, cujus damnato exsilii pœna constituta est. Plura de hac parte vide, ut supra ad calcem Verr. I, Excurs. de jud. § quæstio perpetua de ambitu.

judices, id quod nescio an dici oporteat, illum majestatis esse damnatum; non recito testimonia hominum honestissimorum, quæ in Stalenum sunt dicta ab iis, qui M. Æmilio[3] clarissimo viro, legati, et præfecti, et tribuni militares fuerunt: quorum testimoniis planum factum est, maxime ejus opera, quum quæstor esset, in exercitu seditionem esse conflatam. Ne illa quidem testimonia recito, quæ dicta sunt, de H-S ɔɔc; quæ ille quum accepisset nomine judicii Safiniani[4], sicut in Oppianici judicio postea, retinuit atque suppressit. Omitto et hæc, et alia permulta, quæ illo judicio in Stalenum dicta sunt: hoc dico, eamdem tum fuisse P. et L. Cominiis[5], equitibus romanis, honestissimis hominibus, et disertis, controversiam cum Staleno, quem accusabant, quæ nunc mihi est cum Attio. Cominii dicebant idem, quod ego dico: Stalenum ab Oppianico pecuniam accepisse, ut judicium corrumperet; Stalenus conciliandæ gratiæ causa se accepisse dicebat. Irridebatur hæc illius reconciliatio, et persona viri boni suscepta, sicut in statuis inauratis, quas posuit ad Juturnæ[6]: quibus subscripsit, REGES AB SE IN GRATIAM ESSE REDUCTOS. Exagitabantur omnes ejus fraudes atque fallaciæ; tota

3. *M. Æmilio*. Qui cum Q. Catulo fuit consul. Sed verius conjicit Manutius scribendum « Mam. Æmilio », ita ut sit Mamercus Æmilius Lepidus Livianus, qui consul anno 676 cum D. Junio Bruto, et anno sequente proconsul in Italia habuit hunc Stalenum quæstorem.

4. *Safiniani*. Quum judicium Safinii Atellæ corrumpendum recepisset, sup. cap. 25.

5. *P. et L. Cominiis*. P. Cominius Spoletinus eques rom. Ciceronis amicus fuit; quo accusante C. Cornelium majestatis reum Cicero defendit. De his plura vid. in Brut. et apud Asconium in argum. Cornelianæ.

6. *Ad Juturnæ*. Nempe ad ædem Juturnæ, quæ Turni soror quum stagnis et fluminibus præsideret, templum in campo Martio sibi dedicatum habebat. Servius autem ad Æneid. XII, 139, Juturnam fontem in Italia saluberrimum fuisse docet, prope fluvium Numicum; quo ex fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueverat. Qui plura volet, adeat tertium Cl. Heyne excursum ad Æneid. VII.

vita in ejusmodi ratione versata aperiebatur; egestas domestica, quæstus forensis in medium proferebatur; nummarius interpres pacis et concordiæ non probabatur[7]. Itaque tum Stalenus, quum idem defenderet, quod Attius, condemnatus est. Cominii quum hoc agerent, quod nos in tota causa egimus, provaberunt. Quamobrem[8] si Staleni damnatione, Oppianicum judicium corrumpere voluisse, Oppianicum judici ad emendas sententias dedisse pecuniam, judicatum est; quum ita constitutum sit, uti in illa culpa aut Cluentius sit, aut Oppianicus: Cluentii nummus nullus judici datus ullo vestigio reperitur[9]; Oppianici pecunia post judicium factum a judice ablata est: potest esse dubium, quin illa damnatio Staleni, non modo non sit contra Cluentium, sed maxime nostram causam defensionemque confirmet?

XXXVII. Ergo adhuc Junii judicium video esse ejusmodi, ut incursionem potius seditionis, vim multitudinis, impetum tribunitium, quam judicium appellandum putem. Quod si quis illud judicium appellet, tamen hoc confiteatur necesse est, nullo modo illam multam, quæ a Junio petita sit, cum Cluentii causa posse conjungi. Illud igitur Junianum per vim factum est; Bulbi, et Popillii, et Guttæ, contra Cluentium non est; Staleni, etiam pro Cluentio est. Videamus ecquod aliud judicium, quod pro Cluentio sit, proferre possimus.

7. *Non probabatur.* Pessimus pacis et concordiæ sequester videbatur venalis iste homo, neque ei credebatur dicenti ob hanc causam se pecuniam accepisse.

8. *Quamobrem.* Itaque si Stalenum damnando constituerunt judices ab Oppianico tentatum fuisse judicium; necesse est enim aut Oppianicum, aut Cluentium fuisse; atqui quum Cluentium pecuniam dedisse nullo vestigio deprehendatur, Oppianici autem pecunia e manibus judicis auferatur; potest ergo quis dubitare, etc.

9. Rectius forte, quod jam Lamb. innuit, *reperiatur*, et post, *ablata sit.*

Dixitne tandem causam C. Fidiculanius [1] Falcula, qui Oppianicum condemnarat, quum præsertim, id quod fuit in illo judicio invidiosissimum, paucos [2] dies ex subsortitione sedisset? Dixit, et bis quidem dixit. In summam enim L. Quintius invidiam concionibus eum quotidianis, seditiosis et turbulentis, adduxerat. Uno judicio [3] multa est ab eo petita, sicut ab Junio, quod non suæ decuriæ munere [4], neque ex lege sedisset. Paullo sedatiore tempore est accusatus, quam Junius, sed eadem fere lege [5], et crimine. Quia nulla in judicio seditio, neque vis, neque turba versata est, prima actione facillime est absolutus. Non numero

XXXVII. 1. *C. Fidiculanius Falcula.* Senator ille, quum vix uno et altero die, tamquam numerum supplens, in judicio Oppianici sedisset, neque ideo causam cognovisset, tamen sententiam tulit, illumque condemnavit. Hoc tantum facinus justa notat infamia Cicero tum in Verr. I, 13, tum maxime pro A. Cæcina, qua in oratione aperte istum a Cluentio suppositum dicit, ut Oppianicus damnaretur. Non absonum videtur locum illum recitare, quo nempe eluceat, quam sibi ipse dissentiat orator: « Meminerant omnes quantum in Albiano (seu Albii Oppianici) judicio accepisset. In eum quid dicam, nisi id, quod negare non possit? Venisse in consilium publicæ quæstionis, quum ejus consilii judex non esset, et in eo consilio quum causam non audiisset, et potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere, dum incognita re judicare voluisset, maluisse condemnare quam absolvere: quum si uno minus damnarent, condemnari reus non posset, non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem præsto fuisse. Utrum gravius aliquid in quemquam dici potest, quam ad hominem condemnandum, quem numquam vidisset, neque audisset, adductum pretio esse? etc. » Post tam manifesta argumenta, remque sæpius hoc sensu a Cicerone prolatam, nescio an magis eloquentiæ mirandæ, an successus deplorandi sit orator qui causam tam infamem suscipit ac vincit.

2. *Paucos dies.* Non statim, ut debuit, subsortitione facta, ut causam posset audire, sed post aliquot dies, incognita causa.

3. *Uno judicio.* Priore causa.

4. *Suæ decuriæ munere.* Senatores, quorum hoc tempore judicia erant, in tres decurias, seu classes divisi erant, quæ vicissim judicia administrarent. Falcula autem inter judices sederat, quum suæ decuriæ sedendi munus non esset; itaque quum alienæ decuriæ munere sederet, cupiditatem aut corruptionem præ se ferre videbatur.

5. *Eadem fere lege.* Junius eo nomine accusatus fuerat, quod contra legem quosdam judices legisset; ex quibus judicibus unus erat Falcula.

hanc absolutionem. Nihilo minus enim potest, ut[6] illam multam non commiserit, accepisse tamen ob rem judicandam, quam Stalenus[7], qui causam nusquam eadem lege dixit. Proprium crimen[8] illud quæstionis ejus non fuit. Fidiculanius quid fecisse dicebatur[9]? accepisse a Cluentio H-S cccc[10]. Cujus erat ordinis? senatorii. Qua lege in eo genere a senatore ratio repeti solet, de pecuniis repetundis, ea lege accusatus, honestissime est absolutus. Acta est enim causa more majorum, sine vi, sine metu, sine periculo : dicta, et exposita, et demonstrata sunt omnia. Addocti[11] judices sunt, non modo potuisse honeste ab eo reum condemnari, qui non perpetuo sedisset[12]; sed, si aliud is judex nihil scisset, nisi, quæ præjudicia de eo facta esse constarent, audire præterea nihil debuisse[13].

XXXVIII. Tum etiam illi quinque, qui imperitorum hominum rumusculos aucupati[1], tum illum absolverunt[2], jam suam clementiam laudari magnopere

6. *Ut*. Utut nihil commiserit, quo illam multam mereretur.

7. *Stalenus, qui causam nusquam... dixit*. Vulg. « pecuniam, quam captam nusquam Stalenus eadem lege dixit ». Ern. atque alii recentiores Lambinum sequuntur. J. V. L.

8. *Proprium crimen*. Hæc ad antecedentia et priorem Falculæ causam referuntur. Ad illos qui eum primo judicaverunt, non pertinebat quærere utrum pecunia fuisset necne corruptus.

9. *Dicebatur*. Alterum hic Falculæ judicium exponit, in quo quum de acceptis H-S quadraginta millibus accusaretur, ea lege judicatus est quæ ad senatores solos (cap. 52 sqq.), ideoque nullo modo ad Cluentium, rom. equitem, pertinebat.

10. Debuit forte scribi « XL, quadraginta » pro « quadringenta ». J. V. L.

11. Al. *adducti*. J. V. L.

12. *Non perpetuo sedisset*. Qui causam totam non audisset.

13. *Nihil debuisse*. Hoc in loco ita causæ suæ servit Cicero, ut omnia justitiæ fundamenta labefactare novis ac pravis omnino opinionibus non dubitet. Non lubenti animo mihi illa capita legi videntur, in quibus ut vincat orator, et veritatem ipsam infringere, et nomen suum cum impurissimis ac flagitiosissimis hominibus communicare cogitur.

XXXVIII. 1. *Rumusculos aucupati*. Vanis ac inanibus rumoribus aures præbentes.

2. *Illum absolverunt*. Oppianicum, a ceteris fere omnibus damnatum.

nolebant[3] : a quibus si qui quæreret, sedissentne judices in C. Fabricium, sedisse se dicerent; si interrogarentur, num quo crimine is esset accusatus, præterquam veneni ejus, quod quæsitum Avito[4] diceretur, negarent; si deinde essent rogati, quid judicassent, condemnasse se dicerent. Nemo enim absolvit. Eodem modo quæsitum si esset de Scamandro, certe idem respondissent : tametsi ille una sententia[5] est absolutus; sed illam unam nemo tum istorum suam dici vellet. Uter igitur facilius suæ sententiæ rationem redderet[6] : isne[7] qui se et sibi, et rei judicatæ constitisse dicit; an ille, qui se in principem maleficii, lenem; in adjutores ejus, et conscios, vehementissimum esse respondet[8] ? Quorum ego de sententia non debeo disputare. Neque enim dubito, quin ii tales viri, suspicione aliqua[9] perculsi repentina, de statu suo declinarint. Quare eorum, qui absolverunt, misericordiam non reprehendo; eorum, qui in judicando superiora judicia sequuti sunt sua sponte, non Staleni fraude, constantiam[10] comprobo; eorum vero, qui sibi non liquere dixerunt, sapientiam laudo : qui absolvere eum, quem nocentissimum cognorant, et quem ipsi bis jam antea condemnarant, nullo modo poterant; condemnare[11], quum tanta consilii infamia,

3. *Magnopere nolebant.* Suæ eos scilicet clementiæ pœnitebat.

4. *Quæsitum Avito.* Quod in Cluentium erat paratum.

5. *Una sententia.* Quam suam esse Stalenus dicebat.

6. *Redderet.* Ernestius mutaverat in *reddet.* J. V. L.

7. *Isne.* Illene Falcula qui cum prioribus judiciis consensit, an, etc.

8. Al. *respondit ?* J. V. L.

9. *Suspicione aliqua.* Nempe corruptum a Cluentio judicium suspicati, quod supra c. 28 obscuris dixit verbis. Loco « perculsis », Ernest. « percussi ».

10. *Constantiam.* Quod sui fuere propositi tenaces.

11. *Condemnare.* Quum de fœdissimis quorumdam judicum prævaricationibus audivissent, maluerunt, ut Oppianicum damnarent, exspectare donec omne id scelus patefieret. Ne temere rem pronuntiarent.

et tam atrocis rei suspicio esset injecta, paullo posterius patefacta re, maluerunt. Ac ne ex facto solum sapientes illos judicetis, sed etiam ex nominibus [12] ipsis, quod ii fecerint, rectissime ac sapientissime factum probetis : quis P. Octavio Balbo ingenio prudentior, jure peritior, fide, religione, officio diligentior, aut sanctior commemorari potest? non absolvit. Quis Q. Considio constantior? quis judiciorum, atque ejus dignitatis, quæ in judiciis publicis versari debet, peritior? quis virtute, consilio, auctoritate præstantior? ne is quidem absolvit [13]. Longum est de singulorum virtute ita dicere : quæ, quia cognita sunt ab omnibus, verborum ornamenta non quærunt. Qualis vir M. Juventius Pedo fuit ex vetere illa judicum disciplina? qualis L. Caulius Mergus ? M. Basilus ? C. Caudinus? qui omnes in judiciis publicis, jam tum florente republica, floruerunt. Ex eodem numero L. Cassius, Cn. Heius, pari et integritate et prudentia : quorum nullius sententia est Oppianicus absolutus. Atque ex his omnibus, natu minimus [14], ingenio, et diligentia, et religione par iis, quos antea commemoravi, P. Saturius, in eadem sententia fuit. O innocentiam Oppianici singularem ! quo in reo, qui absolvit, am-

12. *Nominibus.* Vel illorum nomen satis erit ad ostendendam sapientiam. — Sic Vict. Grut. alii. Olim fuerat *hominibus*, quod Gr. servavit. J.V. L.

13. *Ne is quidem absolvit.* Mirum sane qua arte h. l. orator ita judicum qui amplius pronuntiaverunt, sententias referat, ut illi contra Oppianicum sensisse videantur ; et per formulam eam « non absolvit » illorum auctoritatem cum iis communicet qui omnino damnarunt. Hac etiam ratione sibi seponit orator quædam nomina quæ laudibus possit efferre, quod in tam infami causa non ita facile erat.

14. *Natu minimus.* Quum soli tunc judicarent senatores, incertum qua ætate id juris habere cœperint, quum de ipsa senatoria ætate dubitetur (vide pro leg. Manil. cap. 21). Sed major certe erat quæstoria, quum qui citius in senatum admitterentur, per quæsturam id obtinerent, quam saltem gessissent oportebat, ut in decurias judicum pervenirent. Conf. Dodwel prælect. Camden. X, 8.

bitiosus; qui distulit, cautus; qui condemnavit, constans existimatur.

XXXIX. Hæc [1] tum agitante Quintio, neque in concione, neque in judicio [2] demonstrata sunt. Neque enim ipse dici patiebatur, neque per multitudinem concitatam consistere cuiquam in dicendo licebat. Itaque ipse, posquam Junium pervertit, causam totam [3] reliquit. Paucis enim diebus illis et ipse privatus [4] est factus, et hominum studia deferbuisse intelligebat. Quod si, per quos dies Junium accusavit, Fidiculanium accusare voluisset; respondendi Fidiculanio potestas facta non esset. Ac primo quidem, omnibus illis judicibus, qui Oppianicum condemnarant, minabatur. Jam [5] insolentiam noratis hominis; noratis animos ejus ac spiritus tribunitios. Quod erat odium [6]? dii immortales! quæ superbia? quanta ignoratio sui? quam gravis atque intolerabilis arrogantia? qui illud etiam ipsum acerbe tulerit (ex quo illa nata sunt omnia), non sibi ac defensioni suæ condonatum [7] esse Oppianicum: proinde quasi non satis signi esse debuerit, ab omnibus eum fuisse desertum, qui se ad patronum illum contulisset. Erat enim Romæ summa copia patronorum, hominum eloquentissimorum atque amplissimorum, quorum certe aliquis defendisset equitem romanum [8], in municipio suo nobilem, si honeste putasset ejusmodi causam posse defendi.

XXXIX. 1. *Hæc.* Quæ nunc a me demonstrantur. — *Agitante.* Multitudinem concitante.

2. *In judicio.* Ante judices; quod concioni opponitur.

3. *Causam totam.* Eorum quos a Cluentio corruptos jactaverat, et quibus erat minatus.

4. *Privatum.* Tribunatu excessit, nullaque jura habuit.

5. *Jam.* Gœrenz. conjic. *Nam*, ad Academ. I, 5.

6. *Odium.* Fastus odiosus, importunitas omnibus molesta. Sic Hor. Sat. I, 7: « Durus homo atque odio qui posset vincere Regem ».

7. *Condonatum.* Quod Oppianicus propter suam defensionem non sit absolutus. Conf. Gron. Obs. III, 23.

8. *Equitem rom.* Oppianicum.

XL. Nam Quintius quidem, quam causam umquam antea dixerat, quum annos ad quinquaginta[1] natus esset? quis eum umquam non modo in patroni, sed in laudatoris, aut advocati loco viderat? Qui quod Rostra jamdiu vacua[2], locumque illum, post adventum L. Sullæ, a tribunitia voce desertum, oppresserat[3]; multitudinemque jam desuefactam a concionibus ad veteris consuetudinis similitudinem revocaverat, idcirco cuidam hominum generi paullisper jucundior fuit. Atque idem quanto in odio postea suis illis ipsis fuit, per quos in altiorem locum adscenderat? Neque injuria. Facite enim, ut non solum mores ejus et arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram[4] recordemini. Is, quasi non esset ullo modo ferendum, se ex judicio discessisse victum, rem ab subselliis in Rostra[5]

XL. 1. *Ad quinquaginta*. I. e. circiter. Majorem Quintii inertiam significat: adolescentes enim accusare aut defendere incipiebant, unde sibi gloriam quærerent. L. Quintius sexagenarius ne laudatoris quidem aut advocati officio tum usus fuerat, quum Oppianici causam recepit. De advocatis et laudatoribus vid. supra 20.

2. *Vacua*. Vivo dictatore Sulla, qui potentiam omnem tribunis pleb. ademerat; quam eis restituit Pompeius, post Sertorianum bellum consul creatus.

3. *Oppresserat*. Occupaverat, invaserat.

4. *Demissam purpuram*. Constat ex ipso Cicerone in Vatin. ac Plutarcho in Quæst. Rom. non id juris fuisse tribunis ut laticlaviam gestarent. Itaque non id ad Quintii tribunatum refertur, sed ad illud tempus quo in altiorem gradum provectus est, quæ fuit ædilitas, aut prætura. In qua se adeo arrogantem præbuit ut, quum ceteri paullo supra imam togæ oram purpuram circumtextam gestarent, ille multo latiorem, et ab ipsis faucibus talos ipsos perfundentem induerit; quod luxus ac superbiæ summum erat specimen. Non autem eum reprehendit Cicero quod toga ad talos demissa fuerit, nam, ut ait Quint. XI, 3, togam veteres Romani ad calceos usque demittebant, ut Græci pallium. Hujusmodi togis Ciceronem usum fuisse, et qui post eum fuerunt idem auctor est; sed eo tantum nomine exagitat quod purpura per totam togæ longitudinem sit prætexta. Idem Quint. V, 13 a patronis aliquando adversarii vitam, vultum, incessum, habitum recte incusari tradit: « ut, inquit, adversus Quintium Cicero ipsam prætextam demissam ad talos insectatus est: presserat enim turbulentis concionibus Cluentium Quintius ».

5. *In rostra*. A tribunali judicum ad populi judicium, rem integram transtulerat.

detulit. Et jam querimur sæpe, hominibus novis non satis magnos in hac civitate esse fructus! Nego usquam umquam fuisse majores : ubi, si quis ignobili loco natus, ita vivat, ut nobilitatis dignitatem[6] virtute tueri posse videatur, usque eo pervenit, quoad eum industria cum innocentia prosequuta est. Si quis autem hoc uno nititur, quod sit ignobilis; procedit sæpe longius, quam si idem ille esset cum iisdem suis vitiis nobilissimus : ut Quintius (nihil enim dicam de ceteris) si fuisset homo nobilis; quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset? Quod eo[7] loco fuit, ita tulerunt, ut, si quid haberet a natura boni, prodesse ei putarent oportere; superbiam autem atque arrogantiam ejus deridendam magis arbitrarentur propter humilitatem hominis, quam pertimescendam.

XLI. Sed, ut illuc revertar : quo tempore Fidiculanius est absolutus, tu, qui ea judicia[1] facta commemoras, quæro, quid tum esse existimas[2] judicatum? certe gratis judicasse[3]. At condemnarat; at causam totam non audierat; at in concionibus omnibus a L. Quintio vehementer erat, et sæpe vexatus. Illa igitur[4] omnia Quintiana, iniqua, falsa, turbulenta, po-

6. *Nobilitatis dignitatem.* Si quis obscuris parentibus ortus altioris gradus splendorem virtute sustinere posse videtur.

7. *Eo loco.* Plebeio. Nemini enim patricio licebat plebis tribunatum gerere.

XLI. 1. *Ea judicia.* De iis judicibus, quos ideo damnatos dicebat accusator, quod accepta a Cluentio pecunia innocentem Oppianicum damnassent.

2. Ernest. frustra conjicit *existimes*, quod B. Weisk. probavit confidentius.

3. *Gratis judicasse.* Non corruptum in judicio fuisse.

4. *Illa igitur.* Hac subtili magis quam vera argumentandi ratione utitur Cicero : non accepisse pecuniam Fidiculanius judicum sententia dictus est, quamvis eum persequeretur Quintius; injuste ergo agebat Quintius; atqui si injuste hoc in loco, in ceteris quoque temere accusabat, quum omnium eadem esset causa; falso ergo crimine accusati sunt, falso damnati ceteri judices. Omnia igitur illa a Quintio subornata judicia falsa fuerunt.

pularia, seditiosa judicia fuerunt. Esto : potuit esse innocens Falcula. Jam ergo aliquis Oppianicum gratis condemnavit; jam non eos Junius subsortitus est, qui pecunia accepta condemnarent; jam potuit aliquis ab initio non sedisse, et tamen Oppianicum gratis condemnasse. Verum, si innocens Falcula, quæso, quis nocens[5]? si hic gratis condemnavit, quis accepit? Nego rem esse ullam in quemquam illorum objectam, quæ Fidiculanio objecta non sit; neque[6] aliquid fuisse in Fidiculanii causa, quod idem non esset in ceterorum. Aut hoc judicium[7] reprehendas tu, cujus accusatio rebus judicatis niti videbatur, necesse est; aut, si hoc verum esse concedis, Oppianicum gratis condemnatum esse fateare.

Quamquam satis magno argumento esse debet, quod ex tam multis judicibus, absoluto Falcula, nemo reus factus est. Quid enim mihi damnatos ambitus colligitis, alia lege, certis criminibus, plurimis testibus? quum primum illi ipsi debuerint potius accusari de pecuniis repetundis, quam ambitus. Nam, si in ambitus judiciis hoc his obfuit, quum alia lege causam dicerent; certe, si propria lege hujus peccati adducti essent, multo plus obfuisset. Deinde, si tanta vis[8] fuit istius criminis, ut, qua quisque[9] lege ex illis

5. *Quis nocens?* Quis accepta a Cluentio pecunia Oppianicum damnavit?

6. *Neque.* Idem Ernest. legendum esse putat *nego.* Repetitio enim concinnior. J. V. L.

7. *Hoc judicium.* Necesse est ut hoc quo Falcula absolutus est judicium tu falsum esse contendas, quum tamen tuam accusationem in priorum judiciorum auctoritate constituas.

8. *Si tanta vis.* Si tanta esset illius corruptelæ suspicio, ut quilibet Oppianici judex, quocumque nomine accusaretur, tamquam corruptus damnaretur.

9. B. Weiskius, pro *qua quisque*, legendum putat *quacumque.* Sed quum vox *quisque* in oratione hic necessaria sit, vero videtur similius, oratorem, ut vitaret hanc asperitatem soni, *quacumque quisque*, potius aurium judicium, quam grammaticorum legem sequutum. J. V. L.

judicibus reus factus esset, tamen hac plaga periret; cur, in tanta multitudine accusatorum, tantis præmiis, ceteri rei facti non sunt? Hic profertur id[10], quod judicium appellari non oportet, P. Septimio Scævolæ litem eo nomine esse æstimatam[11]. Cujus rei quæ consuetudo sit, quoniam apud homines peritissimos dico, pluribus verbis docere non debeo. Numquam[12] enim ea diligentia, quæ solet adhiberi in ceteris judiciis, eadem, reo damnato, adhibita est. In litibus æstimandis fere judices, aut, quod sibi eum, quem semel condemnarunt, inimicum putant esse, si qua in eum lis capitis illata est, non admittunt[13]; aut, quod se perfunctos jam jam esse arbitrantur, quum de[14] reo judicarunt, negligentius attendunt cetera. Itaque et majestatis absoluti sunt permulti, quibus[15] damnatis,

10. *Profertur id.* Dixerat accusator Cluentii, judices, in æstimanda causa P. Septimii unius ex Oppianici judicibus, qui aliis ex flagitiis in Apulia commissis reus erat, rationem habuisse ut quum aliis criminibus damnatus esset, plecteretur etiam ob culpam acceptæ a Cluentio in Oppianici judicio pecuniæ. Verum id judicium appellari dicit non oportere, quod judicii appendix est; atque etiam si judicium esset, idem Septimius postea lege de captis pecuniis postulatus esset: non igitur, quod in ipso Septimio judicium non fuit existimatum, id Cluentio tamquam præjudicium abesse debere, eoque minus quod illa litis æstimatio extraordinaria fuit in causa Septimii et expressa a judicibus contentione accusantium inimicorum: non solere enim reis semel damnatis secunda crimina affigi, ne si illa quidem capitalia sint. De eodem Septimio ac de litis æstimatione agitur Act. I in Verr. 13, quem locum adeas.

11. *Esse æstimatam.* Litem æstimare, inquit Asconius, est pecuniam de qua lis fuit et propter quam condemnatus est reus, in summam redigere, quæ de ejus bonis exigatur. In hac ergo æstimatione jussus est Septimius et eam pecuniam restituere, quam ad rem judicandam accepisset.

12. *Numquam enim.* Judices in iis quæ condemnationem sequuntur, seu in exsequenda sententia, non eadem solent uti diligentia, qua in reliquo judicio.

13. *Non admittunt.* Pœnam sæpe ab accusatore postulatam mitigant, aut non admittunt, ne videantur propter inimicitias infensi.

14. *De reo.* De ipso facto. Satisfecisse officio suo putant, quum de ipso crimine judicarunt, cetera leviter attendunt.

15. *Quibus damnatis.* Majestatis judicium effugerunt, quod post suam damnationem, de repetundis reorum pœna tantum essent multati.

de pecuniis repetundis, lites essent æstimatæ; et hoc quotidie fieri videmus, ut, reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos pervenisse pecunias in litibus æstimandis statutum sit, eos illi judices absolvant: quod quum fit, non judicia rescinduntur, sed hoc statuitur, æstimationem litium non esse judicium. Scævola condemnatus est aliis criminibus, frequentissimis Apuliæ testibus. Omni contentione pugnatum est, ut lis hæc capitis æstimaretur. Quæ res si rei judicatæ pondus habuisset, ille postea vel iisdem, vel aliis inimicis, reus hac lege ipsa [16] factus esset.

XLII. Sequitur id, quod illi judicium appellant, majores autem nostri numquam neque judicium nominarunt, neque perinde, ut rem judicatam, observaverunt, animadversio atque auctoritas censoria [1]. Qua de re antequam incipio [2], perpauca mihi de meo officio verba faciunda sunt; ut a me quum hujusce periculi [3], tum ceterorum quoque officiorum et amicitiarum ratio conservata esse videatur. Nam mihi cum viris fortibus [4], qui censores proxime fuerunt, ambobus est amicitia: cum altero vero (sicut et plerique vestrum sciunt) magnus usus, et summa utriusque officiis constituta necessitudo est. Quare, quidquid de

16. *Hac lege ipsa.* De corruptis judicibus, et quæ in Septimium cadebat, utpote jam corrupti judicii damnatum.

XLII. 1. Olim, « animadversionem atque auctoritatem censoriam ». Ernest. sequitur Manutium. J. V. L.

2. *Antequam incipio.* Multi addunt « dicere ». Hæc ad h. l. adnotat Quintilian. IV: « Præter id exordium quod est totius orationis, multa sæpe sunt in eadem oratione specialia; si multiplex causa est, sua quibusque partibus danda præfatio est..... Sed in ipsis probationibus multa funguntur procemii vice, ut facit Cicero pro Cluentio dicturus contra censores, etc. »

3. *Hujusce periculi.* Ne Cluentio noceat censoriæ animadversionis exemplum.

4. *Cum viris fortibus.* Infra nominantur Cn. Lentulus et L. Gellius censores anno 683, Pompeio et Crasso coss. Illi LXIV senatores loco moverunt inter quos isti qui a Cluentio empti dicebantur, et Lentulus Sura ac Curius, qui postea cum Catilina conjurarunt, ac C. Antonius Ciceronis in consulatu collega.

subscriptionibus[5] eorum mihi dicendum erit, eo dicam animo, ut omnem orationem meam non de illorum facto, sed de ratione censoria[6] habitam existimari velim : a Lentulo autem, familiari meo, qui a me pro eximia sua virtute summisque honoribus, quos a populo romano adeptus est, honoris causa nominatur, facile hoc, judices, impetrabo, ut, quam ipse adhibere consuevit in amicorum periculis[7] fidem et diligentiam, tum vim animi libertatemque dicendi; in hac[8] mihi concedat, ut tantum mihi sumam, quantum sine hujus periculo præterire non possum. A me tamen, ut æquum est, omnia caute pedetentimque dicentur, ut neque fides hujus defensionis relicta, neque cujusquam aut dignitas læsa, aut amicitia violata esse videatur.

Video igitur, judices, animadvertisse censores in judices quosdam illius consilii Juniani[9], quum istam ipsam causam subscriberent. Hic primum illud commune proponam[10], numquam animadversionibus censoriis hanc civitatem ita contentam, ut rebus judicatis, fuisse. Neque in re nota consumam tempus exemplis. Ponam illud unum : C. Getam[11], quum a L. Metello et Cn. Domitio, censoribus, ex senatu ejectus esset, censorem ipsum postea esse factum; et, cujus mores

5. *De subscriptionibus.* De animadversionibus ac eorum in censura actis. Censores, quum aliquem notabant, causas cur damnarent subscribebant; quæ tabulæ in æde Nympharum asservabantur.

6. *De ratione censoria.* Generatim de censorum auctoritate.

7. *In amicorum periculis.* Quum eorum causas agit.

8. *In hac.* Scilicet causa. Verum *in hoc* legitur apud nonnullos codd. et probant viri doctissimi. J. V. L.

9. *Consilii Juniani.* Judicii cui præerat Junius.

10. *Commune proponam.* Illud primum constituam.

11. *C. Getam.* Licinium, qui censor fuit cum Q. Fabio Allobrogico septem annis post eos censores a quibus fuerat senatu motus. Apparet etiam ex pluribus historiæ Rom. locis sæpius accidisse ut illi, qui senatorio gradu propter morum infamiam erant dejecti, per censoriam dignitatem eo redire solerent.

a censoribus erant reprehensi, hunc postea et populi romani, et eorum, qui in ipsum animadverterant, moribus præfuisse. Quod si illud judicium putaretur, ut ceteri, turpi judicio[12] damnati, in perpetuum omni honore ac dignitate privantur[13]; sic hominibus ignominia notatis, neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus esset. Nunc, si quem[14] Cn. Lentuli, aut L. Gellii libertus furti condemnarit; is, omnibus ornamentis amissis, numquam illam honestatis suæ partem recuperabit : quos autem ipse L. Gellius et Cn. Lentulus, duo censores, clarissimi viri, sapientissimique homines, furti et captarum pecuniarum nomine, notaverunt; ii non modo in senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum judiciis absoluti sunt.

XLIII. Neminem voluerunt majores nostri non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse judicem, nisi qui inter adversarios convenisset[1]. Quapropter in omnibus legibus, quibus exceptum est, de quibus causis aut magistratum capere non liceat, aut judicem legi, aut alterum accusare, hæc ignominiæ causa[2] prætermissa est. Timoris enim causam, non vitæ pœnam in illa potestate esse voluerant. Itaque non solum, judices, illud ostendam, quod jam videtis, populi romani suf-

12. *Turpi judicio*. Quod eos ignominia perfunderet.

13. Male ed Weiskiana, *privarentur*.

14. *Si quem*. Si quis ab humiliore accusatus, turpi judicio sit damnatus, omnia dignitatis ornamenta amittit.

XLIII. 1. *Convenisset*. Facta judicum sortitione, accusator et reus certum numerum rejiciebant, quorum in locum subsortitio fiebat; itaque judices illi quos non rejecerant, ab utroque probari videbantur.

2. *Ignominiæ causa*. Censoria animadversio tantum ad privatorum veluti morales actus pertinebat, ita ut nec infamiam irrogaret, nec Tullii etiam tempore, quicquam fere damnato afferret, nisi ruborem : neque enim de magnis sceleribus agebat. Cicero apud Nonium, I, 93.

fragiis[3] sæpenumero censorias subscriptiones esse deletas, verum etiam judiciis eorum, qui jurati statuere majore cum religione et diligentia debuerunt. Primum judices senatores equitesque romani in compluribus jam reis, quos contra leges pecunias accepisse[4] subscriptum est[5], suæ potius religioni, quam censorum opinioni, paruerunt. Deinde prætores urbani, qui jurati debent optimum quemque in selectos judices referre, nunquam sibi ad eam rem censoriam ignominiam impedimento esse oportere duxerunt. Censores denique ipsi sæpenumero superiorum censorum judiciis (si ista judicia appellari vultis) non steterunt[6]. Atque etiam ipsi inter se censores sua judicia tanti esse arbitrantur, ut alter alterius[7] judicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat; ut alter de senatu moveri velit, alter retineat, et ordine amplissimo dignum existimet; ut alter in ærarios[8] referri, aut tribu moveri[9] jubeat, alter vetet. Quare qui vobis in mentem venit, hæc appellare judicia, quæ a populo romano rescindi, ab juratis judicibus repudiari, a

3. *Suffragiis.* C. enim Geta a censoribus ootatus, ut supra dictum est, postea populi rom. suffragiis censor factus est.

4. *Accepisse.* Alii forte aptius ad legem, *cepisse.* J. V. L.

5. *Subscriptum est.* Quos censores ob pecuniam acceptam notaverunt.

6. *Non steterunt.* Antecedentium censorum judicia non servaverunt.

7. *Alter alterius.* Multo etiam magis notanda res apud Val. Max. II, de nota censor. occurrit, oempe Claudium Neronem et Livium Salinatorem, censores, se invicem notasse; Salinatorem Claudius, quia populi judicio ante consulatum et censuram damnatus fuerat; Neronem Livius, quod non sincera fide secum in gratiam redisset, ootaverunt.

8. *In ærarios.* Sic dicebantur referri, qui ex albo centuriæ suæ deleti carebant jure suffragii, et eo tantum oomine cives erant, ut pro capite suo æra penderent, ut inquit Ascooius.

9. *Tribu moveri.* Ex tribu honestiore, rustica nimirum, in minus honestam, sive urbanam referri. Ceterum Dodwellus existimat qui tribu moverentur, eorum nomina e tribuum omnium tabulis fuisse exempta. Ipsum vide de his omnibus censoriis notis acutius forsan quam verius disputantem in Append. Inde tamen vera quædam excutias ad prælect. Camd. pag. 710-715.

magistratibus negligi, ab iis, qui eamdem potestatem adepti sunt, commutari, inter collegas discrepare videatis?

XLIV. Quæ quum ita sint, videamus, quid tandem censores de illo judicio corrupto judicasse dicantur. Ac primum illud statuamus: utrum, quia censores subscripserint, ita sit; an, quia ita fuerit, illi subscripserint. Si ideo, quia subscripserint, videte quid agatis, ne in unumquemque nostrum censoribus in posterum potestatem regiam permittatis; ne subscriptio censoria non minus calamitatis civibus, quam illa acerbissima proscriptio[1] possit afferre; ne censorium stylum, cujus mucronem multis remediis majores nostri retuderunt, æque posthac atque illum dictatorium gladium pertimescamus. Sin autem quod subscriptum est, quia verum est, idcirco grave debet esse: hoc quæramus, verum sit, an falsum; removeantur auctoritates censoriæ; tollatur id ex causa, quod in causa non est. Doce, quam pecuniam Cluentius dederit; unde dederit, quemadmodum dederit; unum denique aliquod a Cluentio profectæ pecuniæ vestigium ostende. Vince[3] deinde, virum bonum fuisse Oppianicum, hominem integrum; nihil de illo umquam secus esse existimatum; nihil denique præjudicatum. Tum auctoritatem censorum amplexato[4]; tum illorum judicium cum re conjunctum[5] esse defendito. Dum vero[6] eum fuisse Oppianicum constabit, qui tabulas publicas municipii sui corrupisse judicatus

XLIV. 1. *Acerbissima proscriptio.* Dictatoris Sullæ.

2. *Censorium stylum.* Quo ad scribendas notas utebantur.

3. *Vince.* Ostende et obtine. — *Secus.* Male de eo existimatum.

4. Alii, *amplexator.* J. V. L.

5. *Cum re conjunctum.* Ad causam ipsam pertinere.

6. *Dum vero... Oppianicum constabit*, etc. Hoc in loco vividissime ac obiter omnia Oppianici scelera, in unum veluti fascem colligit, quæ turba magis valeant, ut ait Quintilianus.

sit; qui testamentum interleverit; qui, supposita persona, falsum testamentum obsignandum curarit; qui eum, cujus nomine id obsignatum est, interfecerit; qui avunculum filii sui in servitute[7] ac vinculis necarit; qui municipes suos proscribendos occidendosque curarit; qui ejus uxorem, quem occiderat, in matrimonium duxerit; qui pecuniam pro potione[8] dederit; qui socrum, qui uxorem, qui uno tempore fratris uxorem, speratosque liberos, fratremque ipsum, qui denique suos liberos interfecerit; qui, quum venenum privigno suo quæreret, manifesto sit deprehensus; cujus ministris consciisque damnatis, ipse adductus in judicium pecuniam judici dederit ad sententias judicum corrumpendas; dum hæc, inquam, de Oppianico constabunt, nec ullo argumento Cluentianæ pecuniæ crimen tenebitur: quid est, quod te ista censoria, sive voluntas, sive opinio fuit[9], adjuvare, aut hunc innocentem opprimere posse videatur?

XLV. Quid igitur censores sequuti sunt? Ne ipsi quidem, ut gravissime[1] dicam, quidquam aliud dicent, præter sermonem atque famam. Nihil se testibus, nihil tabulis, nihil gravi aliquo argumento comperisse, nihil denique, causa cognita[2], statuisse dicent. Quod si ita fecissent, tamen id non ita fixum esse deberet, ut convelli non liceret. Non utar exemplorum copia, quæ summa est; non rem veterem, non hominem potentem aliquem, aut gratiosum proferam. Nuper homi-

7. *In servitute.* In ergastulo, apud Q. Sergium senatorem, in agro gallico. Ceterum ea fusius supra cap. 7-20 explicuit orator.

8. Alii, « pro abortione ». J. V. L.

9. *Opinio fuit.* Hanc vocem Ernest. sustulit. J. V. L.

XLV. 1. *Gravissime dicam.* Ut auctoritate maximi momenti utar. Beck. ex vett. edd. loco « dicam », reposuit « dicant », quod ad censores refertur. Sic etiam Schütz. probat Garaton. neque male videtur.

2. *Causa cognita, statuisse dicent.* Neque causam cognovisse, nec saltem instrospexisse.

nem tenuem, scribam ædilitium, D. Matrinium quum defendissem apud M. Junium, Q. Publicium prætores, et M. Plætorium, C. Flaminium, ædiles curules; persuasi, ut scribam jurati legerent eum[3], quem iidem isti censores ærarium reliquissent. Quum enim in homine nulla culpa reperiretur, quid ille meruisset, non quid de eo statutum esset, quærendum esse duxerunt. Nam hæc quidem[4], quæ de judicio corrupto subscripserint, quis est, qui ab illis satis cognita et diligenter judicata arbitretur? In M'. Aquillium et in T. Guttam video esse subscriptum. Quid est hoc? duos esse corruptos solos pecunia? Quid ceteri? videlicet gratis condemnarunt? Non est igitur circumventus, non est oppressus pecunia, non, ut illæ Quintianæ conciones habebant[5], omnes, qui Oppianicum condemnarunt, in culpa sunt ac suspicione ponendi. Duos solos video auctoritate censorum affines ei turpitudini judicari. Aut illud afferant, aliquid sese[6], quod de iis duobus habuerunt compertum, de ceteris comperisse.

XLVI. Nam illud quidem[1] minime probandum est,

3. *Legerent eum.* Eum, quamvis esset a censoribus notatus, scribam elegerunt, neque sacramenti sui fidem fallere se putaverunt. Censores autem non de scribarum ordine quemquam ejiciebant; sed propter hujus notæ infamiam ædiles ex albo scribarum delere poterant, si meruissent ut notarentur.

4. *Nam hæc quidem.* Quæ vero ad causam corrupti a Cluentio judicii pertinent.

5. *Habebant.* Dicebant. Sic recte Ernest. pro « habebantur ». Græv. e MSS conjecerat « in illa Quintiana concione habebatur ».

6. Sic emendavi primus locum varie vexatum, *aliquid esse*, et sic edere non dubitavi. J. V. L.

XLVI. 1. *Nam illud quidem.* Quum accusatores contenderent, id eo consilio a censoribus factum esse, ut universos istius causæ judices duorum exemplo et multorum peccata paucorum pœna castigarent, respondet Cicero illud profecto non esse a censoribus exspectandum, ut, quod in re militari fieri solet, quasi quibusdam sorte electis, in quos animadverteretur, ceteros prætermiserint. Illud enim civilem in ordinem nullo modo posse transferri.

ad notationes auctoritatemque censoriam exemplum illos a consuetudine militari transtulisse. Statuerunt enim ita majores nostri, ut, si a multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam[2] animadverteretur : ut metus videlicet ad omnes[3], pœna ad paucos perveniret. Quod idem facere censores in delectu dignitatis, et in judicio civium, et in animadversione vitiorum, qui convenit? Nam miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum vimque pertimuit, potest idem postea et miles esse melior, et vir bonus, et civis utilis. Quare, ne in bello, propter hostium metum, delinqueret, amplior ei mortis et supplicii metus est a majoribus constitutus; ne autem nimium multi pœnam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est. Hoc tu idem facies, censor, in senatu legendo? si erunt plures, qui ob innocentem condemnandum pecuniam acceperint, ut non animadvertas[4] in omnes, sed carpas, ut velis, et paucos ex multis ad ignominiam sortiare? Habebit igitur, te sciente et vidente, curia senatorem, populus romanus judicem, respublica civem sine ignominia quemquam, qui, ad perniciem innocentis, fidem suam et religionem pecunia commutarit[5]? Et, qui pretio adductus eripuerit patriam, fortunas, liberos civi innocenti, is censoriæ severitatis nota non inuretur? Tu es præfectus[6] mo-

2. *In quosdam.* Qui fugissent, solebant in decurias dividi, ex quibus sortitione singuli deligerentur, qui universorum scelus capite luerent. Vetusta et a Romanis inventa pœna hæc, non iniqua, certe necessaria, ubi delicti auctores ignorantur.

3. *Ad omnes.* Sic apud Virgil. Æn. II, 118 sq. ubi canit vates : « Sanguine quærendi reditus, animaque litandum Argolica : vulgi quæ vox ut venit ad aures, Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo ».

4. Male Lambin. « non animadvertes..... carpes..... voles..... sortiere? » J. V. L.

5. *Commutarit.* Vendiderit.

6. *Præfectus.* Ergone te custodiendis publicis moribus præfecit populus romanus, te qui tanto scelere pollutum in senatu sedere pateris, aut

ribus, magister veteris disciplinæ et severitatis, si aut retines quemquam sciens in senatu, scelere tanto contaminatum, aut statuis, qui in eadem culpa sit, non eadem pœna affici convenire[7]? Et quam conditionem supplicii majores in bello timiditati militis propositam esse voluerunt, eamdem tu in pace constitues improbitati senatoris? Quod si exemplum hoc ex re militari ad animadversionem censoriam transferendum fuit; sortitione id ipsum factum esse oportuit. Sin autem sortiri ad pœnam, atque hominum delectum fortunæ judicio committere, minime censorium est; certe in multorum peccato carpi paucos ad ignominiam et turpitudinem non oportet.

XLVII. Verum omnes intelligimus, in istis subscriptionibus ventum quemdam[1] popularem esse quæsitum. Jactata res erat in concione a tribuno seditioso; incognita causa, probatum illud erat : MULTITUDINEM ILLICITUM EST CONTRA DICERE; nemo denique, ut defenderet contrariam partem, laborabat. In invidiam porro magnam illa judicia[2] venerant. Etenim paucis postea mensibus alia vehemens erat in judiciis ex notatione tabularum[3] invidia versata. Prætermitti a censoribus, et negligi macula judiciorum posse non videbatur. Homines, quos ceteris vitiis, atque omni

qui eamdem pœnam non ad eadem flagitia patere constituis.

7. Græv. e MSS edidit, « oportere? convenire, ut, quam conditionem... eamdem tu in pace constituas improbitati senatoris? » Hinc tantum excerpendum, « ut... constituas ». J. V. L.

XLVII. 1. *Ventum quemdam*. Rumorem et auram popularem. Mox : « rumorem quemdam et plausum pop. »

2. *Illa judicia*. Tunc temporis a senatoribus facta.

3. *Notatione tabularum*. Quum an. U. C. 678 Varro Asiæ præfectus, repetundarum apud prætorem Lentulum Suram, qui postea Catilinæ conscius fuit, postularetur, corruptis judicibus ac prætori notatas discolori cera tabulas dedit Hortensius orator, ne quisquam promissam fidem falleret. Hoc non semel ei exprobravit Cicero in Verr. act. I, 13 ; Verr. V, 68; in Cæcil. 7, etc. quibus locis fusius ea explicantur.

dedecore infames videbant, eos hac quoque subscriptione notare voluerunt, et eo magis, quod illo ipso tempore, illis censoribus, erant judicia cum equestri ordine communicata; ut viderentur per hominum idoneorum ignominiam sua auctoritate illa judicia cum equestri ordine[4] reprehendisse. Quod si hanc apud eos ipsos censores mihi, aut alii causam agere licuisset; hominibus tali prudentia certe probavissem (res enim indicat), nihil ipsos habuisse cogniti, nihil comperti; ex tota ista[5] subscriptione rumorem quemdam et plausum popularem esse quæsitum. Nam[6] in P. Popillium, qui Oppianicum condemnarat, subscripsit L. Gellius, quod is pecuniam accepisset, quo innocentem condemnaret. Jam id ipsum quantæ divinationis est, scire, innocentem fuisse reum, quem fortasse numquam viderat, quum homines sapientissimi, judices, ut nihil dicam de iis, qui condemnarunt, causa cognita, sibi dixerint non liquere[7]?

Verum esto. Condemnat Popillium Gellius: judicat, accepisse a Cluentio pecuniam. Negat hoc Lentulus. Nam Popillium, quod erat libertini filius[8], in senatum non legit; locum quidem senatorium ludis[9] et cetera

4. *Cum equestri ordine.* Ut eos damnando homines qui digni censoria nota viderentur censores suæ sententiæ auctoritatem equitum voci adjicerent, qua vetera senatorum judicia reprehenderentur.

5. Sic Ernest. pro *ipsa.* Paullo infra: olim *L. Pop.* J. V. L.

6. *Nam.* At enim P. Popillium notavit censor Gellius quod, etc.

7. *Non liquere.* Ergo neque damnandum fuisse Oppianicum merito quis ex his ipsis Ciceronis verbis confecerit.

8. *Libertini filius.* Libertini, ut jam ad Verrinas adnotavimus, absolute ii dicuntur qui e servitute fuere manumissi. Porro Appius Claudius censor anno 441 libertinorum filios in senatum legit; quo facto senatorium ordinem inquinasse dicitur apud T. Liv. IX, 46. Verum censores proximi irritum delectum hunc habuere: atque ex eo tempore si qui libertinorum filii per imprudentiam in senatum irreperent, eos censores ejiciebant: quod P. Popillio accidit.

9. *Ludis.* Quum ludi eduntur.— *Ornamenta.* Nempe latum clavum, ut intelligunt Manutius et ceteri; seu ce-

ornamenta relinquit[10], et eum omni ignominia liberat. Quod quum facit, judicat, ejus sententia gratis esse Oppianicum condemnatum. Et eumdem Popillium postea Lentulus in ambitus judicio pro[11] testimonio diligentissime laudat. Quare, si neque L. Gellii judicio stetit Lentulus, neque Lentuli existimatione contentus fuit Gellius; et, si uterque censor censoris opinione standum non putavit : quid est, quamobrem quisquam nostrum censorias subscriptiones omnes fixas et in perpetuum ratas putet esset oportere?

XLVIII. At in ipsum Avitum animadverterunt. Nullam quidem ob turpitudinem, nullum ob totius vitæ, non dicam vitium, sed erratum. Neque enim hoc homine sanctior, neque probior, neque in omnibus officiis retinendis diligentior esse quisquam potest : neque illi[1] aliter dicunt; sed eamdem illam famam judicii corrupti sequuti sunt. Neque ipsi secus existimant, quam nos existimari volumus, de hujus pudore, integritate, virtute; sed putarunt prætermitti accusatorem non potuisse, quum animadversum esset in judices. Qua de re tota si unum factum ex omni antiquitate protulero, plura non dicam. Non enim mihi exemplum summi et clarissimi viri, P. Africani, prætereundum videtur : qui quum esset censor, et in equitum censu C. Licinius Sacerdos prodiisset; clara voce, ut omnis concio audire posset, dixit, « se scire, « illum verbis conceptis[2] pejerasse. Si quis contra di- « cere[3] vellet, usurum esse eum suo testimonio ». Deinde quum contra nemo diceret, jussit equum tra-

tera ordinis senatorii jura, ut vertit Gallicus interpres.

10. Alii, *reliquit*. J. V. L.

11. *Pro testimonio*. Quum testis esset; quum testimonium recitaret.

XLVIII. 1. *Illi*. Censores qui eum equestri ordine moverunt.

2. *Verbis conceptis*. Solemnibus vocibus.

3. *Contra dicere*. Contra Licinium;

ducere[4]. Itaque is, cujus arbitrio et populus romanus et exteræ gentes contentæ esse consueverant[5], ipse sua scientia ad ignominiam alterius contentus non fuit. Quod si hoc Avito facere[6] licuisset, facile, illis ipsis judicibus, et falsæ suspicioni, et invidiæ populariter excitatæ restitisset.

Unum etiam est, quod me maxime conturbat, cui loco respondere posse vix videor, quod elogium[7] recitasti de testamento Cn. Egnatii, patris, hominis honestissimi videlicet et sapientissimi : idcirco se exheredasse filium, quod is ob Oppianici damnationem pecuniam accepisset. De cujus hominis levitate et inconstantia plura non dicam. Hoc testamentum ipsum, quod recitas, ejusmodi est, ut ille, quum eum filium exheredaret, quem oderat, ei filio coheredes homines alienissimos conjungeret, quem diligebat. Sed tu, Atti[8], consideres, censeo, diligenter, utrum censorum

accusatori se suum testimonium offerre dicebat Africanus, dum ipse accusatoris partes agere nollet.—Val. Max. IV, 10, dum hunc locum exprimit, interpretatur. Sic et Quint. V, 11, 13: « nullo accusante ».

4. *Equum traducere*. Solemnis hæc erat formula, qua censores in censendis equitibus utebantur, si nihil haberent, cur eos notarent, seque iis equos non adimere significabant. Sic autem loquentem Scipionem inducit Valer. Maximus: « Traduce equum, Sacerdos, et lucri fac censoriam notam, ne ego in tua persona et accusatoris, et testis, et censoris, et judicis partes egisse videar ». Laudat h. loc. Quintilianus V, 11, de probatione, quæ exemplo fit, scribens : « Contrario exemplo censoriam notam Cicero evertit, laudando censorem Africanum, qui eum, quem pejerasse conceptis verbis palam dixisset, testimonium etiam pollicitus, si quis contra diceret, nullo accusante, traducere equum passus esset ».

5. *Consueverunt*. Paullo infra *conscientia*. J. V. L.

6. *Hoc facere*. Ut eadem conditione, qua Sacerdos, uteretur, ne scilicet in eum sine teste aliquo animadverteretur.—*Illis i. judicibus*. Coram his ipsis censoribus.

7. *Elogium*. Verbum hoc non semel in utramque partem usurpatur. Brevis est rei aut sententiæ alicujus expositio, et h. l. testificatio est causarum cur testator sic egerit. Vid. Casaubon. ad Sueton. Jul. 47, et Caligul. 24.

8. *Sed tu, Atti*. Quid tam videri potest contra Cluentium, inquit Quint. V, 13, quam censoria nota? quid tam contra eumdem, quam filium ab Egna-

judicium grave velis esse, an Egnatii. Si Egnatii, leve est, quod censores de ceteris subscripserunt; ipsum enim Cn. Egnatium, quem tu gravem esse vis, ex senatu ejecerunt. Sin autem censorum, hunc Egnatium, quem pater censoria subscriptione exheredavit, censores in senatu, quum patrem ejicerent, retinuerunt.

XLIX. At enim senatus universus[1] judicavit, illud corruptum esse judicium. Quomodo? Suscepit causam. An potuit rem delatam ejusmodi repudiare? quum tribunus plebis, populo concitato, rem pæne ad manus revocasset; quum vir optimus, et homo innocentissimus, pecunia circumventus esse diceretur; quum invidia flagraret[2] ordo senatorius; potuit nihil decerni? potuit illa concitatio multitudinis sine summo periculo reipublicæ repudiari? At quid est decretum? quam juste[3]! quam sapienter! quam diligenter! SI QUI SINT[4], QUORUM OPERA FACTUM SIT, UT JUDICIUM PUBLICUM CORRUMPERETUR. Utrum videtur senatus id factum judicare; an, si factum sit, moleste graviterque ferre? Si ipse A. Cluentius sententiam de judiciis rogaretur, aliam non diceret, atque ii dixerunt, quorum sententiis Cluentium condemnatum esse dicitis. Sed quæro a vobis, num istam legem[5] ex isto senatus-

tio corrupti judicii, quo Cluentius Oppianicum circumvenisset, crimine exheredatum? At hæc Cicero pugnare ostendit: sed tu, Atti, etc.

XLIX. 1. *Senatus universus.* Quum atrocior res aliqua admissa fuerat quæ ad publicam salutem pertinere videretur, de ea ad senatum referre solebant magistratus, qui SCto decernebat uti extra ordinem de facinore hoc quæreretur. Quod postquam populus confirmaverat, jam constituta lege, quæstio extraordinaria judicabat. Sic postea actum cum Milone videbimus; et eadem ferme ab accusatoribus de hoc senatus præjudicio afferuntur, quæ nunc h. l. objecta dissolvit orator.

2. *Invidia flagraret.* Infamia judiciorum, nondum lata Aurelia lege.

3. Abest *quam juste!* J. V. L.

4. Alii, SUNT. J. V. L.

5. *Istam legem.* Quæ facienda erat statim, aut anno post ferenda, sed non lata. Num L. Lucullus ad populum de SCto illo retulerit, quod populus in legem verteret?

consulto L. Lucullus consul, homo sapientissimus, tulerit? num anno post M. Lucullus et C. Cassius, in quos[6] tum consules designatos, idem illud senatus decreverit? Non tulerunt; et quod tu Aviti pecunia factum esse arguis, neque id ulla vel tenuissima suspicione confirmas, factum est primo illorum æquitate et sapientia consulum, ut id, quod senatus decreverat ad illud invidiæ præsens incendium restinguendum, id postea referendum[7] ad populum non arbitrarentur. Ipse deinde populus romanus, qui L. Quintii tribuni plebis fictis querimoniis antea concitatus, rem illam[8] et rogationem flagitarat, idem C. Junii filii, pueri parvuli, lacrymis commotus, maximo clamore et concursu totam illam legem et quæstionem repudiavit[9]. Ex quo intelligi potuit id, quod sæpe dictum est: ut mare[10], quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari; sic et populum romanum sua sponte esse placatum, hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus, concitari.

L. Est etiam reliqua[1] permagna auctoritas, quam

6. *In quos.* Frustra conjecit Mannt. quasi vitiosus locus esset «ii, queis tum coss. designatis». Decreverat senatus uti hujus anni consules legem ferrent, quam nisi tulissent, quod ad finem eorum vergebat annus, uti designati consules eam ferrent. Idem igitur senatus decrevit in M. Lucullum et in C. Cassium quod in L. Lucullum, h. e. iis omnibus datum Scto negotium hoc fuit. Neque videam cur viros doctos offendat locutio *decernere in consules.*

7. *Referendum.* Ferendum. Olim male «perferendum», quod servavit Lallem.

8. *Rem illam.* SCtum ut quæstio extra ordinem constitueretur.

9. *Repudiavit.* Totum consilium ferendæ legis abjecit, et apud eos judices de tota re quæri voluit, quorum quæstio erat legitima.

10. *Ut mare.* Eadem apud T. Liv. XXVIII, 27, invenitur similitudo, iisdem ferme verbis expressa: «Multitudo omnis, sicut natura maris per se immobilis, ut venti et auræ cient ita aut tranquillum, aut procellæ in vobis sunt: et causa, atque origo omnis furoris penes auctores est, vos contagione insanistis».

L. 1. *Est etiam reliqua.* Jam ad gravissimum idemque difficillimum causæ suæ momentum venit orator, in quo sua ipsi auctoritas impugnanda opponitur. Mirum porro quam varie, quam

ego turpiter pæne præterii. Mea enim esse dicitur. Recitavit ex oratione, nescio qua [2], Attius, quam meam esse dicebat, cohortationem quamdam judicum ad honeste judicandum [3], et commemorationem tum aliorum judiciorum, quæ probata non essent [4], tum illius ipsius judicii Juniani : perinde quasi ego non ab initio hujus defensionis dixerim, invidiosum illud fuisse judicium; aut, quum de infamia judiciorum disputarem, potuerim illud, quod tam populare esset, in illo tempore præterire. Ego vero, si quid ejusmodi dixi, neque cognitum commemoravi, neque pro testimonio dixi; et illa oratio potius temporis mei, quam judicii et auctoritatis [5] fuit. Quum enim accusarem, et mihi initio proposuissem, ut animos et populi romani et judicum commoverem; quumque omnes offensiones judiciorum non ex mea opinione, sed ex hominum rumore proferrem : istam rem, quæ tam populariter esset agitata, præterire non potui. Sed errat vehementer [6], si quis in orationibus nostris,

solerter in re maxime operosa, versetur, et, quum se ipse refutare ac falsi arguere cogatur, ita errorem suum cum universo populo romano communicet, ut ferme aliter facere non potuisse videatur. Illud etiam adnotandum, ideo h. l. respondisse oratorem, quod, si antea de se dixisset, multum ipsi de sua auctoritate fuisset detractum. Oportebat enim prius probari id judicium ab Oppianico corruptum, et universos cives turbulentis Quintii concionibus fuisse in pejus actos, quo facilius communis erroris culpam et ipse deprecaretur. Ceterum et fatendum illud omnino est totum hunc locum, quo nobilem patroni conditionem deprimit, unumque ei propositum finem prædicat, nempe ut quavis ratione clientem defendat ac servet, hoc solo nomine vix posse excusari, quod causæ suæ inservire necesse habeat.

2. *Oratione nescio qua.* Nempe ex prima in Verrem actione, cap. 13. Poterat etiam accusator et orationem pro Cæc. 10, 25, et Verr. I, 61, recitare.

3. *Ad honeste judicandum.* Ne a Verre corrupti prævaricarentur.

4. *Probata non essent.* Publica essent opinione damnata.

5. *Auctoritatis.* Potius quam quidquam hac in re auctoritate mea asseverari.

6. *Errat vehementer.* Ad hunc usque locum objectum sibi levitatis et inconstantiæ crimen, vere satis diluit;

quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illæ orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum. Nam, si causæ ipsæ pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem. Nunc adhibemur, ut ea dicamus, non quæ nostra auctoritate constituantur, sed quæ ex re ipsa causaque ducantur. Hominem ingeniosum, M. Antonium [7], aiunt solitum esse dicere, « idcirco se nullam umquam orationem scri« psisse, ut, si quid aliquando, quod non opus esset, « ab se esset dictum, posset se negare dixisse : » perinde quasi, quid a nobis dictum, aut actum sit, id nisi literis mandaverimus, hominum memoria non comprehendatur.

LI. Ego vero in isto genere [1] libentius quum multorum, tum hominis eloquentissimi et sapientissimi, L. Crassi, auctoritatem sequor, qui quum L. Plancium [2] defenderet, accusante M. Bruto [3], homine in dicendo vehementi et callido [4], quum Brutus, duobus recitatoribus constitutis, ex duabus ejus oratio-

nunc vero his ad se defendendum utitur argumentis quæ nescio an oratorii mores, sed certe morum probe instituta disciplina nunquam toleraverit : neque etiam lubenter profitentem quemquem audiveris, se in causis non mentis suæ judicium, verum temporis rationem, et clientium commoda sequi; ita ut hoc ipso momento nesciaa utrum ex animo, utrum ex causa loquatur.

7. *M. Antonium.* Oratoris illius incredibilem quamdam et prope singularem vim ingenii fuisse non semel ait Cicero. Illius ac Crassi laudes adi in Brut. cap. 36, sqq.

LI. 1. *In isto genere.* Quod ad hanc rem attinet.

2. Schütz. e lib. de Orat. II, 54, et Quintil. VI, 3, 44, *Cn. Plancum.*

3. *M. Bruto.* Qui male audiit eo nomine, quod industriam operamque suam ad accusandum contulisset. Ille autem in Bruto accusator fuisse vehemens et molestus dicitur, ut facile cerneres naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatæ voluntatis.

4. Vel *calido*, ut, nonnullis probantibus, Ernest. emendavit post Victorium, Var. lectt. XXX, 6, e Brut. 34. J. V. L. — Sed hoc idem sonat ac *vehementi :* quare *callido* præferendum videtur. Ceterum Bruti calliditas ex iis quæ h. l. a Cicerone narrantur, satis apparet.

nibus capita alterna [5], inter se contraria, recitanda curasset; quod in dissuasione [6] rogationis ejus, quæ contra coloniam Narbonensem ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit; in suasione legis Serviliæ [7] summis ornat senatum laudibus; et multa in equites romanos quum ex ea oratione asperius dicta recitasset, quo animi illorum judicum in Crassum incenderentur, aliquantum esse commotus [8] dicitur. Itaque in respondendo primum exposuit utriusque rationem temporis, ut oratio ex re et causa habita videretur: deinde, ut intelligere posset Brutus, quem hominem, et non solum qua eloquentia, verum etiam quo lepore et quibus facetiis præditum lacessisset; tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis, quos M. Brutus, pater illius accusatoris, de jure civili reliquit. Eorum initia quum recitarentur, ea, quæ vobis nota esse arbitror: FORTE EVENIT, UT RURI IN PRIVERNATE ESSEMUS, EGO ET BRUTUS FILIUS: fundum Privernatem flagitabat [9]. IN ALBANO ERAMUS, EGO ET BRUTUS FILIUS: Albanum poscebat. IN TIBURTE FORTE QUUM ASSEDISSEMUS, EGO ET BRUTUS FILIUS: Tiburtem fundum requirebat; Brutum autem, hominem

5. *Capita alterna.* Quæ alternatim legerentur.

6. *In dissuasione.* De qua sic in Brut. « Voluit adolescens in colonia Narbonensi causæ popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere; exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam illa ætas ferebat, oratio ». — *Senatus.* Qui nolebat coloniam eam deduci, legemque contra ferebat.

7. *Legis Serviliæ.* Q. Servilius Cæpio, consul anno 647, quum equester ordo lege C. Gracchi solus judicaret, legem tulit de judiciis inter utrumque ordinem communicandis. Lex autem ea brevi antiquata videtur, quum eumdem Cæpionem apud solos equites causam dicere de Orator. I, videamus, et quo tempore de communicandis judiciis L. Aurelius Cotta legem tulit, tum solos equites judicasse constet.

8. *Commotus.* Turbatus. Idem narratum de Orat. II, cap. 55, si lubet, conferas.

9. *Flagitabat.* Crassus a Bruto repetebat, qui hunc fundum aliosque post obitum patris nequitia consumpserat. Unde demonstrabat quam repugnaret patris ac filii census. Cf. de Orat. II, 55.

sapientem[10], quod filii nequitiam videret, quæ prædia ei relinqueret, testificari dicebat voluisse. Quod si potuisset honeste scribere, «se in balneis[11] cum id «ætatis filio fuisse», non præterisset; eas se tamen ab eo balneas non ex libris patris, sed ex tabulis[12] et ex censu quærere. Crassus tum ita Brutum ultus est, ut illum recitationis suæ pœniteret. Moleste enim fortasse tulerat, se in iis orationibus reprehensum, quas de republica habuisset : in quibus forsitan magis requiratur constantia.

Ego autem illa recitata esse non moleste fero. Neque enim ab illo tempore, quod tum erat, neque ab ea causa, quæ tum agebatur, aliena fuerunt; neque mihi quidquam oneris suscepi, quum ista dixi, quo minus honeste hanc causam et libere possem defendere. Quod si velim confiteri, me causam A. Cluentii nunc cognoscere, antea fuisse in illa opinione populari, quis tandem id possit reprehendere? præsertim, judices, quum a vobis quoque ipsis hoc impetrare sit æquissimum, quod ego et ab initio petivi, et nunc peto, ut, si quam huc graviorem de illo judicio opinionem attulistis, hanc, causa perspecta, atque omni veritate cognita, deponatis.

LII. Nunc, quoniam[1] ad omnia, quæ abs te dicta

10. *Hominem sapientem.* Sic etiam de Orat. II, 54 : «Sapiens homo cum primis nostræ civitatis norat hunc gurgitem; metuebat ne, quum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur».

11. *Se in balneis.* His ipsis verbis apud Ciceronem loco supra laudato utitur Crassus : «Quod nisi te puberem jam haberet... se etiam in balneis lotum cum filio, scriptum relinqueret». Alter in eodem libro Crassi jocus de iisdem balneis narratur.

12. *Tabulis.* Quas pater scripserat, ut morem apud Romanos fuisse sæpius jam diximus. — *Censu.* Quum bona pater ejus profiteretur.

LII. 1. *Nunc quoniam.* Postquam Cicero satis sibi probasse visus est, judices ab Oppianico corruptos; nunc eo transit, ut ostendat Cluentium, etiamsi judices corrupisset, condemnari non oportere; quod judiciaria lege de corrupto judicio non teneatur, quæ rom. equites non attingit. Sed invicto eo momento vix uti primum velle vi-

sunt, T. Atti, de Oppianici damnatione respondi; confiteare necesse est, te opinionem multum fefellisse, quod existimaris, me causam A. Cluentii non facto [2] ejus, sed lege defensurum. Nam hoc persæpe dixisti, tibi sic renuntiari, me habere in animo causam hanc præsidio legis defendere. Itane est? ab amicis videlicet imprudentes prodimur? et est nescio quis de iis, quos amicos nobis arbitramur, qui nostra consilia ad adversarios deferat? Quisnam tibi hoc renuntiavit? quis tam improbus fuit? Cui ego autem narravi? Nemo, ut, opinor, in culpa est; sed nimirum tibi istuc lex ipsa renuntiavit. Sed num tibi [3] ita defendisse videor, ut tota in causa mentionem ullam fecerim legis? Num secus hanc causam defendissem, hac si lege Avitus teneretur? Certe, ut hominem [4] confirmare oportet, nullus est locus a me purgandi istius invidiosi criminis prætermissus. Quid ergo est? quæret fortasse quispiam, displiceatne mihi, legum præsidio a capite periculum propulsare. Mihi vero, judices, non displicet; sed utor instituto meo [5]. In hominis honesti pudentisque judicio, non solum meo consilio uti consuevi, sed multum etiam ejus, quem defendo, et

detur orator, et ita demum utitur, ut sic invito ipso Cluentio agat, qui magis decoris sui quam salutis rationem habeat, nec illud adhiberi velit argumentum, quo quamvis omnino absolveretur, nocens tamen esse posset, et famæ suæ noceret. Oratoris solertiam h. l. miratur Quintilianus, V, 13, et VI, 6.

2. *Facto*. Innocentia.—*Lege*. Quæ ad eum non pertinet.

3. *Num tibi*. Quoniam renuntiatum tibi ais, me velle hanc causam legis exceptione defendere, quæro ex te, num in tota hac defensione memineris ullam me mentionem legis fecisse.

4. Græv. hæc verba, « ut hominem confirmare oportet », negat se intelligere, atque ideo malit ejici, expedito scilicet interpretationis modo. J.V. L. —Obloquitur Ernest. Nempe quoad licet homini aliquid confirmare ac contendere in tali re, sine jactatione et servata modestia. Simile legitur pro lege Manilia, cap. 16.

5. *Utor instituto meo*. Usitatam agendi rationem sequor.—*Honesti*. Qui suam existimationem minui non vult; nam si lege defenderetur, suæ causæ diffidere crederent homines.

consilio, et voluntati obtempero. Nam, ut hæc ad me causa delata est, qui leges eas, ad quas adhibemur, et in quibus versamur, nosse deberem; dixi Avito statim, de eo, QUI COISSET, QUO QUIS CONDEMNARETUR, illum esse liberum[6]; teneri autem nostrum ordinem. Atque ille me orare et obsecrare cœpit, ut ne sese lege defenderem. Quum ego, quæ mihi viderentur, dicerem; traduxit me ad suam sententiam : affirmabat enim lacrymans, non se cupidiorem esse civitatis[7] retinendæ, quam existimationis. Morem homini gessi; et tamen idcirco feci[8] (neque enim id semper facere debemus), quod videbam, per se ipsam causam copiosissime sine lege posse defendi. Videbam, in hac defensione, qua jam sum usus, plus dignitatis[9]; in illa, qua me hic uti noluit, minus laboris futurum. Quod si nihil aliud esset actum, nisi ut hanc causam obtinerem; lege recitata, perorassem[10].

LIII. Neque me illa oratio commoveret[1], quod ait Attius, indignum esse facinus, si senator judicio quemquam circumvenerit[2], legibus eum teneri; si eques romanus hoc idem fecerit, non teneri. Ut tibi concedam, hoc indignum esse (quod cujusmodit sit, jam videro[3]), tu mihi concedas necesse est, multo esse indignius, in ea civitate, quæ legibus teneatur[4],

6. *Illum esse liberum.* Non ad eum id legis caput pertinere, sed ad solos senatores.

7. *Civitatis.* Qua damnatus exsularet.

8. *Idcirco feci.* Vix operæ pretium est adnotare totum hunc dialogismum mire ab oratore fictum, quo manifestius clientis probi mores ac nobiles sensus elucerent.

9. *Dignitatis.* Quod vere innocens appareret.— *Minus laboris.* Quod tantummodo de legis recitatione ageretur.

10. *Perorassem.* Postquam legis caput recitassem, finem dicendi fecissem.

LIII. 1. Al. *commovet.* J. V. L.

2. *Circumvenerit.* Damnandum aliquem curaverit.

3. *Jam videro.* De qua re brevi disputabo.

4. *Teneatur.* Suum statum servet, per leges consistat. Al. «contineatur», quod necesse non est.

discedi a legibus. Hoc enim vinculum est hujus dignitatis [5], qua fruimur in republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. Mens, et animus, et consilium, et sententia civitatis, posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente; sic civitas sine lege, suis partibus, ut nervis, ac sanguine, et membris, uti non potest. Legum ministri, magistratus; legum interpretes, judices; legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. Quid est, Q. Naso [6], cur tu in isto [7] loco sedeas? quæ vis est, qua abs te hi judices, tali dignitate præditi, coerceantur? Vos autem, judices, quamobrem ex tam magna multitudine civium tam pauci de hominum fortunis sententiam fertis? quo jure Attius, quæ voluit, dixit? cur mihi tamdiu potestas dicendi datur? quid sibi autem illi scribæ, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt? Opinor hæc omnia lege fieri, totumque hoc judicium, ut antea dixi, quasi mente quadam regi legis [8], et administrari. Quid ergo est? hæc quæstio sola ita gubernatur? quid M. Plætorii et C. Flaminii inter sicarios [9]? quid C. Orchinii

5. *Dignitatis.* Hoc fundamento nituntur publica nostra jura. Nobilissimam h. l. legum laudationem qua eloquentia ad præstantem accedit sapientiam, aliqua saltem ex parte de præclarissima Socratis apud Platonem expositione deprompsisse videtur orator.

6. *Q. Naso.* Q. Voconio Nasoni prætori obtigerat quæstio de veneficiis. Fuere qui de duobus hominibus agi, h. l. et cap. seq. crederent, quorum alter Q. Naso prætor, alter Voconius quæstionis judex esset. Ea de re confer quid in argumento dixerimus, et ad calcem hujus orationis adeas Excursum quem a Garatonio confectum reposuimus.

7. Plurimi codd. quod miremur, «hoc sexto loco sedeas?» Lalleman. conj. «hoc selecto l. s.» Malim ego, «cur tu nunc isto l. s.» J. V. L.

8. *Mente quad. reg. legis.* Legis veluti inspiratione gubernari. Schützius post Ernest. et Lamb. correxit «lege», quod minus significare videtur.

9. *Inter sicarios.* Nempe de sicariis. Quum in hoc judicio de privata vi ac publica ex duabus legibus quæreretur; duæ erant quæstiones uno nomine comprehensæ, quas duo exercuisse prætores videntur.

peculatus? quid mea [10] de pecuniis repetundis? quid C. Aquillii, apud quem nunc de ambitu [11] causa dicitur? quid reliquæ quæstiones? Circumspicite omnes reipublicæ partes : omnia legum imperio et præscripto fieri videbitis. Si quis apud me te, T. Atti, reum velit facere; clames, te lege pecuniarum repetundarum non teneri. Neque hæc tua recusatio confessio sit captæ pecuniæ, sed laboris, sed periculi non legitimi declinatio.

LIV. Nunc, quid agatur, et quid abs te juris constituatur, vide. Jubet lex ea [1], qua lege hæc quæstio constituta est, judicem quæstionis [2], hoc est, Q. Voconium [3], cum iis judicibus, qui ei obvenerint (vos appellat [4], judices), quærere de veneno. In quem quærere? Infinitum est [5] : QUICUMQUE FECERIT, VENDIDERIT, EMERIT, HABUERIT, DEDERIT. Quid eadem lex statim adjungit? Recita : DEQUE EJUS CAPITE QUÆRITO. Cujus? qui coierit? convenerit? non ita est. Quid ergo est? dic : QUI TRIBUNUS MILITUM LEGIONIBUS QUATUOR PRIMIS [6], QUIVE QUÆSTOR, TRIBUNUS PLEBIS. Deinceps omnes magistratus nominavit : QUIVE IN SENATU

10. *Mea.* Prætorem inde fuisse constat, quum Cluentium defenderet.

11. *Ambitus.* Gruter. Græv. alii. J. V. L.

LIV. 1. *Lex ea.* Lex Cornelia, ann. U. C. 671, a Cornelio Sulla lata de sicariis, veneficiis, parricidio et falso, quæ lex igitur plura capita comprehendit, in his etiam illud, quod jam lege Sempronia C. Gracchi sancitum erat, ne quis judicio circumveniretur. Cicero autem hoc agit, ut neget illud legis Corneliæ caput, e lege Sempronia repetitum, ad equestrem ordinem pertinere, ideoque Cluentium ea lege non teneri.

2. *Judicem quæstionis.* Apparet inde, nisi fallimur, id nominis et prætori dari, quum ipse judicibus præesset, nec per alterum suppleretur.

3. Schütz. verba, «hoc est, Q. Voconium», et «vos appellat, judices», a glossatore interpolata esse suspicatur. Perperam. J. V. L.

4. *Vos appellat, judices.* De vobis lex loquitur.

5. *Infinitum est.* Generatim omnia hujus modi crimina complectitur.

6. *Quatuor primis.* Harum nobiliores tribuni habebantur, quod olim eis consules imperarent; qui singuli binas habebant.

SENTENTIAM DIXIT, DIXERIT [7]. Quid tum? QUI EORUM COIIT, COIERIT, CONVENIT, CONVENERIT, QUO QUIS JUDICIO PUBLICO CONDEMNARETUR. Qui eorum [8] : quorum? videlicet, qui supra scripti sunt. Quid interest, utro modo scriptum sit? Etsi est apertum, tamen ipsa lex docet. Ubi enim omnes mortales alligat, ita loquitur : QUI VENENUM MALUM FECIT, FECERIT. Omnes viri, mulieres, liberi, servi in judicium vocantur. Si item de coitione voluisset, adjunxisset, QUIVE COIERIT. Nunc ita est, DEQUE EJUS CAPITE QUÆRITO, QUI MAGISTRATUM HABUERIT, QUIVE IN SENATU SENTENTIAM DIXERIT : QUI EORUM COIIT, COIERIT. Num is est Cluentius? certe non est. Quis ergo est Cluentius? qui tamen defendi causam suam lege nolit [9]. Itaque abjicio legem [10], morem Cluentio gero : tibi tamen, Atti [11], pauca, quæ ab hujus causa sejuncta sunt, respondebo. Est enim quiddam in hac causa, quod Cluentius ad se; est aliquid, quod ego ad me putem pertinere. Hic sua putat interesse, se re ipsa, et gesto negotio [12], non lege defendi; ego autem mea existimo interesse, me nulla in disputatione ab Attio videri esse superatum. Non enim mihi hæc causa sola dicenda est. Omnibus hic labor meus propositus est, quicumque hac facultate

7. *Dixit, dixerit.* Quæstores ac tribuni in senatum sententiam dicturi veniebant : sed ad tempus quamdiu in magistratu essent.

8. *Qui eorum.* Verba hæc legis repetit; et statim ipse per interrogationem subjicit : quorum? Nempe illorum quos supra lex descripsit.

9. *Lege nolit.* Qui nolit hac tam commoda, tam certa legis exceptione uti.

10. *Abjicio legem.* Jam non amplius dico legem hanc ad Cluentium non pertinere. Frustra verba hæc B. Weisk. suspecta putat.

11. *Tibi tamen, Atti.* Postquam Cluentium dixit orator hoc argumentum lucro apponere noluisse, ne existimationem amitteret; callide simulat sua, non Cluentii causa se refutare, quod Attius declaravit; et quum illa lex judiciaria sit, qua Cluentius non tenetur, iniquum esse a legibus discedere.

12. *Gesto negotio.* Rerum nuda expositione.

defensionis [13] contenti esse possunt. Nolo, quemquam eorum, qui adsunt, existimare, me, quæ de lege ab Attio dicta sunt, si reticuerim, comprobare. Quamobrem, Cluenti, de te tibi obsequor: neque ego legem recito, neque hoc loco pro te dico; sed ea, quæ a me desiderari [14] arbitror, non relinquam.

LV. Iniquum tibi videtur, Atti, esse, non iisdem legibus omnes teneri. Primum (ut id iniquissimum esse confitear [1]) hujusmodi est, ut commutatis eis opus sit legibus, non ut iis, quæ sunt, non [2] pareamus. Deinde quis umquam hoc senator accusavit [3], ut, quum altiorem gradum dignitatis, beneficio populi romani, esset consequutus, eo se putaret durioribus legum conditionibus uti non oportere? Quam multa sunt commoda, quibus caremus [4]? quam multa molesta ac difficilia, quæ subimus? Atque hæc omnia tantum honoris et amplitudinis commodis compensantur. Converte nunc [5] ad equestrem ordinem, atque in ceteros ordines, easdem vitæ conditiones: non perferent. Putant enim, minus multos sibi laqueos legum, et conditionum, ac judiciorum propositos esse oportere, qui in summum locum civitatis aut non potuerint [6] adscendere, aut non petiverint. Atque,

13. *Facultate defensionis.* Eo quod in patrociniis præstare possum: oratoria arte qua reos defendo.

14. *A me desiderari.* Quæ a me alii, ut opinor, requirunt.

LV. 1. *Confitear.* Si velim confiteri, quod tamen concedere non possum, id iniquissimum esse: si fingas me illud confiteri.

2. *Non pareamus.* Firmissima illa est civitas, inquit cl. Montesquieu, non quæ optimis legibus administratur, sed quæ iis, quæ sunt, fidissime paret.

3. *Accusavit.* De ea re questus est, quod, etc. Frustra mutavit Scheller. « sibi arrogavit ».

4. *Quibus caremus.* Supra jam in Verrinis vidimus inter senatores numeratum Ciceronem.

5. *Converte nunc.* Easdem nunc conditiones ceteris ordinibus impone; non perferent. Optime Beck. auctore Ernest. hunc locum sola interpunctione sublevavit. Vulgo male post « ordines » coli signo distinguebatur.

6. Olim, *potuerunt.* Infra, *petiverunt.* J. V. L.

ut omittam leges alias omnes, quibus nos tenemur, ceteri autem sunt ordines liberati: hanc ipsam[7] legem, NE QUIS JUDICIO CIRCUMVENIRETUR, C. Gracchus tulit; eam legem pro plebe, non in plebem tulit. Postea L. Sulla, homo a populi causa remotissimus, tamen, quum ejus rei quæstionem hac ipsa lege constitueret, qua vos hoc tempore judicatis, populum romanum, quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare novo quæstionis genere[8] ausus non est. Quod si fieri posse existimasset; pro illo odio, quod habuit in equestrem ordinem, nihil fecisset libentius, quam omnem illam acerbitatem proscriptionis suæ, qua est usus[9] in veteres judices, in hanc unam quæstionem contulisset. Nec nunc quidquam agitur (mihi credite[10], judices, et prospicite id, quod providendum est), nisi ut equester ordo in hujusce legis periculum includatur. Neque hoc agitur ab omnibus, sed a paucis. Nam ii senatores, qui se facile tuentur integritate et innocentia, quales, ut vere dicam, vos estis, et ceteri, qui sine cupiditate vixerunt, equites ordini senatorio dignitate proximos, concordia conjunctissimos esse cupiunt; sed ii, qui se volunt posse omnia, neque præterea quidquam esse[11], aut in homine ullo, aut in ordine, hoc uno metu se putant equites romanos in potestatem suam redacturos, si constitutum esset, ut de iis, qui rem judicarent, hujusmodi judicia fieri possent. Vident enim auctoritatem hujus ordinis

7. *Hanc ipsam legem.* Qua lege quæstio hæc constituta est.

8. *Novo quæstionis genere.* Mutata lege, ut ea populus rom. teneretur.

9. Vulgo *questus*, vel *quæstus*. Sequimur Manutium. J. V. L. — Sulla 1600 rom. equites victor occiderat, quia pro Cinnanis partibus steterant.

10. *Mihi credite, judices.* Ad eos hæc maxime spectant, qui erant judices ex equestri ordine; ad senatores autem quæ subjiciuntur: « Quales, ut vere dicam, vos estis, etc. »

11. *Quidquam esse.* Aut honorem, aut potentiam apud ceteros; qui omnia sibi quærunt, et a ceteris excludunt.

confirmari; vident judicia comprobari : hoc metu proposito, evellere se aculeum severitatis vestræ [12] posse confidunt. Quis enim de homine audeat, paullo majoribus opibus prædito, vere et fortiter judicare; quum videat, sibi de eo, quod coierit, aut consenserit, causam esse dicendam?

LVI. O viros fortes, equites romanos, qui homini clarissimo ac potentissimo, M. Druso, tribuno plebis, restiterunt, quum ille nihil aliud ageret [1] cum illa cuncta, quæ tum erat, nobilitate, nisi uti, qui res judicassent, hujuscemodi quæstionibus in judicium vocarentur. Tunc C. Flavius Pusio, Cn. Titinnius, C. Mæcenas, illa robora populi romani, ceterique hujuscemodi ordinis, non fecerunt idem, quod nunc Cluentius, ut aliquid culpæ suscipere se putarent, recusando [2]; sed apertissime repugnarunt, quum hæc recusarent, et palam fortissime atque honestissime dicerent, « se potuisse judicio populi romani [3] in amplissimum locum pervenire, si sua studia ad honores petendos conferrre voluissent; sese vidisse, in ea vita [4] qualis splendor inesset, quanta ornamenta, quæ dignitas; quæ se non contempsisse, sed ordine suo, patrumque suorum contentos fuisse; et vitam illam tranquillam et quietam, remotam a procellis invidiarum, et hujuscemodi judiciorum anfractu, sequi ma-

12. *Aculeum severitatis vestræ.* Sperant fieri posse ne severe judicetis. Hæc ad equites dicuntur, qui lege non tenebantur.

LVI. 1. *Quum nihil aliud ageret.* Hanc eamdem sententiam iisdem prope verbis legere est in oratione pro Rabirio, quem Julia lege de repetundis negat teneri, quod sit eques rom. hortaturque equites, ne se teneri ea lege patiantur, qua senatus eos teneri noluit. Illinc multa liceat accipere quæ huic loco facem præferant. Confer etiam Flor. III, 17.

2. *Recusando.* Ne lege alligarentur.

3. *Judicio populi romani.* Eos magistratus mandantis, quibus gestis aditus in curiam omnino patebat.

4. *In ea vita.* Quæ in summis magistratibus agitur.

luisse. Aut sibi ad honores petendos ætatem integram restitui oportere; aut, quoniam id non posset, eam conditionem [5] vitæ, quam sequuti, petitionem reliquissent, manere; iniquum esse, eos, qui honorum[6] ornamenta, propter periculorum multitudinem, prætermisissent, populi beneficiis esse privatos, judiciorum novorum periculis non carere; senatorem hoc queri non posse, propterea quod ea conditione proposita petere cœpisset; quodque permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus [7], auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen et gratia, toga prætexta, sella curulis [insignia] [8], fasces, exercitus, imperia, provinciæ : quibus in rebus quum summum recte factis majores nostri præmium, tum plura peccatis pericula proposita esse voluerunt». Illi non hoc recusabant, ea ne lege accusarentur, qua nunc Avitus accusatur, quæ tunc erat Sempronia [9], nunc est Cornelia : intelligebant enim, ea lege equestrem ordinem non teneri; sed ne nova lege [10] alligarentur, laborabant. Avitus ne hoc quidem umquam recusavit, quo minus vel ea lege rationem vitæ suæ redderet, qua non teneretur. Quæ si vobis [11] conditio placet, omnes id agamus, ut

5. *Eam conditionem.* Quum fieri non posset, ut pristinam ætatem recuperarent, illud sibi tum tribui ut eum servarent vitæ statum, cujus gratia, dignitatis spem reliquissent.

6. *Honorum ornamenta.* Alii, « bonorum orn. » J. V. L.

7. *Locus.* Honestas et dignitas senatoria.

8. [*Insignia.*] Jam. Gulielmius verbum hoc spurium judicaverat. Eo tamen nomine defendit Manutius, quod supra dicta ad magistratus, insignia vero ut latus clavus, ad senatores proprie pertinent.

9. *Sempronia.* Quam tulerat C. Sempronius Gracchus. — *Cornelia.* A L. Cornelio Sulla lata, qui plurima Semproniæ legis capita in eam traduxit.

10. *Nova lege.* Quam ferebat Drusus.

11. *Quæ si vobis.* Nullo modo contra legem illam pugnaverant, quia se illa non teneri certi erant; nunc quum in eos sævire quoque debeat, omni ope nitentur ut illam aboleant.

hæc quam primum in omnes ordines [12] quæstio perferatur [13].

LVII. Interea quidem, per deos immortales! quoniam omnia commoda nostra, jura, libertatem, salutem denique legibus obtinemus, a legibus non recedamus : simul et illud quam sit indignum [1], cogitemus : populum romanum aliud nunc agere [2]; vobis rempublicam et fortunas suas commisisse; ipsum sine cura esse; non metuere, ne lege ea, quam numquam ipse jusserit, et quæstione, qua se solutum liberumque esse arbitretur, per paucos judices [3] adstringatur. Agit enim sic causam T. Attius, adolescens bonus et disertus, omnes cives legibus teneri omnibus : vos attenditis et auditis [4] silentio, sicut facere debetis. A. Cluentius, eques romanus, causam dicit ea lege, qua lege senatores, et ii, qui magistratum habuerunt, soli tenentur : mihi per eum [5], recusare, et in arce legis præsidia constituere defensionis meæ, non licet. Si obtinuerit causam Cluentius (sicuti vestra æquitate nixi confidimus), existimabunt, id quod erit, obtinuisse propter innocentiam, quoniam ita defensus sit; in lege autem, quam attingere noluerit, præsidii nihil

12. *In omnes ordines.* In equites et in plebem. Nam si Cluentium causam dicere ea lege quæ ad eum non pertinet, æquum est, reliquos quoque eadem ratione haberi oportet.

13. *Quæstio perferatur.* Recte quidem disputat Cicero non in equites constituendam hanc legem, sed rectius etiam videretur si neque ea tenendos senatores, ut judices, demonstraret; quum eadem omnibus definienda lex est. Jurato enim judici dei tantum ac conscientiæ habenda ratio; nec ita ei diffidendum ut pœnæ metu ad officium adigatur. Quod optime apud recentiores constitutum est, juratorumque conditioni aliquid sanctius ac angustius accedit.

LVII. 1. *Indignum.* Aliquot MSS, *iniquum*. J. V. L.

2. *Aliud nunc agere.* Parum attendere periculo, quod ipsi proponatur ab iis, qui eum volunt nova lege adstringere.

3. *Per paucos judices.* Per vos; quorum sententia ad universum populum pervadet.

4. Delet Lambin. *et auditis*. J. V. L.

5. *Per eum.* Vult enim defendi facto, non lege.

fuisse [6]. Hic nunc est quiddam, quod ad me pertineat, de quo ante dixi, quod ego populo romano præstare debeam, quoniam is meæ vitæ status est, ut omnis mihi cura atque opera posita sit in omnium periculis defendendis. Video, quanta, et quam periculosa, et quam infinita quæstio [7] tentetur ab accusatoribus, quum eam legem, quæ in nostrum ordinem scripta sit, in populum romanum transferre conentur. Qua in lege est, QUI COIERIT.... quod quam late pateat, videtis : CONVENERIT.... æque infinitum et incertum est : CONSENSERIT.... hoc vero quum incertum et infinitum, tum obscurum et occultum est : FALSUMVE TESTIMONIUM DIXERIT.... quis de plebe romana testimonium dixit umquam, cui non hoc periculum, T. Attio auctore, paratum esse videatis? nam dicturum [8] quidem certe, si hoc judicium plebi romanæ propositum sit, neminem umquam esse confirmo. Sed hoc polliceor omnibus, si cui forte hac lege negotium facessetur, qui lege non teneatur, si is uti me defensore voluerit, me ejus causam legis præsidio defensurum; et vel his judicibus, vel eorum similibus, facile probaturum [9], et omni me defensione usurum esse legis; qua nunc ut utar, ab eo, cujus voluntati mihi obtemperandum est, non conceditur [10].

6. *Præsidii nihil fuisse.* Ita videbuntur equites hac lege omnes teneri, et si accusati fuerint, defendi eos oportebit non jam lege; quod si permittam populo rom. non id præstem, quod debeo.

7. *Quam infinita quæstio.* Quam late legem interpretari, et quam infinite causarum id genus producere velint accusatores; quum legis obscura verba ad omnes possint referri.

8. *Nam dicturum quidem,* etc. Testimonium scilicet apud judices.

9. *Probaturum.* Causa me victurum.

10. *Non conceditur.* Hoc capite ac sequenti tota disputatio concluditur : postquam orator judices monuit eorum custodiæ traditas leges, ac populi jura, et veras eorum hac in causa partes definiit, jam Cluentium absolutum iri, sed propter innocentiam, declarat, dum una ipsa legis exceptione absolvendus fuisset; simulque se, quoties se dederit occasio, legum præsidio ad ceterorum reorum salutem usurum profitetur.

LVIII. Non enim debeo dubitare, judices, quin, si qua ad vos causa hujusmodi delata sit ejus, qui lege non teneatur, etiamsi is invidiosus, aut multis offensus esse videatur, etiamsi eum oderitis, etiamsi inviti absoluturi sitis, tamen absolvatis; et religioni [1] potius vestræ, quam odio pareatis. Est enim sapientis judicis [2], cogitare, tantum sibi a populo romano esse permissum [3], quantum commissum et creditum sit; et non solum sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse meminisse; posse, quem oderit, absolvere; quem non oderit, condemnare; et semper, non quid ipse velit, sed quid lex et religio cogat, cogitare; animadvertere [4], qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Quum hæc sunt videnda, tum vero illud est hominis magni, judices, atque sapientis, quum illam judicandi causa tabellam sumpserit [5], non se putare esse solum [6], neque sibi, quodcumque concupierit, licere; sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem; libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditatesque omnes amovere; maximique [7] æstimare conscientiam mentis suæ, quam ab diis immortalibus accepimus, quæ a nobis divelli non potest : quæ si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis erit, sine ullo metu, et summa cum hone-

LVIII. 1. *Religioni*. Conscientiæ, quæ jurejando consecrata est.

2. Addunt pr. edd. « meminisse se hominem ». J. V. L.

3. *Esse permissum*. Vestræ potestati. — *Commissum*. Vestræ religioni creditum.

4. *Animadvertere*. Æstimare.

5. *Tabellam sumpserit*. Certas tabellas, inquit Asconius, prætores judicibus dabant, si clam judicandum erat, in quibus inscriptæ erant notæ : A absolutionis; C condemnationis; N L ampliationis, tamquam sit, *non liquet*.

6. *Esse solum*. Hinc Seneca Ep. 41 : « Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos : hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat ».

7. Olim *maximeque*, quod imprudens retinuit Grævius. J. V. L.

state vivemus. Hæc si T. Attius aut cognovisset, aut cogitasset, profecto ne conatus quidem esset dicere, id quod multis verbis egit, judicem, quod ei videatur, statuere, et non devinctum legibus esse oportere. Quibus de rebus mihi pro Cluentii voluntate, nimium [8]; pro reipublicæ dignitate, parum; pro vestra prudentia, satis dixisse [9] videor. Reliqua [10] perpauca sunt, quæ, quia vestræ quæstionis erant, idcirco illi statuerunt sibi fingenda esse, et proferenda, ne omnium turpissimi reperirentur, si in judicium nihil, præter invidiam [11], attulissent.

LIX. Atque, ut existimetis, necessario me de his rebus, de quibus jam dixerim, pluribus egisse verbis, attendite reliqua. Profecto intelligetis [1], ea, quæ paucis demonstrari potuerunt, brevissime esse defensa.

Cn. Decio Samniti, ei, qui proscriptus est, injuriam in calamitate ejus ab hujus familia factam esse dixistis. Ab nullo ille liberalius, quam a Cluentio, tractatus est. Hujus illum opes in rebus ejus incommodis sublevarunt. Atque hoc quum ipse, tum omnes ejus amici necessariique cognorunt [2]. Ancarii et Paceni pastoribus hujus villicos [3] vim et manus attulisse. Quum quædam in collibus, ut solet, controversia pastorum esset orta; Aviti villici rem domini, et privatam possessionem defenderunt. Quum esset expo-

8. *Nimium*. Vult enim Cluentius non hoc legis præsidio uti. — *Parum*. Postulat enim reip. dignitas ut multa vi leges defendantur.

9. *Satis dixisse*. Nam si plura dicerem, vobis diffidere viderer.

10. *Reliqua*. Veneficii crimina, quæ eadem quæstione continebantur, ut supra cap. 54 videre fuit.

11. *Præter invidiam*. Contra judicium illud Junianum merito excitatam.

LIX. 1. *Intelligetis*. Ex iis quæ sequuntur, intelligetis me pluribus necessario verbis egisse quæ jam dixerim; agam enim ea brevissime, quæ paucis demonstrari poterunt.

2. Alii, *cognoverunt*. J. V. L.

3. Sic pro vulg. *villicum* reperit in MS antiquo Sylvius; et cum sequentibus convenit. J. V. L.

stulatio[4] facta, causa illis demonstrata, sine judicio controversiaque discessum est. P. Ælii testamento propinquus exheredatus quum esset, heres hic alienior[5] institutus est. P. Ælius Aviti merito fecit; neque hic in testamento faciendo interfuit; idque testamentum ab hujus inimico Oppianico est obsignatum. Florio legatum ex testamento, infitiatum esse[6]. Non est ita; sed quum H-S xxx[7] scripta essent, pro H-S ccc, neque ei satis cautum videretur, voluit eum aliquid acceptum referre liberalitati suæ: primo deberi[8] negavit; post sine controversia solvit. Cœlii cujusdam Samnitis uxorem post bellum ab hoc esse repetitam. Mulierem quum emisset de sectoribus[9]; quo tempore eam primum liberam esse audivit, sine judicio reddidit Cœlio. Ennium esse quemdam, cujus bona teneat Avitus. Est hic Ennius egens quidam, calumniator[10], mercenarius Oppianici, qui permultos annos quievit; deinde aliquando cum servo Aviti furti egit[11]; nuper ab ipso Avito petere cœpit. Hic illo privato judicio[12] (mihi credite), nobis iisdem fortasse patronis, calumniam non effugiet. Atque etiam, ut nobis renuntiatur, hominem multorum

4. *Expostulatio.* Expostulare, inquit Donatus ad Ter. Andr. IV, 1, 15, est querelam apud eum ipsum deponere de eo ipso, qui fecit injuriam. Itaque qui exspostulat, res repetit extra judicium ante communes amicos.

5. *Heres hic alienior.* Cluentius, quamvis nullo modo propinquus esset, heres est institutus. — *Merito.* Beneficio, Cluentii bene factorum memor.

6. *Infitiatum.* Quod ex testamento fuerat Florio legatum, ei non solvisse Cluentium accusatores dicunt.

7. *H-S xxx.* Sestertium triginta millia (gall. 6,150 f.)—*Videretur.* Legatario, propter scripturæ errorem.

8. Alii, *debere.* J. V. L.

9. *De sectoribus.* Iis qui publicata bona, quum per auctionem venduntur, emunt. De his sæpius pro Rosc. Am. dictum.

10. *Calumniator.* Qui rem sibi non debitam judicio petit.

11. *Egit.* Insimulavit.

12. *Privato judicio.* Civili; sic appellato, quia nulli competebat hujus causæ actio, nisi ei cui deberetur. — *Calumniam.* Calumniæ damnationem. De pœna hac confer ad calc. prim. volum. Excurs. de judic.

hospitum [13], A. Binnium quemdam, coponem [14], de via Latina, subornatis: qui sibi a Cluentio, servisque ejus, in taberna sua manus allatas esse dicat. Quo de homine nihil etiam nunc dicere nobis est necesse. Si invitaverit [15], id quod solet, sic hominem accipiemus, ut moleste ferat, se de via decessisse. Habetis, judices, quæ in totam vitam de moribus A. Cluentii, quem illi invidiosum reum volunt esse, annos [16] octo meditati accusatores collegerunt: quam levia, genere ipso! quam falsa, re! quam brevia, responsu!

LX. Cognoscite nunc id, quod ad vestrum jusjurandum pertinet, quod vestri judicii est, quod vobis oneris imposuit ea lex, qua coacti [1] huc convenistis, de criminibus veneni: ut omnes intelligant, quam paucis verbis hæc causa perorari potuerit, et quam multa a me dicta sint, quæ ad hujus voluntatem [2] maxime, ad vestrum judicium minime pertinerent.

Objectum est, C. Vibium Capacem ab hoc A. Cluentio veneno esse sublatum. Opportune adest homo summa fide et omni virtute præditus, L. Plætorius, senator, qui illius Capacis hospes fuit et familiaris. Apud hunc ille Romæ habitavit, apud hunc ægrotavit, hujus domi est mortuus. At heres est Cluentius. Intestatum dico esse mortuum, possessionemque ejus

13. *Multorum hospitum*. Facete dictum, ambiguo sensu, quod de nobili viro dici possit, cui multa intercedant hospitia, aut de caupone, ut hoc loco est.

14. *Coponem*. Huic optimi codices veteri favent scripturæ.

15. *Si invitaverit*. Jocus ex ejus conditione. Si ille caupo, ut solet invitare prætereuntes ut ad se divertant, sic nos invitaverit, seu provocaverit, ut contra ipsum dicamus, ideoque Romam venerit, sic hominem tractabimus ut moleste ferat se calumniandi causa de via (Latina, et figurate de recto ac bono) decessisse.

16. *Annos octo*. Ab Oppianici judicio ad hoc tempus.

LX. 1. *Coacti*. Congregati.

2. *Ad hujus voluntatem*. Ut Cluentio satisfacerem, qui ea objecta a me refelli voluit, quæ ad ejus existimationem, verum non ad causam proprie pertinerent.

bonorum, prætoris edicto, huic, illius sororis filio, adolescenti pudentissimo, et in primis honesto, equiti romano datam, Numerio Cluentio, quem videtis.

Alterum veneficii crimen, Oppianico huic adolescenti, quum ejus in nuptiis, more Larinatium, multitudo hominum pranderet, venenum Aviti consilio paratum; id quum daretur in mulso [3], Balbutium quemdam, ejus familiarem, intercepisse, bibisse, statimque esse mortuum. Hæc ego si sic agerem [4], tamquam mihi crimen esset diluendum, hæc pluribus verbis dicerem, quæ nunc paucis percurrit oratio mea. Quid umquam Avitus in se admisit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? Quid autem magnopere Oppianicum metuebat [5], quum ille verbum omnino in hac ipsa causa nullum facere potuerit; huic autem accusatores, matre viva, deesse non possent? quod jam intelligetis. An ut [6] de causa ejus periculi nihil decederet, ad causam novum crimen accederet? Quod autem tempus veneni dandi illo die? in illa frequentia? Per quem porro datum? unde sumptum? quæ deinde [7] interceptio poculi? cur non de integro [8] autem datum? Multa sunt, quæ dici possunt; sed non committam, ut videar non dicendo voluisse dicere: res enim jam se ipsa defendat. Nego,

3. *Mulso.* Potione quæ ex melle ac vino constat. Cf. Plin. XXII, 24.

4. *Si sic agerem.* Fictum hoc crimen et contemnendum, ideoque ne confutatione quidem dignum ostendit ac probat. Ironiam autem Quintilianus IX, 7, laudat.

5. *Metuebat.* Non enim metuebat ne ab eo accusaretur, cujus infantiam videtis; quum in hac causa ne ullum quidem verbum dicere potuerit. Eumdem supra ut indisertum carpsit c. 24.

6. *An ut.* Volebatne Cluentius, nec imminutis suis periculis, etiam accusatoribus novam criminandi rationem suppeditare.

7. *Quæ deinde.* Apud Quintil. IX, 3, 37, « quæ porro ». J. V. L. — Quomodo autem interceptum fuerat poculum.

8. *De integro.* Cur non denuo tentatum est. Quam vivide argumenta h. l. excutiat Cicero adnotat Quintil. IX, 3, et V.

illum adolescentem, quem statim epoto poculo mortuum esse dixistis, omnino illo die esse mortuum. Magnum et impudens mendacium. Perspicite cetera. Dico, illum, quum ad illud prandium crudior [9] venisset, et, ut ætas illa fert, sibi tamen [10] non pepercisset, aliquot dies ægrotasse, et ita esse mortuum. Quis huic rei testis est? Idem, qui sui luctus [11], pater: pater, inquam, illius adolescentis, quem, propter animi dolorem, pertenuis suspicio potuisset ex illo loco [12] testem in A. Cluentium constituere, is hunc suo testimonio sublevat. Quod recita. Tu autem, nisi molestum est, paullisper exsurge [13], et perfer hunc dolorem commemorationis necessariæ: in qua ego diutius non morabor, quoniam, quod fuit viri optimi, fecisti, uti ne cui innocenti mœror tuus calamitatem et falsum crimen afferret. TESTIMONIUM BALBUTII PATRIS.

LXI. Unum etiam [1] mihi reliquum ejusmodi crimen est, judices, ex quo illud perspicere possitis, quod a me initio orationis meæ dictum est: quidquid mali per hos annos A. Cluentius viderit, quidquid hoc tempore habeat sollicitudinis ac negotii, id omne a matre esse conflatum. Oppianicum veneno necatum

9. *Crudior.* Etsi adolescens jam ante prandium cruditate laborabat, tamen sibi non pepercit, sed contra se cibis ingurgitavit.

10. Vulg. *tum.* Ernest emendavit. J. V. L.

11. *Qui sui luctus.* Idem ille qui suum summum dolorem testatur.

12. *Ex illo loco.* Ex subselliis, ubi accusator, ejusque testes sedere solebant. — *Quod recita.* Scribam alloquitur.

13. *Exsurge.* Surgas velim, Balbuti pater. Moris erat ut, si scriba testimonium aut laudationes recitaret, ipsi testes aut laudatores exsurgerent, ut ab omnibus conspici possent. Sic infra ii, qui laudationem Cluentii ex decurionum Larinatium decreto, detulerant, jubentur assurgere, dum ea laudatio recitaretur.

LX. 1. *Unum etiam.* Aliud veneni crimen refutat, quod fuit præcipuum. Cluentium enim accusabant venenum parasse, quo per M. Asellium Oppianicus tolleretur.

esse, quod ei datum sit in pane per M. Asellium quemdam, familiarem illius, idque Aviti consilio factum esse, dicitis. In quo primum illud quæro, quæ causa Avito fuerit, cur interficere Oppianicum vellet. Inimicitias enim inter ipsos fuisse confiteor; sed homines, inimicos suos morte affici volunt, vel quod metuunt [2], vel quod oderunt. Quo tandem igitur Avitus metu adductus, tantum in se facinus suscipere conatus est? quid erat, quod jam Oppianicum pœna affectum pro maleficiis, ejectum e civitate, quisquam timeret? Quid metuebat? ne [3] oppugnaretur a perdito? an ne accusaretur a condemnato? an ne exsulis [4] testimonio læderetur? Sin autem, quod oderat Avitus, idcirco illum vita frui noluit; adeone erat stultus, ut illam, quam tum ille vivebat, vitam esse arbitraretur, damnati [5], exsulis, deserti ab omnibus? quem propter animi importunitatem, nemo recipere tecto, nemo adire [6], nemo alloqui, nemo respicere vellet? Hujus igitur vitæ Avitus invidebat? Hunc si acerbe et penitus oderat; non eum quam diutissime vivere [7] velle debebat? huic mortem maturabat inimicus, quod illi unum in malis perfugium erat calamitatis? qui si quid animi ac virtutis habuisset (ut

2. *Vel quod metuunt.* Iisdem utitur argumentis Cicero pro Milone, cui cum Clodio eas intercessisse inimicitias dicit, ut Miloni Clodium vivere expediret.

3. Al. *ut.* J. V. L.

4. *Exsulis.* Ad exsulem lex nulla pertinet, neque ei testimonium dicere licet. Quintil. VII.

5. *Damnati.* Qui hac ipsa damnatione capite erat deminutus, et morte civili, ut aiunt, affectus.

6. Al. *audire.* J. V. L.

7. *Quam diutissime vivere.* Non dissimilia sunt ea, quæ de Cnesia quodam scripsit Lysias apud Athen. XII; quæ quia majorem lucem huic loco addunt, recitare non piget : τοῦτον ὑπὸ πλείστων γινωσκόμενον οἱ Θεοὶ οὕτω διέθεσαν, ὥστε τοὺς ἐχθροὺς αὐτὸν βούλεσθαι ζῆν μᾶλλον ἢ τεθνάναι.... τὸ μὲν γὰρ ἀποθανεῖν ἢ καμεῖν νομίμως, κοινὸν ἅπασιν ἡμῖν ἐστιν· τὸ δὲ οὕτως ἔχοντα, τοσοῦτον χρόνον διατελεῖν, και καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀποθνήσκοντα, μὴ δύνασθαι τελευτῆσαι τὸν βίον, τούτοις μόνοις προσήκει τοῖς τὰ τοιαῦτα, ἅπερ οὗτος, ἐξημαρτηκόσι.

multi sæpe fortes viri in ejusmodi dolore), mortem sibi ipse conscisset; huic quamobrem id vellet inimicus offerre, quod ipse sibi optare deberet? Nam nunc quidem quid tandem illi mali mors attulit? nisi forte ineptiis ac fabulis ducimur, ut existimemus, illum apud inferos impiorum supplicia perferre, ac plures illic offendisse inimicos, quam hic reliquisse; a socrus, ab uxorum, a fratris, a liberum pœnis [8] actum esse præcipitem in sceleratorum sedem atque regionem. Quæ si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem aliud mors eripuit, præter sensum doloris [9]?

LXII. Age vero, venenum per quem datum? Per M. Asellium. Quid huic cum Avito? Nihil: atque adeo, quod ille Oppianico familiarissime est usus, potius etiam simultas [1]. Eine igitur, quem sibi offensiorem, Oppianico familiarissimum sciebat esse, potissimum et suum scelus, et illius periculum committebat? Cur deinde tu [2], qui pietate ad accusandum excitatus es, hunc Asellium esse inultum tamdiu sinis? cur non Aviti exemplo usus es, ut per illum, qui attulisset venenum, de hoc præjudicaretur? Jam vero illud quam non probabile, quam inusitatum, judices, quam no-

8. *Pœnis*. Furiis. Ut pro Rosc. Amer. cap. 24, in Verr. I, 3.

9. *Præter sensum doloris*. Bene est quod supra cap. 50 nos monuit orator, se causæ ac tempori servire; itaque h. l. vitæ alterius opinionem et eodem consilio et iisdem argumentis impugnat, quibus apud Sallustium Cæsar, quum Catilinæ consciorum mortem deprecatur. Longe verius in Philip. XIV, de Antonii ad Mutinam interfectis militibus: « Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent; vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem et locum consequuti ». Et ipse sic intima mente sentiebat, ut in philosophicis operibus in promptu est videre.

LXII. 1. *Simultas*. Odium potius Asellio cum Avito intercedebat.

2. *Cur deinde tu*. Oppianice adolescens. — *Aviti exemplo*. Qui Fabricios accusavit, ut de Oppianico præjudicaretur, judicumque animos fraude circumveniret.

vum, in pane datum venenum? Faciliusne potuit, quam in poculo? Latentius[3] potuit, abditum aliqua in parte panis, quam si totum colliquefactum in potione esset? Celerius potuit comestum, quam epotum, in venas atque in omnes partes corporis permanare? Facilius fallere in pane, si esset animadversum[4], quam in poculo, quum ita confusum esset, ut secerni nullo modo posset? At repentina morte periit. Quod si esset ita factum, tamen ea res, propter multorum ejusmodi mortem[5], satis firmam veneni suspicionem non haberet. Si esset suspiciosum, tamen ad alios potius, quam ad Avitum pertineret. Verum in eo ipso homines impudentissime mentiuntur. Id ut intelligatis; et mortem ejus, et, quemadmodum post mortem in Avitum sit crimen a matre quæsitum, cognoscite.

Quum vagus et exsul erraret, atque undique exclusus Oppianicus, in Falernum se ad C. Quintilium contulisset; ibi primum in morbum incidit, ac satis vehementer diuque ægrotavit. Quum esset una Sassia, et Statio Albio[6] quodam, colono, homine valente, qui simul esse solebat, familiarius uteretur, quam vir dissolutissimus[7], incolumi fortuna, pati posset; et jus illud

3. Alii unice verum putant *latius*, teste Prisciano. Schütz. addit ex ingenio, *diffundi*. J. V. L. — Vulgatæ sensus patet: Poteratne magis latere venenum in pane, cujus substantiam non penetrabat, quam in liquore, cui statim immistum fuisset?

4. *Si esset animadversum*. Ernest. negavit hoc sensum commodum habere; quomodo enim potuisset fallere, si esset animadversum? Respondet Schütz. Si exempli causa mica arsenici in pane esset abdita, poterat aliquis hanc animadvertere et tamen falli; quum eam pro mica sacchari vel farinæ habitam deglutiret.

5. *Ejusmodi mortem*. Quum tot subitaneæ mortis, nec veneno illatæ, occurrant exempla.

6. *Statio Albio*. Sassiæ adultero, ut nomen ac prænomen ostendit, Oppianici liberto.

7. *Dissolutissimus*. Impudentissimus, qui suam existimationem minime curat. Si quis incolumi fortuna esset, quamvis nullo pudoris vinculo adstrictus, ut omnia negligeret, ferre tamen eam familiaritatem non poterat.

matrimonii castum atque legitimum, damnatione viri sublatum arbitraretur : Nicostratus quidam, fidelis Oppianici servulus, percuriosus et minime mendax, multa dicitur renuntiare domino solitus esse. Interea Oppianicus quum jam convalesceret, neque in Falerno improbitatem coloni diutius ferre posset, et huc ad Urbem profectus esset[8] (solebat enim extra portam aliquid habere conducti), cecidisse ex equo dicitur, et homo infirma valitudine latus[9] offendisse vehementer, et, posteaquam ad urbem cum febri venerit, paucis diebus esse mortuus. Mortis ratio, judices, ejusmodi est, ut aut nihil habeat suspicionis, aut, si quid habet, id intra parietes in domestico scelere versetur.

LXIII. Post mortem ejus Sassia statim moliri nefaria mulier cœpit insidias filio : quæstionem habere de viri morte constituit. Emit de A. Rupilio, quo erat usus Oppianicus medico, Stratonem quemdam, quasi ut idem faceret, quod Avitus in emendo Diogene fecerat[1]. De hoc Stratone et de assecla quodam servo suo quæsituram esse dixit. Præterea servum illum Nicostratum, quem nimium loquacem[2] fuisse, ac nimium domino fidelem arbitrabatur, ab hoc adolescente Oppianico in quæstionem postulavit. Hic quum esset illo tempore puer, et illa quæstio de patris sui morte constitui diceretur : etsi illum servum, et sibi

Oppianicus et afflicta fortuna et æger, aliquamdiu ferre coactus est.

8. *Et ut ad Urbem profectus esset.* Inde patet hominis hujusce exsilium non omnino grave fuisse, quum Urbe tantum prohibitus, ad Romæ portas posset habitare : dicit etiam Polybius, lib. VI, exsulibus Præneste, Tibur nonnullaque alia sociorum oppida fuisse concessa. Non autem hæc romanarum pœnarum pars omnino est nota.

9. *Latus offendisse.* Ad latus ictu affectum fuisse.

LXIII. 1. *Fecerat.* Vide cap. 16.

2. *Nimium loquacem.* Quod stupri consuetudinem Sassiæ cum Statio isto colono denuntiarat. —*In quæstionem.* Ut fidei pœnas daret, neque ultra posset nocere, hunc, habita quæstione, interrogandum postulat Sassia.

benivolum esse, et patri fuisse arbitrabatur; nihil tamen est ausus recusare. Advocantur amici et hospites Oppianici [3], et ipsius mulieris multi, homines honesti, atque omnibus rebus ornati. Tormentis omnibus vehementissimis quæritur. Quum essent animi servorum et spe et metu [4] tentati, ut aliquid in quæstione dicerent; tamen, ut arbitror, auctoritate advocatorum et vi tormentorum adducti [5], in veritate manserunt, neque se quidquam scire dixerunt. Quæstio illo die de amicorum sententia dimissa est. Satis longo intervallo post iterum advocantur. Habetur de integro quæstio; nulla vis tormentorum acerrimorum prætermittitur; adversari advocati, et jam vix ferre posse; furere crudelis atque importuna mulier, sibi nequaquam, ut sperasset, ea, quæ cogitasset, procedere. Quum jam tortor, atque essent tormenta [6] ipsa defessa, neque tamen illa finem facere vellet; quidam ex advocatis, homo et honoribus populi ornatus, et summa virtute præditus, intelligere se dixit, non id agi, ut verum inveniretur, sed ut aliquid falsi dicere cogerentur. Hoc postquam ceteri comprobarunt; ex omnium sententia constitutum est, satis videri esse quæsitum. Redditur Oppianico Nicostratus. Larinum ipsa proficiscitur cum suis, mœrens, quod jam certe

3. *Hospites Oppianici.* Quamvis offendat hoc Sylvium, quia supra Oppianicum patrem ab omnibus desertum esse dixerit; intelliguntur amici et hospites, quos ante damnationem habuerat, et qui, patre mortuo, juniori Oppianico nunc fidem et operam navabant.

4. *Metu.* Schützius, nulla auctoritate, hic posuit verba, « et vi tormentorum », quæ non intelligere se fatetur, si maneant suo loco. J.V. L. — Vide notam sequentem.

5. *Vi tormentorum adducti.* Spectantium honestissimorum virorum conspectu, qui sane longiorem quæstionem prohibuissent, et ipsa dolorum vi, qui ultra jam progredi non poterant, incensi, in veritate perstiterunt.

6. *Tormenta.* Schütz. legit, « atque tormenta essent ». J. V. L.

incolumem filium [7] fore putabat, ad quem non modo verum crimen, sed ne ficta quidem suspicio perveniret; et cui non modo aperta inimicorum oppugnatio, sed ne occultæ quidem matris insidiæ nocere potuissent. Larinum postquam venit, quæ a Stratone illo venenum antea viro suo datum, sibi persuasum esse simulasset, instructam ei continuo et ornatam Larini medicinæ exercendæ [8] causa tabernam dedit.

LXIV. Unum, alterum, tertium annum Sassia quiescebat, ut velle atque optare aliquid calamitatis filio potius, quam id struere et moliri videretur. Tum interim, Hortensio, Metello consulibus [1], ut hunc Oppianicum aliud agentem, ac nihil ejusmodi cogitantem, ad hanc accusationem detraheret, invito despondit ei filiam suam, illam, quam ex genero susceperat, ut eum nuptiis alligatum simul, et testamenti spe devinctum, posset [2] habere in potestate. Hoc ipso fere tempore Strato ille medicus domi furtum fecit et cædem ejusmodi. Quum esset in ædibus armarium, in quo sciret esse nummorum aliquantum et auri [3]: noctu duos conservos dormientes occidit, in piscinamque dejecit; ipse armarii fundum exsecuit, et H-S [4] et auri quinque pondo abstulit, uno

7. *Incolumem filium.* Non jam damnari posse filium quem non modo veri criminis arguere non poterant, sed ne ficta quidem suspicione lædere.

8. *Medicinæ exercendæ.* Jam adnotavimus servos plerumque, aut libertinos medicinam exercere, eosdemque medicamenta in tabernis sæpius vendere.

LXIV. 1. *Hortensio, Metello coss.* Hi fuere anno 684 consules, quibus designatis, Verres designatus est; quo eodem tempore, Cicero ædilis fuit designatus, ut ipse scribit in accusatione Verris. Tres autem anni jam a mortuo Oppianico effluxerant, ita ut, quum hæc Ciceronis causa anno 687 ageretur, septem jam anni essent elapsi.

2. *Posset.* Alii, *possit.* J. V. L.

3. *Auri.* Non pecuniæ, quam supra nominavit, sed vasorum aut similium.

4. *Exsecuit, et H-S.* Deesse hic videtur summa sestertiorum. Conjicit Manutius « x millia »; Gronov. « CL », quæ literæ in MSS facile omitti potuerunt ob similitudinem literarum sequentium. J. V. L.

ex servis puero non grandi conscio. Furto postridie cognito, omnis suspicio in eos servos[5], qui non comparebant, commovebatur. Quum exsectio illa fundi in armario animadverteretur, quærebant homines, quonam modo fieri potuisset. Quidam ex amicis Sassiæ recordatus est, se nuper in auctione[6] quadam vidisse in rebus minutis aduncam, ex omni parte dentatam[7], et tortuosam venire serrulam, qua illud potuisse ita circumsecari videretur. Ne multa : perquiritur a coactoribus[8]; invenitur ea serrula ad Stratonem pervenisse. Hoc initio suspicionis orto, et aperte insimulato Stratone, puer ille conscius pertimuit; rem omnem dominæ indicavit; homines in piscina inventi sunt; Strato in vincula conjectus est; atque etiam in taberna ejus nummi, nequaquam omnes[9], reperiuntur. Constituitur quæstio de[10] furto. Nam quid quisquam suspicari aliud potest? An hoc dicitis, armario expilato, pecunia ablata, non omni recuperata, occisis hominibus, institutam esse quæstionem de morte Oppianici? cui probatis[11]? quid est, quod minus verisimile proferre potuistis? Deinde, ut omittam cetera, triennio post mortem Oppianici de ejus morte quærebatur? Atque etiam, incensa odio pristino, Nicostratum eumdem illum tum sine causa in quæstionem postulavit. Oppianicus primo recusavit : posteaquam illa, abducturam se filiam,

5. *In eos servos.* Quos occisos in piscinam Strato dejecerat, ita ut, quum non comparerent, profugisse crederentur.

6. *Auctione.* Publica scilicet bonorum venditione.

7. *Dentatam.* Priscianus habet *dentatum*, III, pag. 617. J. V. L.

8. *Coactoribus.* Ii sunt, qui in auctione pecuniam accipiunt ac colligunt. Vid. Indic. latinit.

9. *Nequaquam omnes.* Eorum pars tantummodo exstabat.

10. *De furto.* Non de morte Oppianici, ut dicebat accusator.

11. *Cui probatis.* Quem ut hoc credat adducetis? quum res illa ita a veritate abhorreat.

mutaturam esse testamentum, minaretur; mulieri crudelissimæ servum fidelissimum, non in quæstionem tulit[12], sed plane ad supplicium dedit.

LXV. Post triennium igitur agitata denique quæstio de viri morte habebatur: et de quibus servis habebatur? Nova, credo, res objecta, novi quidam homines in suspicionem vocati sunt. De Stratone, et de Nicostrato. Quid Romæ quæsitum de istis hominibus non erat? Itane tandem? mulier jam non morbo[1], sed scelere furiosa, quum quæstionem habuisset Romæ, quum T. Annii, L. Rutilii, P. Saturii, et ceterorum honestissimorum virorum sententia constitutum esset, satis quæsitum videri; eadem de re triennio post, iisdem de hominibus, nullo adhibito, non dicam viro (ne colonum forte affuisse[2] dicatis), sed bono viro, in filii caput quæstionem habere conata est. An hoc dicitis? mihi enim venit in mentem, quid dici posset[3], tametsi adhuc non esset dictum: quum haberetur de furto quæstio, Stratonem aliquid de veneno esse confessum? Hoc uno modo, judices, sæpe multorum improbitate depressa veritas emergit, et innocentiæ defensio interclusa respirat: quod aut ii, qui ad fraudem callidi sunt, non tantum audent, quantum excogitant; aut illi, quorum eminet au-

12. *Tulit.* Ernestius conjiciebat *obtulit.* J. V. L.

LXV. 1. *Non morbo.* Non jam animi morbo, sed scelere præceps acta, quum filio perniciem strueret, quem superiore quæstione innocentem cognoverat.

2. *Affuisse.* Si Cicero tantum dixisset nullum virum fuisse adhibitum, poterant adversarii dicere: at colonus Albius affuit. Ergo se ipse corrigit, et dicit nullum virum bonum fuisse adhibitum, ita ut hoc verbo amoveatur colonus iste quem sup. c. 63 improbum fuisse declaraverat. Sic Lamb. Lallem. Schütz. verbum hoc explicant. Alii multi « affuisse », seu « abfuisse » quod sensum satis planum, sed minus bonum, nobis saltem auctoribus, ferre videtur.

3. *Quid dici posset.* Divinavit enim animus, quid vos accusatores in judicio afferre possitis, quamvis nondum dixeritis; num dicetis, Stratonem, etc.

dacia, atque projecta[4] est, a consiliis malitiæ deseruntur. Quod si aut confidens astutia, aut callida esset audacia, vix ullo obsisti modo posset[5]. Utrum furtum factum non est? at nihil clarius Larini fuit. An ad Stratonem suspicio non pertinuit? at is et ex serrula insimulatus, et a puero conscio est indicatus. An id actum non est[6] in quærendo? quæ fuit alia igitur causa quærendi? An, id[7] quod dicendum vobis est, et quod tum Sassia dictitabat, quum de furto quæreretur, tum Strato iisdem in tormentis dixit de veneno? En hoc illud est, quod ante dixi: mulier abundat audacia; consilio et ratione deficitur. Nam tabellæ quæstionis plures proferuntur, quæ recitatæ vobisque editæ sunt, illæ ipsæ, quas tum non obsignatas[8] esse dixi: in quibus tabellis de furto litera nulla invenitur. Non venit in mentem, primam orationem Stratonis conscribere de furto; post aliquid adjungere dictum de veneno, quod non percontatione quæsitum, sed dolore expressum videretur. Quæstio de furto est[9], veneni jam suspicione, superiore quæstione, sublata; quod ipsum hæc eadem

4. *Projecta.* Magna quædam et incredibilis audacia.

5. *Obsisti modo posset.* Nam vere Phædrus « Vis et consilium quidquid oppugnant, ruit »; et vicissim apud eumdem, « Vis consilii expers mole ruit sua ».

6. *Id actum non est.* Non de ea re quæstio est habita.

7. *An id.* Illudne jactabitis, quod unum omnino vos dicere oportet, et quod illo tempore dictitabat Sassia, nempe Stratonem de furto interrogatum, etiam Oppianici necem in tormentis esse confessum?

8. *Non obsignatas.* Nullo testium signo impressas, ita ut fictæ esse videantur; olim edebatur « quas tum obsignatas esse dixi ». Ernestius, auctore Sylvio, addidit « non ». Beck. autem, nonnullis fretus MSS, recepit «. q. t. o. esse dixit». Nempe Sassia. Quod unice verum esse contendit Garaton. Hunc sequutus est Schütz.

9. *Quæstio de furto est.* Totum hunc nitidissimum locum omnino vertit et mutavit Schütz. ex ingenio; verba, phrases transposuit, quo aptius, ut ipse dicit, et ad verborum sonum concinnius collocarentur. Bene est, quod veteres librarii non ita subtiliter Ciceronis famæ consuluerint.

mulier indicarat: quæ, ut Romæ de amicorum sententia statuerat satis esse quæsitum, postea per triennium maxime ex omnibus servis Stratonem illum dilexerat, in honore habuerat, commodis omnibus affecerat[10]. Quum igitur de furto quæreretur, et eo furto, quod ille sine controversia fecerat; tum ille de eo, quod quærebatur, verbum nullum fecit? De veneno statim dixit? de furto, si non eo loco, quo debuit, ne in extrema quidem, aut media, aut in aliqua denique parte quæstionis, verbum fecit ullum?

LXVI. Jam videtis, illam nefariam mulierem, judices, eadem manu, qua, si detur potestas, interficere filium cupiat, hanc fictam quæstionem conscripsisse. Atque istam ipsam quæstionem, dicite, quis obsignavit? Unum aliquem nominate. Neminem reperietis, nisi forte ejusmodi hominem[1], quem ego proferri malim, quam neminem nominari. Quid ais, T. Atti? tu periculum capitis, tu indicium sceleris[2], tu fortunas alterius literis conscriptas in judicium afferes; neque earum auctorem[3] literarum, neque obsignatorem, neque testem ullum nominabis? et, quam tu pestem innocentissimo filio ex matris sinu deprompseris[4], hanc hi tales viri comprobabunt? Esto; in tabellis nihil est auctoritatis : quid? ipsa

10. *Commodis omnibus affecerat.* Ex quo genere est illud, quod cap. 63 narratur Sassiam Stratoni, post illam quæstionem de veneno, quod a Stratone viro suo datum esse simulasset, instructam ei continuo φαρμακοπωλεῖαν dedisse.

LXVI. 1. *Ejusmodi hominem.* Nempe Statium Albium, istum Sassiæ adulterum, qui, si a vobis citatur, causæ meæ serviet, magis quam si testem nullum fuisse confiteamini; quod illius appositum nomen satis erit, ut omnem tabellis fidem ac auctoritatem tollat.

2. *Indicium sceleris.* Quod a Cluentio commissum, et his quæstionis tabellis monstratum dicitis.

3. Multæ edd. *auctoritatem.* J. V. L.

4. *Ex matris sinu depromperis.* Et quam perniciem a matre instructus filio moliris, judices hi innocentissimi viri bene illi succedere sinent! Et speras operam tibi ad tale facinus navaturos!

quæstio, judicibus[5]: quid? amicis hospitibusque Oppianici, quos adhibuerat antea: quid? huic tandem ipsi tempori cur non reservata est? Quid istis hominibus factum est, Stratone et Nicostrato? Quæro abs te, Oppianice, servo tuo Nicostrato quid factum[6] esse dicas: quem tu, quum hunc brevi tempore accusaturus esses, Romam deducere, dare potestatem indicandi[7], incolumem denique servare quæstioni, servare his judicibus, servare huic tempori debuisti. Nam Stratonem quidem, judices, in crucem actum esse exsecta scitote lingua: quod nemo est Larinatium qui nesciat. Timuit mulier amens non suam conscientiam, non odium municipum, non famam omnium; sed, quasi non omnes ejus sceleris testes essent futuri, sic metuit, ne condemnaretur extrema servuli voce morientis.

Quod hoc portentum, dii immortales? quod tantum monstrum in ullis locis? quod tam infestum scelus et immane, aut unde natum esse dicamus? Jam enim videtis profecto, judices, non sine necessariis me ac maximis causis, principio orationis meæ de matre dixisse. Nihil est enim mali, nihil sceleris, quod illa non ab initio filio voluerit, optaverit, cogitaverit, effecerit. Mitto illam[8] primam libidinis injuriam; mitto nefarias generi nuptias; mitto cupiditate matris expulsam ex matrimonio filiam: quæ[9] nondum ad hujusce vitæ periculum, sed ad commune familiæ

5. *Judicibus*. Cur non reservata est? — *Amicis*. Illis, qui priore quæstione adfuerunt.

6. *Quid factum esse*. Quid de servo Nicostrato factum est; quem ex his verbis ab Oppianico, vel potius Sassia e medio sublatum apparet.

7. Male edd. pr. *judicandi*. Frequentissima hæc apud veteres editores confusio. J. V. L.

8. *Mitto illam*. Quum, expulsa filia Cluentia, nupsit genero.

9. *Quæ nondum*. Quæ facta, quamvis pudore Cluentium afficerent, nullum tamen ei mortis periculum intentabant.

dedecus pertinebant. Nihil de alteris Oppianici nuptiis queror: quarum illa quum obsides filios ab eo mortuos accepisset [10], tum denique in familiæ luctum atque in privignorum funus nupsit. Prætereo; quod Aurium Melinum [11], cujus illa quondam socrus, paullo ante uxor fuisset, quum Oppianici esse opera proscriptum occisumque cognosceret, eam sibi domum sedemque conjugii delegit, in qua quotidie superioris viri mortis indicia, et spolia fortunarum videret. Illud primum queror, de illo scelere [12], quod nunc denique patefactum est [13], Fabriciani veneni: quod jam tum recens, suspiciosum ceteris, huic incredibile [14], nunc vero apertum jam omnibus ac manifestum videtur. Non est profecto de illo veneno celata mater; nihil est ab Oppianico sine consilio mulieris cogitatum: quod nisi esset, certe postea, deprehensa re [15], non illa ut ab improbo viro discessisset, sed ut a crudelissimo hoste fugisset, domumque illam in perpetuum, scelere omni affluentem, reliquisset. Non modo id non fecit, sed ab illo tempore nullum locum prætermisit, in quo non instrueret insidias aliquas, ac dies omnes ac noctes tota mente mater de pernicie filii cogitaret. Quæ primum, ut istum confirmaret Oppianicum accusatorem filio suo, donis, muneribus [16], collocatione filiæ, spe hereditatis obstrinxit.

10. *Accepisset*. Quum Oppianici filiorum necem nuptiarum tamquam pignus accepisset.

11. *Melinum*. Cognomen abest ab edd. principibus. J. V. L.

12. *Scelere*. Lambinus reposuit e conjectura, « Illud primum queror, illud scelus ». Eleganter, sed sine auctoritate codicum. J. V. L.

13. *Patefactum est*. Nempe sceleris ejus consciam fuisse matrem, quia, quum appropinquare filii judicium ei nuntiatum est, Larino Romam confestim advolavit, ne aut accusatoribus diligentia, aut pecunia testibus deesset.

14. *Huic incredibile*. Cui ipse Cluentius fidem adhibere non posset.

15. *Deprehensa re*. Cognito ac patefacto scelere.

16. Alii, *donis muliebribus*. J.V. L. — Correxere ex duobus codd. Clericus et Memmius, teste Victorio (Var.

LXVII. Itaque apud ceteros, novis inter propinquos susceptis inimicitiis, sæpe fieri divortia atque affinitatum discidia[1] videmus: hæc mulier satis firmum accusatorem filio suo fore neminem putavit, nisi qui in matrimonium sororem ejus ante duxisset. Ceteri novis affinitatibus adducti, veteres inimicitias sæpe deponunt: illa sibi, ad confirmandas inimicitias, affinitatis conjunctionem pignori fore putavit. Neque in eo solum diligens fuit, ut accusatorem filio suo compararet; sed etiam cogitavit, quibus eum rebus armaret[2]. Hinc enim illæ sollicitationes servorum et minis et promissis; hinc illæ infinitæ[3] crudelissimæque de morte Oppianici quæstiones: quibus finem aliquando non muliebris modus[4], sed amicorum auctoritas fecit. Ab eodem scelere illæ triennio post habitæ Larini quæstiones; ejusdem amentiæ falsæ conscriptiones[5] quæstionum; ex eodem furore etiam illa conscelerata exsectio linguæ[6]; totius denique hujus ab illa est et inventa, et adornata comparatio criminis. Atque his rebus quum instructum accusatorem filio suo Romam ipsa misisset, paullisper, conquirendorum et conducendorum[7] testium causa, Larini est commorata: postea autem, quum appropinquare hujus judicium ei nuntiatum est, confestim

Lectt. XI, 22). Sic etiam editiones 1471, 1480.

LXVII. 1. *Discidia*. Dissolutionem. Sic Lambin. e MSS correxit lectionem *dissidia*, quæ veteres fere editiones obsederat. Olim etiam legebatur « vidimus ».

2. *Armaret*. Accusatorem muniret et instrueret.

3. *Infinitæ*. Quibus vix amicorum et hospitum sententia finem fecit, quæque longe ultra modum fuere prolatæ. — *Crudelissimæ*. In quibus tortor et tormenta defessa sunt.

4. *Non muliebris modus*. Non ea, quæ mulierum peculiaris est, misericordia ac moderatio. Alii habent « mulieris ».

5. *Conscriptiones*. Falsæ illæ interrogationis tabulæ.

6. *Exsectio linguæ*. Stratonis.

7. *Conducendorum*. Qui pretio testes erant corrumpendi et adversus filium adornandi.

huc advolavit[8], ne aut accusatoribus diligentia[9], aut pecunia testibus deesset; aut ne forte mater hoc sibi optatissimum spectaculum hujus sordium atque luctus, et tanti squaloris amitteret.

LXVIII. Jam vero quod iter Romam ejus mulieris fuisse existimatis? quod ego, propter vicinitatem Aquinatium et Venafranorum[1], ex multis audivi et comperi: quos concursus in his oppidis? quantos et virorum et mulierum gemitus esse factos? Mulierem quamdam Larino, atque illam usque a mari[2] supero Romam proficisci, cum magno comitatu et pecunia, quo facilius circumvenire judicio capitis, atque opprimere filium possit[3]. Nemo erat illorum, pæne dicam, quin expiandum[4] illum locum esse arbitraretur, quacumque illa iter fecisset; nemo, quin terram ipsam violari, quæ mater est omnium, vestigiis consceleratæ matris putaret. Itaque nullo in oppido consistendi potestas ei fuit; nemo ex tot hospitibus inventus est, qui non contagionem adspectus[5] fugeret. Nocti se potius ac solitudini, quam ulli aut urbi[6], aut hospiti committebat[7]. Nunc vero quid agat, quid

8. *Advolavit.* Immoderatam Sassiæ cupiditatem opprimendi filii hoc verbo ostendit.

9. *Accusatoribus diligentia.* Ut accusatores in dies inflammaret et confirmaret.

LXVIII. 1. *Venafranorum.* Qui vicini scilicet erant Arpino, Ciceronis patriæ. Gruter. conjiciebat ex Plinio III, 5, et codd. vestigiis « Alfaternorum ». Verum obloquitur Græviús Alfaternos abesse longe ab hoc itinere, longiusque remotam hanc urbem ab Aquino.

2. *A mari supero.* Usque a mari Adriatico, mulier, i. e. ea quæ difficile iter facere potest, advolat.

3. Sic Ernest. ex ed. 1471. Vulgo *posset.* J. V. L.

4. *Expiandum.* Locum similem Polybii adnotat Luisinus, Parerg. III, 7.

5. *Contagionem adspectus.* Sic apud Tacit. Agric. 30, « Oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus ».

6. *Urbi.* Græv. edere maluit e cod. Franc. *ulli aut turbæ.* J. V. L.

7. *Committebat.* Quum videret se ab omnibus vitari, interdiu loca potius solitaria quærebat, ubi cum comitatu subsisteret, noctu autem potius sub dio manebat, quam se urbis celebritati committeret, aut ad hospitem diverteret, apud quem pernoctaret.

moliatur, quid denique quotidie cogitet, quem ignorare nostrum putat? Quos appellarit, quibus pecuniam promiserit, quorum fidem pretio labefactare conata sit, tenemus. Quin etiam nocturna sacrificia, quæ putat occultiora esse, sceleratasque ejus preces, et nefaria vota cognovimus: quibus illa etiam deos immortales de suo scelere testatur[8], neque intelligit, pietate[9], et religione, et justis precibus, deorum mentes, non contaminata superstitione, neque ad scelus perficiendum cæsis hostiis posse placari. Cujus ego furorem atque crudelitatem deos immortales a suis aris atque templis aspernatos esse confido.

LXIX. Vos, judices, quos huic A. Cluentio quosdam alios deos[1] ad omne vitæ tempus fortuna esse voluit, hujus importunitatem matris a filii capite depellite. Multi sæpe in judicando peccata liberum parentum misericordiæ concesserunt[2]: vos, ne hujus honestissime actam vitam matris crudelitati condonetis[3], rogamus: præsertim quum ex altera parte totum municipium videre possitis. Omnes[4] scitote, judices (incredibile dictu est, sed a me verissime dicitur), omnes Larinates, qui valuerunt[5], venisse Romam, ut hunc studio frequentiaque sua, quantum possent, in tanto ejus periculo sublevarent. Pueris

8. *Testatur.* Sui sceleris testes vocat et adhibet.

9. *Pietate.* Neque enim, inquit Cicero pro Domo sua, est ulla erga deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio, quum expeti nihil ab iis quod sit injustum ac inhonestum arbitrere.

LXIX. 1. *Quosdam alios deos.* Qui eum in capitis periculo, tamquam dii, servare possitis, et a quibus, secundum cœli numina salutem suam petit.

2. *Concesserunt.* Nocentes filios absolverunt, quod parentum eorum pietas a filiorum sceleribus repugnaret; misertique patrum natos pœna debita exsolvebant.

3. *Condonetis.* In matris gratiam damnetis, patiamini a matre vexari et condemnari. Cf. infra 70.

4. *Omnes.* Gruterus, *Omneis*, suo more. J. V. L.

5. *Valuerunt.* Qui ætate aut viribus satis fuerunt valentes.

illud, hoc tempore, et mulieribus oppidum scitote esse traditum, idque in præsentia, in communi Italiæ pace, domesticis copiis esse tutum: quos tamen ipsos æque[6], et eos, quos præsentes videtis, hujus exspectatio judicii dies noctesque sollicitat. Non illi vos de unius municipis fortunis arbitrantur, sed de totius municipii statu, dignitate, commodisque omnibus sententias esse laturos. Summa est enim, judices, hominis in communem municipii rem diligentia, in singulos municipes benignitas, in omnes homines justitia et fides. Præterea nobilitatem illam[7] inter suos, locumque à majoribus traditum sic tuetur, ut majorum gravitatem, constantiam, gratiam, liberalitatem assequatur. Itaque iis eum verbis publice laudant, ut non solum testimonium suum judiciumque significent, verum etiam curam animi ac dolorem: quæ dum laudatio recitatur, vos, quæso, qui eam detulistis, assurgite. LAUDATIO CLUENTII, EX DECURIONUM LARINATIUM DECRETO.

Ex lacrymis horum, judices, existimare potestis, omnes hæc decuriones decrevisse lacrymantes[8]. Age vero, vicinorum[9] quantum studium, quam incredibilis benivolentia, quanta cura est? Non illi in libellis laudationum decreta miserunt, sed homines honestissimos, quos nossemus omnes, huc frequentes adesse, et hunc præsentes laudare voluerunt. Adsunt Ferentani[10], homines nobilissimi, Marrucini item pari di-

6. *Ipsos æque.* Mulieres ac pueros.

7. *Nobilitatem illam.* Ad hæc summum in patria gradum obtinet, et nobilitatem quam a patribus habet, his virtutibus servat, ut cum nomine omnes etiam eorum dotes accepisse videatur.

8. *Decrevisse lacrymantes.* Laudationis fidem commendat, et movet affectus, dum rem sub oculos subjicit.

9. *Vicinorum.* Finitimarum urbium.

10. *Ferentani.* Incolæ sunt illius Ferenti, quæ est urbs Apuliæ, Venusinæ civitati vicina. Cf. Hor. Carm. III, 4. Censet autem cum Grævio

gnitate; Teano Apulo[11], atque Luceria equites romanos, honestissimos homines, laudatores videtis. Boviano[12], totoque ex Samnio quum laudationes honestissimæ missæ sunt, tum homines amplissimi nobilissimique venerunt. Jam qui in agro Larinati prædia, qui negotia, qui res pecuarias[13] habent, honesti homines, et summo splendore præditi, difficile dictu est, quam sint solliciti, quam laborent. Non multi[14] mihi ab uno sic diligi videntur, ut hic ab his universis.

LXX. Quam non abesse ab hujus judicio L. Volusienum[1], summo splendore hominem ac virtute præditum, vellem! Quam vellem præsentem posse P. Helvidium Rufum, equitem romanum, omnium ornatissimum, nominare! qui, quum, hujus causa, dies noctesque vigilaret, et quum me hanc causam doceret, in morbum gravem periculosumque incidit: in quo tamen non minus de capite hujus, quam de sua vita laborat. Cn. Tudicii[2] senatoris, viri optimi et honestissimi, per studium et[3] testimonio, et laudatione cognoscetis. Eadem spe, sed majore vere-

Garat. legendum « Frentani », quos memorat Plin. III, 12; quæ regio complectebatur Ortinam, Histonium, Larinum. Reposuit Schütz. — *Marrucini* his vicini sunt, quorum ager pars est Brutii, et urbs præcipua Teate.

11. *Teano Apulo*. Quod sic appellant ut a Teano Sidicino distinguatur. Vid. cap. 9.

12. *Boviano*. Caput fuit Samnitium Pentronum, postea lege Julia colonia facta est. Fuit duplex, vetus ac novum Bovianum.

13. *Res pecuarias*. Qui pecora alendo, pascua conducendo rem augent. De pecuaria re cf. Rosc. Amer. Verr. Olim « res pecuniarias ».

14. *Non multi*. Paucos invenias, qui a fidissimo amico sic diligantur, ut ille ab universis amatur.

LXX. 1. *Volusienum*. Legi mallet « Volusenum » Manutius, quod nonnullæ exscripserunt edd. Verum vulgatam tum manuscripti, tum inscriptio vetus tuetur.

2. *Tudicii*. Alii, *Tudici*. Grævium sequimur. J. V. L.

3. *Et*. Cod. Franc. *in*, quem sequitur Grævius. Alii forte malint *ex*, quemadmodum ipse conjecerat. J. V. L.

cundia[4], de te, P. Volumni, quoniam judex es in A. Cluentium, dicimus. Et, ne longum sit, omnium vicinorum[5] summam esse in hunc benivolentiam, confirmamus.

Horum omnium studium, curam, diligentiam, meumque una laborem, qui totam hanc causam, vetere instituto[6], solus peroravi, vestramque simul, judices, æquitatem et mansuetudinem una mater oppugnat. At quæ mater? quam cæcam crudelitate et scelere ferri videtis; cujus cupiditatem nulla umquam turpitudo retardavit; quæ vitiis animi in deterrimas partes jura hominum convertit omnia; cujus ea stultitia[7] est, ut eam nemo hominem; ea vis, ut nemo feminam; ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit. Atque etiam nomina necessitudinum, non solum naturæ nomen et jura mutavit: uxor generi, noverca filii, filiæ pellex[8]; eo jam denique adducta est, ut sibi, præter formam, nihil ad similitu-

4. *Majore verecundia.* Auctore Quintiliano, IV, 12: « Si judex amicus noster sit, diligenter tractandus est. Est enim nonnumquam pravus hic ambitus judicibus, adversus amicos pronuntiandi pro iis quibuscum simultates gerunt, et faciendi injuste, ne læsisse videantur ».

5. *Vicinorum.* Ex omnibus municipiis.

6. *Vetere instituto.* Institutum vetus quo patrono uni defensio committebatur, ætate Ciceronis sæpius erat immutatum. In eadem causa licebat multos esse accusatores, multos patronos, quibus singulis suæ causæ pars agenda esset. Itaque plerumque uni exordium et narratio, alteri refutatio, tertio peroratio deferebantur; quodque magis mirere, sæpius ex patronis unus illam non audiebat orationis partem quæ ab altero ageretur. Plura vide in Bruto, ubi Cicero in stultum hunc morem invehitur.

7. *Cujus ea stultitia.* Quæ sua insania, humano generi; suo furore muliebri sexui; sua crudelitate, maternæ conditioni renuntiavit.

8. *Filiæ pellex.* Cicero in Oratore, c. 30, postquam Roscianæ orationis juvenilem redundantiam vituperavit, ab hac indole, inquit, jam illa matura: uxor generi, noverca filii, filiæ pellex. Hæc videtur ἀντίθετα desumpsisse Cicero a præclarissimis Œdipi apud Sophoclem versibus, quos a Longino laudatos, pulcherrime noster vertit Bolæus. Ciceronem imitatus videtur Ovidius Metam. VI: « Omnia turbasti; pellex ego facta sorori; Tu geminis conjux, etc. » Idem enim illud omnino est ac Ciceronis locus.

dinem hominis reservarit. Quare, judices, si scelus odistis, prohibete aditum matris a filii sanguine; date parenti hunc incredibilem dolorem ex salute, ex victoria liberum[9]; patimini, matrem, ne orbata filio lætetur, victam potius vestra æquitate discedere. Sin autem, id quod vestra natura postulat[10], pudorem, bonitatem, virtutemque diligitis, levate hunc aliquando supplicem vestrum, judices, tot annos in falsa invidia periculisque versatum; qui nunc primum post illam flammam[11], aliorum facto[12] et cupiditate excitatam, spe vestræ æquitatis erigere animum, et paullum respirare a metu cœpit; cui posita sunt in vobis omnia; quem servatum esse plurimi cupiunt, servare soli vos potestis. Orat vos Avitus, judices, et flens obsecrat, ne se invidiæ, quæ in judiciis valere non debet; ne matri, cujus vota et preces a vestris mentibus repudiare debetis; ne Oppianico, homini nefario, condemnato jam et mortuo, condonetis.

LXXI. Quod si[1] qua calamitas hunc in hoc judicio afflixerit innocentem; næ[2] iste miser, judices, si, id quod difficile factu est, in vita remanebit, sæpe et multum queretur, deprehensum esse illud quondam Fabricianum venenum: quod si tum indicatum non esset, non huic ærumnosissimo[3] venenum illud fuisset, sed multorum medicamentum laborum; postremo

9. *Ex victoria liberum.* Ut injuste oppugnati vincant, non vero opprimantur.

10. *Vestra natura postulat.* Scelus enim odisse magis officii judicum esse; illos vero suapte natura ad pudorem, ceterasque virtutes diligendas ferri significat.

11. *Illam flammam.* Invidiæ, quam tamdiu subiit.

12. *Facto.* Ernest. conjicit legendum *fraude;* Schütz. *errato.* J. V. L.

LXXI. 1. *Quod si.* Dubitanter loquitur, ne quid a judicibus contra leges timere videatur.

2. Lallem. *ne*, scribendi ratione quibusdam usitata. J. V. L.

3. *Huic ærumnosissimo.* In hac sua miseria, non illud ei fuisset malum venenum, sed potius laborum medicamentum, qui eum superstitem manebant.

etiam fortassis mater exsequias illius funeris prosequuta, mortem se filii lugere simulasset. Nunc vero quid erit profectum, nisi ut hujus ex mediis mortis insidiis vita ad luctum reservata; mors sepulcro patris[4] privata esse videatur? Satis diu fuit in[5] miseriis, judices; satis multos annos ex invidia laboravit. Nemo huic tam iniquus, præter parentem, fuit, cujus animum non jam expletum esse putemus. Vos, qui æqui estis omnibus, qui, ut quisque crudelissime oppugnatur, eum lenissime sublevatis, conservate A. Cluentium; restituite incolumem municipio; amicis, vicinis, hospitibus, quorum studia videtis, reddite; vobis in perpetuum liberisque vestris obstringite. Vestrum est hoc, judices, vestræ clementiæ; recte hoc repetitur[6] a vobis, ut virum optimum atque innocentissimum, plurimisque mortalibus[7] carum atque jucundissimum, his aliquando calamitatibus liberetis: ut omnes intelligant, in concionibus[8] esse invidiæ locum, in judiciis veritati.

4. *Sepulcro patris.* Ibit enim in exsilium, neque cum paternis cineribus suos confundet.

5. *In miseriis.* Mœrore confectus ex falsa invidia, matris insidiis obnoxius, etc.

6. *Repetitur.* Ut justum. — *Virum optimum.* Qui se in omni vita honestissimum; in eo, cujus accusatur, crimine innocentissimum præstitit.

7. *Plurimis mortalibus.* A quibus, Cluentio absoluto, gratiam inibitis.

8. *In concionibus.* Posse populares cœtus falsis opinionibus et odio, concitari; judices vero veritate sola duci; nec vulgi opinione inniti.

EXCURSUS
GASPARIS GARATONII
AD CLUENTIANÆ CAPITA 53, 54.

Quod Pithœus ad Coll. LL. Mos. I, 3, verisimile ait esse, judicia de sicariis et veneficiis ex una lege Cornelia diversos judices prætoresque habuisse, id vero certum est. Putabam antea cum Cujacio ad leg. 2, § 32, D. de Orat. Inst. prætorem inter sicarios non modo de parricidiis quæsivisse, quod breviter demonstravi ad arg. pro Amer. latiusque ostendit Ferratius epist. I, 15, verum etiam de veneficiis; unum fuisse hominem Q. Voconium Nasonem, quæstionis judicem ab eo prætore, cui privata vis obvenerit, constitutum : veteri autem illo in hujus Oppianici patrem judicio C. Junium, prætore inter sicarios deficiente, omnibus ejus quæstionibus præfuisse, quum quæstiones, his etiam conjunctis, prætorum numerum superarent : quæ duo erant ex Cujaciana illa opinione consequentia. Nunc vero, ut aliter sentiam, non ea ratione adducor, quod una lege quæstiones duas uni prætori demandari posse non putem; quum ne his quidem separatis, diversoque quæsitori traditis, vitari ea res possit : habet enim veneficium, ex cap. 54, adjunctam quæstionem longe diversam de judicio corrupto. Neque item iis moveor, quæ l. c. Ferratius opponit, Tullium cap. 59, crimina quædam diluere, quæ sint judicii de sicariis, eaque ad veneficii judicium, et Cluentianorum judicum jusjurandum non pertinere, ab Tullio ipso, cap. 60, significari. Nam, ut mittam ea proprie injuriarum delicta esse, *genere ipso levia*, eadem cap. 1 et 60, de crimine judicii corrupti dicuntur, quod tamen ejusdem legis erat, et judicum eorumdem. Postremo quod facile omnem dubitationem auferret, id tutum satis esse non arbitror, Q. Nasonem prætorem veneficii fuisse.

Communis hæc opinio est, quam ad Tullii verba perpendendam huic loco reservavi, ut simul et veneficii quæstio, et sortes ejus anni prætoriæ aliquid a me habeant, quod meam horum Cluentianæ capitum illustrandorum voluntatem testetur, in quibus hæc omnia tanguntur, quæ obscura ex notissimis fieri annis labentibus debuerunt.

II. Non hæ igitur causæ faciunt, ut proprium veneficio prætorem attribuam: sed dum accuratius, quid Tullius velit, inquiro, non omnes ab illo video significari quæstiones, quæcumque a legibus proficiscuntur, sed eas tantummodo, quæ sorte quotannis mandabantur, earumque legitimam sui temporis divisionem. Itaque per nomina non legum, sed prætorum, quæstiones enumerantur. Multæ ambitus leges erant, quæstionesque totidem, quot committi modis ambitus poterat. Una tamen in sortem cadebat quæstio de genere ipso, unus prætor de omnibus ejus generis speciebus judicabat. Aliæ accedebant iis, quæ primæ, ac potiores erant in lege propositæ: aliæ prætorem proprium non habebant, aut singulari lege alterius criminis quæsitori committebantur. Non est itaque dubitandum, quin Cicero veneficii quæstionem iis adscribat, quarum in sortitione nomen exire, certoque prætori obvenire solebat, quum ita loquitur, c. 53: « Hæc quæstio sola ita gubernatur? quid M. Plætorii, et C. Flaminii inter sicarios? » Propterea C. Junius, de quo dicitur cap. 33, « at ipse ea lege quærebat », auctoritatem ab ipsa lege, non a prætore aliquo nactus erat. Imo generatim ubi aliquem, qui prætor non sit, *quæstioni præesse*, ac *lege quærere* conspicimus, judicem quæstionis solum quærentem intelligamus oportet, quæstionem autem a ceteris prætoriis omnino sejunctam, ex earum genere, quæ in sortem cadebant, nisi judicium sit extraordinarium. Ubi enim prætor adest, illi uni hæc omnia, non huic judici conveniunt: ut in causa Verris, licet judex hic non deesset, prætor tamen unus « ei quæstioni præfuturus » dicitur, et *quæsitor* appellatur Act. I, 10, quod quidem nomen tum demum

huic judici competit, quum ipse quæstioni præest, eamque, ut de Cæsare Suetonius ait cap. 11, *exercet*. Hæc ipsa suadet ratio, neque plura in tam certa re adferam. Quædam sunt leges, quæ aliter explicari non possunt, ut leg. 1, D. ad L. Corn. de sic. et ven. quam ad cap. 33 allegavimus, et illa, de qua diximus ad Act. I in Verr. 13. Quocirca illud quoque argumento est, divisas eas fuisse quæstiones, quod cap. 54, Q. Voconius judex quæstionis lege dicatur « quærere de veneno », prætore inter sicarios non deficiente, ut plane non secus ac Junius, cap. 20, *quæsitor* vocatus fuit, hic etiam vocari possit. Hoc autem loco annua quæstio significatur, qualis illa Fannii fuit pro Amer. 4, et Cæsaris de sicariis, ipsiusque veneficii Juniana. Vox enim *quæstio* interdum ad judicium, de quo agitur, tantum pertinet, ut cap. 29, et alibi : quæ res ambiguitatem facit l. c. in Verr. et hic etiam faceret, si ea solum haberemus verba, « qua lege hæc quæstio constituta est ». Ferratium confer ad cap. 29, et notas nostras ad cap. 33.

III. Magnopere vellem, cetera de judice quæstionis esse certiora. Interea hoc teneamus, quod ibi docet Ferratius, nosque firmavimus, hunc judicem prætore tantum deficiente quæsisse : quamvis nimium sane ille deprimat judicem quæstionis ejus, quæ prætorem haberet, dum eum a suo prætore constitutum, et judicasse tantum existimat. Nam is quoque judices, qui consilium constituerent, subsortiebatur : quo in genere nulla erat ipsi quæsitori, qui prætor non esset, major potestas. Vide quæ diximus ad I in Verr. 61. Uno autem modo creatos fuisse omnes, æquum est credere, quum vir doctissimus nullo auctore dissentiat. Si enim prætor in magistratu moreretur, alio non suffecto, quis ad finem anni munus obiret mortui? Etiam si prætor ægrotarit, ab lege quærendi jus habuisse hunc judicem puto : ab lege de sicariis apud Ulp. mox citanda, et de veneficiis hoc ipso cap. 54, ita jubetur quærere hic judex, ut nihil aliud excipi, quam prætoris præsentia, facile videatur. Utar igitur

jure meo, et quæstionis judices quotannis ad quæstionum numerum factos post Sullam existimabo : quorum sex suo quisque prætori subessent, reliqui autem lege ipsi quærerent, neque judicarent, neque in legem jurare solerent. Hæc duo postrema, quum primum illud propugnaret, noluit Ferratius confiteri I, epist. 4 et 15, in quo tum sibi parum constitit, tum a Tullii mente apertissima longe abiit, quam duobus locis, cap. 33, nos exposuimus. Confundunt alii sane munera judicis lege quærentis cum muneribus ceterorum, in his cel. vir Schultingius ad Coll. LL. Mos. I, 3; ex eo tamen excusantur, quod æqualis omnium potestas esset, qua tamen integra et plena uti, nisi prætor deesset, poterat nemo. Quæstiones erant perpetuæ novem, fortasse plures, sed hæ certissimæ : tot ergo quæstionis judices : quos omnes simul creatos nunc denique arbitror, nulla cuiquam quæstione attributa, ut in prætoribus erat mos. Quid est enim, quod nomen quæstionis horum judicum titulis numquam addatur? Cicero in Br. cap. 76 : « Is, quum post curulem ædilitatem judex quæstionis esset, est mortuus ». Sic alibi semper veteres et scriptores, et lapides. Nempe *Judex quæstionis* nomen est honoris ipsius : nomina quæstionum ad divisionem muneris pertinebant. Hinc explicari posse conjicio, cur Octavius Augusti pater Inscr. Grut. CCXXV, 7, IVDEX QVAESTIONVM appelletur. Ita enim verius denotatur homo ad quæstiones generatim judicum princeps electus. Quum autem suam cuique obvenire quæstionem necesse esset, idcirco verbum *quæstionis* adhibebatur ab omnibus. Nam ut erant simul omnes creati, sorte inter eos quæstiones dividebantur, eorumque felicior erat conditio, quibus vacuæ prætore quæstiones obtigerint. Lex Cornelia diserte, « is prætor, judexve quæstionis, cui sorte obvenerit quæstio de sicariis », apud Ulpian. in Coll. LL. Mos. I, 3. Neque aliud, quam Octavii lapis, sibi fortasse vult additio illa, *rerum capitalium*, in hoc singulari Aquileiensi lapide Murat. DCLXXV, 6, C. APPVLEIVS. M. F. TAPPO. PR. AED. TR.

PL. Q. IVDEX. QVAESITIONIS. RERVM. CAPITAL. Vereor enim, ne ad nimiam antiquitatem lapis assurgat, si cum loco Livii nobili compararetur, qui XLV, 16, de A. Torquato prætore anni U. C. 586 scribit: « nequiit ire in provinciam, ad res capitales quærendas SCto retentus ». Judex rebus omnibus capitalibus quærendis paullo saltem posterior esse deberet anno 604, quo prima instituta fuit quæstio perpetua. Neque de triumviro capitali hic est cogitandum, qui, ut alia mittam, suo semper nomine appellatur. Fœdum sane glossema ex Sallustio, Catil. LV, 5, perite sustulit Cortius, quo illi Tresviri dicebantur « judices rerum capitalium ».

IV. De modo, quo hi judices crearentur, comperti nihil habemus. Contendit quidem summo studio Sigonius de Jud. II, 5, magistratus eos fuisse, quod si credi posset, omnis dubitatio tolleretur. Sed is refutatur a Ferratio ad 4 pro Amer. longeque melius ab leg. 1, D. ad L. Corn. de sic. etc. Nihilo tamen minus eruditi cum Schultingio l. c. putant, eos a populo fuisse creatos. Non repugno, ut in incertis. Quo tempore in provincias ibant ipso magistratus anno prætores, ante quæstiones perpetuas institutas, si cui quæstio erat annua demandanda, eum a senatu, vel a populo deligi erat necesse. Egregiam vide Dukeri notam ad Liv. XXXIX, 14. Sed judices quæstionis vix tum credas adhibitos. Exempla sunt consulum, vel duorum, qui Romæ jus dicebant, prætorum: Torquatum denique retentum vidimus. Præterea sæpius, quam postea, ipse populus judicabat. Quæstiones paucæ, atque interdum coacervatæ, vix judici, qui solus quæreret, atque infra prætoriam dignitatem esset, locum relinquebant. An vero in iis talium rerum initiis hos prætoribus adjutores adlectos putabimus? Paullatim quæstiones prætoriæ ac judicia creverunt: quæ res cum incremento reipublicæ conjuncta fuit. Itaque, quum eos gradus considero, quibus et imperium amplificari, et res domi constitui, atque ad formam traduci splendidiorem oportuit, duas esse video probabiles causas, a quibus horum judicum repeti

origo possit. Altera est, quod prætores, antequam iis provinciæ in annum proximum differrentur, si quæstionem haberent, et interea bello ad provinciam subito avocarentur, vicario ad terminanda judicia indigerent: altera, eaque certior, quæstionum est novis legibus multitudo, quæ jam ante Sullam adeo excreverat, ut quatuor prætores non sufficerent. Id non modo legum conspectus ostendit, sed etiam Fannius ille, qui ante Sullam quæstioni de sicariis judex præfuit, *longo intervallo*, ut ait Tullius cap. 5 pro Amer. eidem postea prætor præpositus. Unam enim, aut alteram quæstionem Sulla veteri numero adjecit, quum tamen prætores duos addiderit, ut quæ prætore vacuæ post Sullam quæstiones fuerunt, eædem antea fuerint, necesse sit. Cicero de Nat. Deor. III, 30: « Tum hæc quotidiana, sicæ, venena, peculatus, testamentorum etiam lege nova quæstiones ». Nova lex Sullæ testamentaria et nummaria fuit, quum de sicariis et veneficiis leges jampridem latas ille recoxerit. Judices ergo quæstionis, qui et prætores adjuvarent, et ipsi quærerent, ita sunt antiquiores, ut ex quæstionibus perpetuis videantur exorti. Potuerunt itaque a populo creari: sed etiam, quum leges essent illæ perpetuæ, ex ædilitiis sorte duci, aut ordine post ædilitatem ad munus illud arcessi.

V. His præmissis, quæ magnopere ad Junium et Voconium pertinent, redeo ad quæstionem ipsam de veneficiis. Quum eam proprio usam prætore demonstraverim, quid nunc de Ferratio dicam, qui epist. I, 15, ex hoc Cluentianæ capite 53, satis refelli putat JCtos, unam de sicariis et veneficiis esse Corneliam legem existimantes? Absurdum scilicet, atque inauditum esse, una lege quærere prætores duos: Tullium, qui has divisas fuisse quæstiones doceat, uno tempore diversas fuisse leges ostendere: parricidia, quæ lege de sicariis continerentur, alium prætorem non habuisse. Imo suum poterat vir peracutus argumentum, quod haud sane leve est, ex ipso Ulpiano firmare, qui l. 3, D. de bon. damn. hæc habet: « Quinque legibus damnatæ mulieri dos publi-

catur, majestatis, vis publicæ, parricidii (de quo erat lex peculiaris Pompeia), veneficii, de sicariis ». Verum et hic judicia, quæ lege fiebant, facile possunt intelligi, et loci ambigui ad communem JCtorum sententiam revocari, quam certiorem hactenus existimavi, ut vidit Gothofredus in ejus generis loco C. Theod. IX, 19, leg. 4. Is vero, aliique inscriptionibus permovebantur, quas veteres juris libri complures titulis indiderunt, « ad legem Corneliam de sicariis et veneficiis ». Sed majus est in Marciani auctoritate momentum, qui lib. XIV Institutionum aperte, tamquam ex una lege, non ea solum refert, quæ ad quæstionem inter sicarios pertinent, verum hæc quoque omnia de veneficiis, et judicio corrupto, quæ lege, unde in Cluentium erat judicium, continebantur : ita ut « capite quinto legis Corneliæ de sic. et ven. » de veneno demum agi sit cœptum, quum id caput, quod § 3, ex Ulp. citavimus, primum in lege fuerit. Nota sunt Marciani verba ex leg. 1 et 3, D. h. tit. Quis autem quatuor legis priora capita sicariis, incendiariis, et parricidis negaverit suffecisse? Marciano fidem adstruit Julius Paulus V, sentent. 23, § 1 et 10. Hæc attuli, ut appareret, quam justas unius agnoscendæ legis plerique doctorum causas habuerint. Quos quidem sequutum esse me, nondum pœnitet. Tulliano loco non magis moveor, quam acerrimi vir judicii Pithœus : qui, dum illum l. c. recitat, unam legem, duosque prætores simul putat posse consistere. Durum est enim Marciano finem denegare, qui cum Tullio tam facile conciliatur. Affinia esse cædis ac veneficii crimina, nemo inficiabitur. Quare una lege conjungi non potuerunt, quum alia longe magis dissita conjungantur? Ferratius cum Gruchio, aliisque plurimis non veretur, legem de falso huic ipsi de veneficiis adnectere : qua de re infra dicam. Sed nullus erat, inquit, falsi peculiaris prætor : unus de veneno, de judicio corrupto, ac de falso quærebat. Sic vero quot uni prætori negotia, et quam diversa mandantur!

VI. Quamquam his ego non utor, quum aliam fuisse legem

de falso putem, animadvertendum tamen arbitror, quæstionem de veneno ad Sullam pervenisse jam veterem, ac negotiosam. Quoties ante VII Romæ seculum ea fuerit in annum constituta quæstio, notum ex Livio est. Perpetuam porro ante Sullam fuisse, recte ipse deduxit Ferratius ex cap. 32 pro Amer. cui locum de N. D. § 4, recitatum licet addere. Lex ergo erat ei crimini nominatim opposita, propriusque quæsitor adscriptus : quod frequentia veneficiorum postulabat, si conjecturam ex eo capere non absurde videamur, quod Livius, XL, 43, de C. Mænio præt. narrat, qui quum de veneficiis in Italia, qua iter in Sardiniam erat, quæreret, senatui scripsit, « se jam tria millia hominum damnasse, et crescere sibi quæstionem indiciis : aut eam sibi esse deserendam, aut provinciam dimittendam ». Jam vero, quum quæstionem hanc Sulla et proprio prætori attributam, et satis copiosam invenerit, ratio facile apparet, cur eam statu movere noluerit, licet alteram quoque non minus vetustam, et amplam inter sicarios quæstionem una lege comprehenderet, tum compendii causa, quoniam leges permultas brevi tempore unus ferebat, tum criminum affinitate permotus. Malo itaque Ferratii argumentum infirmari auctoritate Marciani, quam hunc esse falsum. Neque sane video, cur duo prætores diversis antea legibus quærere jussi, posteaquam in unam hæ coaluerint, quæstionibus non commixtis, eodem jure manere non debuerint; aut cur dictator P. R. legumque veterum restitutor, novarum auctor, si unam ex duabus legibus facere voluit, quæstiones ex iis ortas ita, ut erant antea, plane divisas relinquere non potuerit. In quæstionibus mandandis non tam leges, quam crimina spectari oportuit, a quibus ipsæ quæstiones nominabantur, ut de ambitu, § 2, dicebam. Non quid una lege Sulla conjunxerit, sed quid de veneficiis constituerit, spectandum est. Quis enim non videt, id hac in re caput esse, quod unicuique prætori omnes leges tribuerint, imperarint, adjecerint : ut vel ex pluribus legibus, vel ex una omnium

postrema judicare debuerint, jus autem quærendi ab ea repetere, qua primum instituta fuit quæstio, iisque mandata? Sic prætor, qui de repetundis lege Cornelia quæreret, habebat quærendi jus a Calpurnia : qui de sicariis alia Cornelia, jus illud a lege antiquiori repetebat, quod ipsa indicant Sullæ verba, § 3, relata : qui de veneficiis eadem lege, jus habebat item a propria hujus criminis priore lege, quam quidem Sylvius ad cap. 54, Ferratius et Schultingius ad Paulum, Sent. V, 23, § 1, censent fuisse Semproniam, VII. Id vero Cicero nusquam dicit; ut rectius profecto eam legem Sigonius de Jud. II, 31, incertam crediderit, et Cl. Ernestus in Ind. LL. unam illam C. Graccho tribuerit, « ne quis judicio circumveniretur », de qua Tullius, capite 55 : « Hanc ipsam legem, NE, QUIS, etc. C. Gracchus tulit. Postea L. Sulla, quum ejus rei quæstionem hac ipsa lege constitueret, qua vos hoc tempore judicatis, etc. » Et cap. 56, de illa tantum lege judicii corrupti hæc habet : « Illi non hoc recusabant, ea ne lege accusarentur, qua nunc Avitus accusatur, quæ tunc erat Sempronia, nunc est Cornelia : intelligebant enim ea lege equestrem ordinem non teneri ». Ex his primum observo, legem appellari posse partem legis : quæ res lucem quibusdam loquendi modis affert et apud Tullium in hac oratione obviis, et apud juris auctores, veluti apud Ulpian. l. c. § 5, ne legem Corneliam de veneficiis alia, quam prætoriæ quæstionis, ratione separatim prodi statim credamus, diversæque legi quæstionem inter sicarios adjudicemus. Deinde Tullium ita reticere puto, an ea Gracchi lex ad veneficia quoque pertinuerit, ut non pertinuisse sit probabilius. Postremo quod ait, *quum ejus rei*, h. e. judicii corrupti, *quæstionem constitueret*, id eone sensu est accipiendum, quo Pomponius de Orat. Inst. l. c. scribit, « Sulla quæstiones publicas constituit? » Neque enim *constituere* semper valet primum instituere : neque verbi causa « Triumviri reip. constituendæ » novam remp. condere debuissent. Cicero pro Milone, in quem extra ordinem quæ-

rebatur, cap. 5, « ut nova quæstio constitueretur ». Quamobrem non erat sane opus, ut Ferratius de Pomponii loco tam multa dissereret, quum nihil aliud ille voluerit, nisi quod Sullam fecisse quivis historiæ non expers intelligebat. Idem verbum alibi quoque viros doctos fefellit, veluti P. Victorium, qui de Areopagi institutione Tullium ab Aristotele dissentire putabat, quum optime hi concilientur, observante Rob. Titio loc. controv. VII, 19, si *constitui* res jam institutæ possunt, ex ea, quæ Pomponio convenit, haud recondita verbi significatione. Gracchi autem lege vel populum ferre judicem oportebat; vel prætorem, quem commodum esset, ut in multarum petitione factum docet Tullius in Verr. I, 60, et hac orat. c. 33, 34, si eos locos attente conferas : ne nihil plane actum ab Sulla putemus. Sed, quum omnino quid egerit, obscurum sit, rem in medio relinquo.

VIII. Duabus, quæ Cluentianam interpretanti videbantur impositæ, defunctus partibus, ad tertiam, mea quidem sententia, difficiliorem accedo. Atque adeo, quum de quæstionum judicibus, ac de veneficii legibus quid simile veri esset inquirebamus, duces in incerta via summos habebamus viros : nunc autem soli relinquimur. Neminem vidi de quæsitore Cluentiani judicii accurate tractantem : neque ipse sat scio, quid commentando profecerim. Tullius c. 53, quum ait, « Quid est, Q. Naso, etc. » hunc hominem judicio præfuisse declarat : tum cap. 54, ita idem loquitur : « Jubet lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est, judicem quæstionis, hoc est, Q. Voconium, cum iis judicibus, qui ei obvenerint (vos appellat, judices), quærere de veneno ». Ne hic nominibus eruditorum recitandis obtundam, verbo dicam, censere quosdam, unum utroque loco appellari virum, Q. Voconinm Nasonem prætorem : reliquis duos fuisse videri, alterum prætorem, Q. Nasonem, alterum quæstionis judicem, Q. Voconium. Falluntur sane illi, dum eum, quem in prætoribus numerant, *judicem quæstionis* aut vocari

non vident, aut vocari potuisse contendunt. Itaque altera vulgo sententia præfertur : quæ tamen haud minus absurda est. Hoccine sit credibile, Nasone prætore veneficii præsente, Voconium quæstionis judicem lege quæsisse? Repete, quæso, quæ § 2 diximus. Nihil certius, quam prætorium fuisse munus, *lege quærere*, illudque tunc solum, quum prætor deficeret, ad quæstionis judicem pertinuisse. Quod si ambobus ea simul res conveniret, certe tamen neque duos pari potestate quæsitores liceret fingere, neque lex, atque inde Tullius, prætoris adjutorem nominasset, ipso prætore contempto. Nam quod Sigonius de Jud. II, 31, *judicem quæstionis* pro quocumque quæsitore, sive is prætor sit, sive non, in lege usurpari putat, atque id singulare arbitratur esse, tam est profecto singulare, ut credi nullo modo possit. Ab legibus verborum est potius redundantia exspectanda, quam parsimonia : tantum abest, ut duos longe diversos homines uno designent nomine, idque a minori, qui ne magistratus quidem erat, desumant nomen. Eritne aliquis, cui probari possit, prætoris vicario mandatam fuisse quæstionem, in ejusque nomine ipsum contineri prætorem? Sed hæsit vir magnus in his Tulliani difficilis loci laqueis : qui, quum II de Jud. 4, 5, Nasonem prætorem, et Voconium judicem quæstionis fecisset, cap. 31, Q. Nasonem quæstionis judicem Cluentiano judicio existimat præfuisse.

IX. Jam vero quum § 5 et 6 statuerim, unam fuisse Corneliam legem de sicariis, et veneficiis, sed quæstiones nihilominus fuisse duas, § 2, quum, quid fuerint quæstionis judices, exposuerim, eosque lege quæsisse, judiciisque præfuisse in iis quæstionibus observarim, quæ post sortitionem prætorum vacuæ remansissent, § 2, 3, 4, erit nunc pretium operæ caput hoc ejus legis quintum de veneno ab Tullio relatum cum primo de sicariis agente conferre. Cavetur itaque capite primo, « ut is prætor, judexve quæstionis, cui sorte obvenerit quæstio de sicariis, ejus, quod in urbe Roma propius mille passus factum sit, ut quærat cum judicibus,

qui ei ex lege sorte obvenerint, de capite ejus, qui, etc.» An potest esse dubium, quin capite legis quinto (idem valet, etiamsi alia lex fuerit) illa item haberentur verba «prætor, judexve quæstionis?» Nonne Tullium patet, quæ necessaria non erant, omisisse? Nam in veneficii etiam quæstione illa erat passuum circa Urbem definitio satis vetusta, ut ex Livio, XI, 44, cognoscitur. An vero alia prætoris omittendi ratio esse potuit, quam quod illo anno quæstio de veneficiis non prætori, sed judici quæstionis obvenerit? Sequitur ergo, Q. Nasonem veneficii prætorem non fuisse. Atque ut ex his difficultatibus nos expediremus, sane commodum esset existimare, unum ab Tullio, eumdemque utroque nominari loco, Q. Voconium Nasonem, cumque judicem quæstionis veneficii quæstioni, quæ prætorum nemini obtigerit, præfuisse. Neque mirandum est, si homo idem, cap. 53, Q. *Naso*, et cap. 54, Q. *Voconius* appellatur, quum etiam C. Julium Cæsarem Tullius de prov. Cons. 16, primum appellet C. *Julium*, paullo autem post C. *Cæsarem*. Infirma etiam est objectio Glandorpii, nullos in gente Voconia Nasones reperiri: hoc enim satis ridicule statuitur ex eo, quod in perpaucis Voconiorum, qui exstant, nummis, aliisve monumentis nulla supersit Nasonum memoria. Ego certe unum hic hominem agnovi, et olim, quum in ea essem opinione, quam § 1 exposui, et postea, quum scriberem ad Act. I in Verr. 13, putaremque veneficii quæstionem sic a ceteris omnibus separari, ut ne prætori quidem umquam, sed semper quæstionis judici mandaretur. Nunc denique, quum binas illas sententias meas ipse refutaverim, atque adeo quum præturæ Nasoni confirmandæ argumenta detexerim, facere non possum, quin lubens eo relabar, duosque hic nominari vix putem. Certum enim plane censeo, non minus Q. Voconium, quam antea C. Junium, quæstioni prætore carenti præfuisse, ut si Q. Naso diversus, isque prætor fuerit, alia sit illi sors, quam veneficii, quærenda.

X. Annus erat Urbis 687, quo tempore prætores octo

creabantur, ut vidit olim Corradus, latiusque docuit Manutius ad epist. ad Q. Fr. II, 1, Lipsio ad Tacit. Ann. I, 14, Exc. D. et omnibus nunc approbantibus. Habemus omnium ejus anni prætorum nomina, si Q. Nasonem in his numeramus : sex ab ipso Tullio, cap. 53; P. Cassium, qui de majestate quærebat, ex Asconio in arg. Cornel. et C. Antonium ex fragm. orat. in toga cand. et de pet. Cons. cap. 2. Verum, si veneficii quæstio Nasoni pr. tribuatur, unus ex omnibus C. Antonius quæstione carebit, quum tamen duo videantur a quæstionibus removendi, ut alteri urbana jurisdictio, alteri peregrina tradatur. Rem hanc Pigh. reliquit intactam, ejus difficultate fortasse perspecta, qua non adeo torqueremur, si vixisset ille diutius. Nunc in ejus postumis ad an. 686, prætores tantum cum Tullio designatos enumerari videmus, nihil præterea. Nasonem utique in his collocat : de cujus prætura quæstioneque quum nemo dubitaverit, nodum illum ita solvere Manutius l. c. conabatur, ut diceret, Ciceronem, qui de repetundis quærebat, etiam inter cives et peregrinos jus dicere debuisse. Sed perperam id ex Asconio collegit : mirorque Rupertum ad Pomp. Enchr. II, 18, idem proponere, quum vere jam Hottomannus ostenderit, M. Lucullum prætorem peregrinum de injuriis, non de repetundis, inter C. Antonium, Achæosque cognosse, quem jure sequitur Mylius Theophili Reitziani pag. 1088, et Conradus parerg. I, 1, § 19. Apud Asconium in fragm. cit. omnia judicio privato conveniunt : quo minus etiam sit mirum, si damnationem Antonius tribunorum appellatione declinarit, juratus « in sua civitate, se cum peregrino æquo judicio certare non posse ». Cic. ib. et Ascon. et Quintus de pet. Cons. d. cap. 2. Ridicula pejeratio, qua certe abstinuisset Antonius, nisi lex tribunitia Sullæ, quæ M. Lucullo prætore, h. e. anno 677, vigebat, jusjurandum illud, ut intercedere tribuni possent, necessarium fecisset. Quæ res maxime ad *auxilium* pertinet, cujus causa constituti tribuni dicuntur pro Quint. 20, quodque ut ferrent, iis L. Sulla

reliquit ex III de Leg. 9. Hoc rectè jam Pighius statuebat ad an. 672, nullo quidem citato auctore, sed ex his, opinor, locis, quem vir summus Ernestus in Ind. LL. plane forsitan esset sequutus, si hæc in mentem venissent. Ipsum porro consule; atque ad hanc κρίσιν exige, quæ habet Ferratius ad I in Verr. 60.

XI. Idem Ferratius, epist. I, 7, P. Cassium de prætorum numero expungit, et quum *prætor* ab Asconio ille appelletur, emendat *quæsitor*, ut id verbum pro judice quæstionis possit accipere. Sed nemini hæc audacia probabitur. Si quid esset mutandum, id unum hominis prænomen esset, ut L. Cassium Longinum anno suo prætorem haberemus, qui cum Tullio petiit consulatum. At nihil movere præstat: neque piaculum est, prætorem unum, qui quæstioni præfuerit, hoc loco præteriri. « Quid reliquæ quæstiones? » ait Cicero. Tacet itaque tum de hac majestatis quæstione, quam P. Cassius prætor exercebat, tum de aliis saltem duabus, quibus anno illo judices quæstionum præerant. Harum porro altera de civitate romana est, quam Ferratius numeravit; altera de falso, quam, ut § 5 diximus, neque ille, neque alii complures disjungunt a ceteris. Verum tantam quæstionem in adjectitiis collocari debere, Sullamque alienis legibus, atque veteribus hanc novam suam testamentariam immiscuisse non arbitror. Quum autem videam duos ab illo prætores adjectos fuisse, et judicibus quæstionum nihilominus locum quærendi relictum, facile adducor, ut putem, duas etiam quæstiones L. Sullam prætoriis sortibus addidisse : quarum quidem haberemus nullam, si unus prætor de veneno, de judicio corrupto, et de falso quæsiverit. Non disputo, an sit in duas quæstio de falso secanda, ut altera ad res scriptas, ad monetam altera pertinuerit, prætorumque alter lege testamentaria, alter nummaria fuerit jussus quærere. Ne illud quidem, an alia, et quænam fuerit reliqua quæstio. Unum dico, hanc de falso quæstionem proprio prætori assignandam videri, ut dixi § 4, 5. Peculiaris est

titulus in Pandectis, XLVIII, 10: « de L. Cornelia de falsis », quo etiam de falsis nummis agitur. Hæc autem dividunt Theodosii, et Justiniani codices : addunt enim ei titulo alterum *de falsa moneta*. Sed etiam ipsi legi Corneliæ testamentariæ multa SCtis, et principum constitutionibus adjecta fuisse constat, ut recte animadvertit Schultingius ad Pauli Sentent. IV, 7, § 1. Eum vide quoque ad eumd. V, 25, § 2, et ipsum, quod citat, Ulpiani fragmentum in Coll. LL. Mos. VIII, 7. Ex his enim facile colligitur, quæ habet ibi Paulus, et Marcianus leg. 1, D. eod. de judicio corrupto, quæque legis Semproniæ jussis veneficii quæstioni per Sullam colligatis similia sunt, ea talibus additamentis accepta esse ferenda, nullumque plane argumentum præbere, quo legem, quæstionemve de falso junctam, et additam veneficiis existimemus. Sigonius de Jud. II, 32, multa præteriit, pauca dixit ambigue : locum Tullii in Verr. I, 42, ab altero, quem ipse recitat, de N. D. III, 30, ita explicari non vidit, ut ex utroque falsarios primum lege Sullæ coercitos intelligamus, publica quæstione instituta : tamen legem hanc a ceteris videtur separasse, ut certe quæstionem ibid. II, 4, separaverat. Quæstiones igitur novem sorti committebantur, ut § 3 statuimus : nam de vi publica alterum inter sicarios prætorem quæsisse docuit præclare Ferratius ad cap. 53; neque Sigonio, sententiæque assentior ferme communi, quæ infrequentem parricidii quæstionem ei prætori tribuit, ab Sulla cum altera de privata cæde conjunctam, quam verisimile non est separatam lege Pompeia fuisse.

XII. Hæc nos eo ducunt, ut quæstionum causa jurisdictionem urbanam cum peregrina conjungi, ambasque uni Antonio obvenire non potuisse credamus. Nam et ea res tunc esse perpetua debuisset, et nihil intererat, duæne quæstiones, an tres prætore carerent. Verumtamem hæc erat nodi solvendi ratio longe probabilior, licet nemini, quod sciam, in mentem venerit. Exempla quidem Liviana de conjunctis jurisdictionibus, quæ Mylius ad Theophil. pag. 1089, alii-

que congesta exhibent, nihil moror. Pertinent enim ad ea tempora, quibus et prætorum paucitas, et provinciæ in ipsa prætura gubernandæ id postulabant. Idem dicito de quæstionibus tum inter se, tum etiam cum urbana, aut peregrina sorte conjunctis: quam rem ad Tullii ævum male transfert Sigonius de Jud. II, 4, eaque ad hanc, qua de agimus, difficultatem tollendam utitur. Ei miror credidisse Conradum parerg. I, 1, § 19, et alios, quasi quod volebat Sigonius demonstraverit, quum tamen omnia, quæ in hanc rem adfert, facile refutentur: quod Sigoniana cum nostris conferenti patebit. Sed unum exstat exemplum, quod utramque jurisdictionem Antonio videatur asserere. Nam in celebri SCto græce converso Q. Catulo et M. Lepido coss. ann. 675, L. Cornelius Sisenna prætor dicitur κατὰ πόλιν, καὶ ἐπὶ τῶν ξένων: quod Fulvius Ursinus æneæ illius tabulæ dominus, et alii vertebant, « inter cives, et peregrinos », verum Sigonius de Jur. Prov. I, 1, « urbanus, et peregrinus », eoque veluti singulari, maximeque notando conjunctarum post Sullam jurisdictionum exemplo usus est l. c. de Jud. et I, 7; neque sibi contradixit, ut Reitzius putavit, qui Exc. IX ad Theoph. de Sisenna egit nuperrime, versionemque Sigonii probavit, ut antea Conradus l. c. § 6, quam ipsa græca verba suadent, ac Tullius, qui pro Corn. aperte docet prætorem urbanum fuisse Sisennam. Ipse profecto Reitzius favet nolens Ursino, dum præturam Sisennæ duplicem comminiscitur: ita enim prior peregrina esse potuit, altera urbana, ut illam ambigue Græci notarint, hanc Tullius intellexerit. Conjecturæ fundus est Dion, a quo τῆς Ἑλλάδος ἄρχων piratici belli tempore, XIII post præturam annis L. Sisenna commemoratur. Sed neque necessario consequitur ex eo, quod tanto intervallo Græciæ præfuerit, illum alteram gessisse præturam: neque, si conjiciendum est, arbitror quidquam esse verisimilius, quam Sisennam legatum existimare Pompeii prætorium, ejusque nomen Appiano restituere, apud quem, pag. 393, ed. Toll. Græciæ præpositus a Pompeio di-

citur Λεύκιος Σίννας. Vertitur, L. *Cinna :* quid si legendum sit potius Σισίννας? De Sisenna igitur non inficiabor; sed contendam, non esse ad Antonium hoc temere transferendum. Quum enim post Sullam ordinaria fuerit jurisdictionum divisio, quod multa, et nota docent exempla, quum quæstionibus prætore carentibus quæsitores legitimi non deessent, quum denique omnibus prætoribus simul cum rep. negotia creverint; rationi est consentaneum, non more, sed casu aliquo id in Sisenna factum censere, eumque talem fuisse casum, qui minime Antonii anno conveniat. Quo quidem anno fuisset urbana sors, et peregrina conjuncta, ut septem quæstiones contra morem prætoribus mandarentur. Res ergo causa careret: at contra magnæ, gravissimæque sunt causæ § 8 et 9, a nobis expositæ, quæ Nasonem vel judicem quæstionis fuisse suadeant, vel prætorem quidem, sed sine quæstione.

XIII. Essent sane omnia planiora, si unum ex octo ejus anni prætoribus ignorare liceret, eique, atque Antonio jurisdictiones tradere: ut is verbi causa P. Sulpicius Galba fuisse conjiceretur, qui sequenti anno cum Tullio consulatum, omissa provincia, petere cœperit, ex I ad Attic. 1. Sed Q. Nasonis præturam in alium annum conjicere ferme vetat ipse Cicero pro Flacco, cap. 21 : « Petit Heraclides a C. Plotio senatore, viro primario, qui legatus in Asia fuerat, mancipia quædam.... Q. Naso, vir ornatissimus, qui prætor fuerat, judex sumitur ». Difficile est non credere, eumdem hic nominari Nasonem, qui in Cluentiana, eidemque Asiam obvenisse provinciam. Atqui, si hæc ita sunt, prætorem illum Romæ anno 687 cum Tullio fuisse, necesse est. Id quum docuero, simul Pighium, qui prætores Asiæ per eos annos parum accurate quæsivit, suppletum habebimus. Quo tempore Q. Naso judex est sumptus? « Quum jam frater meus Flacco successisset », inquit ibi Tullius. Flaccus porro in Asiam iverat ex prætura, quam Cicerone consule gesserat, ut notum est. Ante L. Flaccum duos alios Asiæ præ-

tores habemus ex ead. orat. cap. 31, 32 : « P. Orbius, homo et prudens, et innocens, contra te omnia decrevit. In P. Globulum, meum necessarium, fuisti gratiosior ». Statim Flaccus nominatur, ut hunc appareat Globulo successisse. Ergo præfuit Asiæ Globulus anno 690, Cicerone et Antonio coss. qui si fuit ille P. Servilius Globulus trib. plebis anno 686, ab Asconio in Argum. Cornel. nominatus, præturam, interversa ædilitate, obtinuit, quam certe gessit anno 689, L. Cæsare ac C. Figulo coss. quo anno P. Orbius Asiam regebat. Quamobrem unus Q. Nasoni Asiæ administrandæ annus relinquitur 688, quo P. Orbius Romæ prætor erat, ac proinde hoc ipso anno 687, Naso præturam cum Tullio gerebat. Neque enim licet illam ante hunc annum retrahere, ne temere virum prætorium et imperio provinciali functum quæstionis judicem constituamus, quod munus ab inscriptionibus, et auctoribus antiquis semper tribuitur ædilitiis.

XIV. Nullum igitur ex his datur effugium? Semita est in conjecturis quædam, sed ea mehercule lubrica. Quid enim? Duosne licebit Q. Nasones, alterum ex Voconiis, alterum ex alia gente confingere? An vero hunc nostrum Asiæ præfuisse negabimus? Notandum est potius, apud Tullium inter Orbii mentionem et Globuli, asteriscum collocari. Nihil quidem deesse videtur : quid tamen, si Q. Naso ibi medius inter eos Asiæ prætor exstiterit? Tunc sane pateret, hunc potuisse judicem quæstionis in Cluentium quærere, sequenti anno præturam gerere, tertio denique Asiæ præesse : Orbium autem vel cum Tullio prætorem fuisse, cui juris dicundi sors obtigerit, vel etiam ante Tullium, ita ut ann. 687 jam esset in Asia, eique anno proximo nemo successerit, quandoquidem Cicero, et Aquillius, atque adeo, ut videtur, Antonius, ire in provinciam noluerunt. Confer cit. ep. 1 ad Att. Hæc ego proferre non essem ausus, nisi maximum inesse pondus iis rationibus existimarem, quæ unum fuisse hominem Q. Voconium Nasonem, eumque judicem veneficii quæstionis prætore carentis, ut ostendi, postulant,

planeque suadent. Si quis pondus illis vere detraxerit, inibit a memetipso gratiam. Interea, si est omnino Q. Naso in prætura Ciceroni collega dandus, nullo modo conciliare ista possum, nisi probabile sit, Nasonem prætorem urbanum fuisse. Hoc jampridem Sigonius de Jud. II, 4, fere conjecerat, sed inanissimis argumentis. Nihil enim falsius, quam C. Verrem cum urbana sorte alteram veneficii habuisse conjunctam : neque demonstrari potest, eo tempore binas jurisdictiones simul cum quæstionibus fuisse mandatas. Quæ licet vera essent omnia, tamen nihilo magis Q. Naso, quam alius quispiam ejus anni prætor, in jure dicundo versari potuisset, atque in illum nihilo minus ea valerent, quæ § 8 et 9 exposuimus. In hoc autem mea conjectura ab Sigoniana differt, quod ille Nasoni et Antonio jurisdictiones ita dat, ut quæ cujusque fuerit, non definiat, ego nominatim urbanam Nasoni tribuo : et quod ille quæstionem utrique adjicit, ego vero nemini. Nisi enim aliter componi res possit, cogor eo descendere, ut putem, Q. Voconium de veneno lege quæsisse, quum nullus ejus rei prætor esset, plane ut antea C. Junius, quoniam id certum videtur : sed nominari simul Q. Nasonem præt. urb. digniore loco sedentem, ac judices coercentem, quod is prætor non modo judices sortiri deberet omnibus in quæstionibus, quas judex tantum exerceret, ex Act. I in Verr. 13, verum etiam judicio adesse posset, si ei videretur. Ita nemo mirabitur, si judex quæstionis lege jubetur quærere, quod vacua illi veneficii quæstio remanserit, quum tamen prætori urbano, cujus erat maxima dignitas, cederet, quod attinet ad imperium, atque honorem : neque si actum voluntarium Verres omiserit, Naso autem obiverit.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO PRIMA

DE LEGE AGRARIA

IN SENATU

ARGUMENTUM.

P. Servilius Rullus tribunus plebis quum an. U. C. 689, IV id. dec. magistratum iniisset, legem agrariam promulgavit plus quam XL capita complexam (de leg. Agrar. III, cap. 2). Præcipua autem, quorum Cicero mentionem fecit, fuerunt ista : 1° ut tribunus plebis, qui eam legem tulerit per XVII tribus decemviros creet agris dividundis, ut quem novem tribus fecerint, is decemvir sit; 2° ut iidem eodem modo creentur, quo comitiis pontifices maximi; scilicet pontifex max. item non ab omnibus tribubus, sed tantum a septemdecim sorte ductis creabatur; 3° ut lege curiata decemviri ornentur; h. e. ut iis in comitiis curiatis tribuatur imperium militare, et quæ ad illud gerendum necessaria sint, assignentur (quod genus erant apparitores, scribæ, præcones, muli, tabernacula); utque eam legem prætor ferat, qui primus prætor factus sit; sin is ferre non possit, qui postremus; sin autem legem neque primus prætor, neque postremus tulerit, ut si forte intercessione tribunus, aut magistratus alius auspiciis comitia impedierit, ut decemviri tamen eodem jure sint, quam qui optima lege; 4° ut, auspicii coloniarum deducendarum causa, pullarios habeant (qui ex pullis gallinaceis, qui in cavea alebantur, jubente imperatore, vel eo qui cum potestate erat, auspicium captabant), eodem jure quo habuerint tresviri lege Sempronia (scilicet agraria Tib. Gracchi, quæ tamen non est perlata, ne quis agri plus quam D jugera possideret, et ut tresviri crearentur qui agros plebi dividerent, quos quis ultra istum numerum possideret); 5° ut liceat eis vendere omnia de quibus vendendis SCta facta sint M. Tullio Decula, Cn. Cornelio Dolabella coss. (an. U. C. 672), quique agri, quæ loca, quæ ædificia, aliudve quid extra Italiam, quod publicum populi romani factum sit L. Cornelio Sulla, Q. Pompeio Rufo coss. (an. U. C. 665), aut postea; 6° ut liceat eis vectigalia in lege nominata, omnesque agros publicos extra Italiam vendere, aut iis vectigal imponere, cum hac tamen exceptione, ne vectigal imponatur agro in Sicilia Recentorico, neve ii agri vendantur, de quibus fœdere cautum sit, et ut cognitio decemvirum

sit, qui publici agri, qui privati; 7° ut quod ad quemque pervenit, pervenerit ex præda, ex manubiis, ex auro coronario (quod imperatoribus dari solebat ad coronam auream triumphalem, si triumphus iis esset decretus), quod neque consumptum in monumento, neque in ærarium relatum sit, id quicumque ex provincia decesserit, uno Pompeio excepto, apud decemviros profiteatur; 8° ut quam pecuniam decemviri coegerint, ea pecunia agros, quo plebes deducatur ab iis, qui vendere voluerint, emant, ab invitis nihil tangant; eos autem agros in Italia emant, qui arari et coli possint, et ut quæ in municipia, quasque in colonias velint, colonos quos velint, deducant, iisque agros assignent quibus in locis velint, et ut Capuam in coloniam deducant quinque colonorum millia, iisque et agrum Campanum, et Stellatem agrum dividant. Denique 9° capite legis quadragesimo, ut quæ post C. Marium, Cn. Papirium Carbonem consules ædificia, agri, lacus, stagna, loca, possessiones publice data, assignata, vendita concessa sint, ea omnia eo jure sint, ut quæ optimo jure privati possideant.

Hanc igitur legem Cicero consulatum aggressus kalend. jan. (Gell. Noct. Att. XIII, 24), an. U. C. 690, in senatu dissuasit, quo primum die magistratum iniit; eamque orationem habuit quæ prima contra Rullum inscribitur. Verum illa ad nos trunca et mutila pervenit; duobus prioribus foliis olim a codice, e quo recentiores fluxerunt, abscissis. Quod jam monuerat in Palatino primo adscriptum Gruterus, hoc nunc omnino confirmant doctissimi Angeli Maii in Ambrosia bibliotheca disquisitiones, qui (Cic. orat. fragm. pag. 236) hæc ipsa legi ad MS C. 96 testatur: « In quodam antiquo codice desunt in principio duo folia; quare hoc non est principium orationis».

In ea parte quæ superest, primum Cicero ostendit iniquum esse regnum Ægypti decemviris tradi, etsi dicant, post consules Sullam et Pompeium, hoc regnum regis Ptolemæi Alexandri III testamento populi romani esse factum. Deinde reprehendit Rullum quod lege sua vectigalia, et auctionem publicorum bonorum proscribat; quod silvam Scantiam, Italiæ et Siciliæ possessiones vendere velit; quod jubeat venire agros Attalensium, et Olympenorum (in Pamphylia), agros in Macedonia regios,

agrum Corinthium, agrus in Hispania apud Carthaginem novam, agros veteris Carthaginis, agros denique quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaque possederit, 1, 2. Iniquissimum vero esse quud decemviris ejus auctionis locus certus non definiatur, sed quibus in locis ipsis videatur vendendi potestas lege permittatur. Ex quo omnibus in provinciis, regnis, liberis populis concursationem decemviralem acerbam, formidolosam, quæstuosam futuram esse, multas magnasque spoliationes, pactiones, nundinationes juris ac fortunarum fore prædicit. Porro exprobrat Rullo, quod lege sua jubeat decemvirus omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, iisque concedere ut possint agros liberare a vectigalibus, et quos libeat publicare, h. e. quasi publici essent vectigalibus onerare, 3. In vectigali imponendo eum excepisse agrum Recentoricum Siciliensem; in vendendis agris, eos de quibus cautum sit fœdere, hoc est, eos qui in Africa ab Hiempsale possideantur. Utramque exceptionem docet non tam iniquam esse, quam suspiciosam. Maximam vero prædam Rullum sperare ex illo legis capite, quo quidquid ad quemque pervenerit ex præda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque consumptum in monumento, neque in ærarium relatum sit, ad decemviros referri jubeat; itemque ut in posterum etiam quod quisque imperator habeat pecuniæ protinus ad decemviros deferat. Quod autem Pompeium excipiat, eam exceptionem similem esse illi, qua in lege Papia, qua peregrini Urbe expellebantur, Glaucippus exceptus sit, 4. Non minui autem ostendit decemviralis pecuniæ istis modis constructæ invidiam, quod in agrorum emptionibus consumatur. Nam fieri posse ut nemo agros velit vendere, tumque pecuniam lege Rulli nec referri in ærarium, nec a decemviris exigi licere, 5. Sin autem emantur agri, magna esse incommoda et pericula in coloniis deducendis præsertim iis, quus Capuam deduci velit, 6. His igitur machinationibus se vehementer atque acriter restiturum consul denuntiat, 7; simul errasse Rullum ostendit, et nonnullos collegas ejus, qui speraverint, se posse contra consulem veritate, non ostentatione popularem, in evertenda re publica populares existimari. Itaque se eos in concionem vocare, et populo romano disceptatore uti velle ostendit, 8. Postremo ceterus tribunos adhortatur, ut collegam perniciosæ legis aucto-

rem deserant, et communem rem publicam communi studio defendant; itemque senatui pollicetur, si ipse studium ad communem dignitatem defendendam profiteatur, se perfecturum, ut vetus hujus ordinis auctoritas longo intervallo rei publicæ restituta esse videatur, 9.

Ea est orationum series quæ maximam Ciceroni consulatum auspicanti gloriam concessit, eo quod ipse populum et tribunos intra castrorum propugnacula devicerit, legemque hanc popularem adeo et Gracchorum memoria protectam ita impugnaverit, ut Rullus cognita populi voluntate, sua spe dejectus, eam ferre non jam ausus sit. Et Cicero non semel hac suæ eloquentiæ victoria gloriatur, et Plutarchus maximis eam laudibus effert, et Plinius in nobilissima illa summi oratoris laudatione, quod, ut verissima admiratione expressum, neque ab ipsa alienum eloquentia, testimonium recitare non absurdum fore arbitramur: « Quo te, inquit, M. Tulli, piaculo taceam? quove maxime excellentem insigni prædicem? Quo potius, quam universi populi illius gentis amplissimo testimonio, et e tota vita tua consulatus tantum operibus electis? Te dicente, legem agrariam, hoc est, alimenta sua abdicaverunt tribus: te suadente, Roscio theatralis auctori legis ignoverunt, notatasque se discrimine sedis æquo animo tulerunt: te orante, proscriptorum liberos honores petere puduit: tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proscripsisti. Salve, primus omnium parens patriæ appellate; primus in toga triumphum linguæque lauream merite, et facundiæ latiarumque literarum parens: atque (ut dictator Cæsar, hostis quondam tuus, de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus est, ingenii romani terminos in tantum promovisse, quam imperii, reliquis animi bonis ». (Plin. Hist. Nat. lib. VII, cap. 31.)

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

DE LEGE AGRARIA,
CONTRA
P. SERVILIUM RULLUM IN SENATU,
ORATIO PRIMA.

ORATIO QUINTADECIMA.

Desunt[1] *permulta.*

I..... Quæ res aperte petebatur[2], ea nunc occulte cuniculis oppugnatur. Dicent enim decemviri[3], id

I. 1. Palat. primus, Grutero teste, adscriptum habet, deesse a principio folia duo. J. V. L.

2. *Quæ res aperte petebatur.* Orationis hujus exordium, propositioque et maxima pars confirmationis, omnino, aut tempore, aut hominum incuria interciderunt. Quæ vero desiderantur, ex oratione quæ sequitur, cognosci possunt, qua probat orator Agraria lege nihil populo romano dari, pecuniam quidem grandem ostendi, sed quæ certis civibus impertiatur, dum plebs omnis et omnes reipublicæ opes fuerint exhaustæ. Per verba illa *quæ res* significat Ægyptum et Alexandriam, quæ relictæ populo romano fuerant ab Alexandro rege; quas quum multi obtinere decreverant, vehementer obsistente Catulo consule, repulsi sunt; qui vero, quum eas aperte occupare non potuerint, nunc clanculum ad eam obrepunt, et tamquam cuniculis per tenebras oppugnant.

3. *Dicent enim decemviri.* Præoccupat et refellit rationem, qua usuri sunt decemviri ad Ægyptum invadendam, quam populo romano datam testamento regis Alexandri jactitabant; is erat Alexander tertius qui, regno deturba-

quod et dicitur a multis, et sæpe dictum est : post eosdem consules[4], regis Alexandri testamento, regnum illud populi romani esse factum. Dabitis[5] igitur Alexandriam clam petentibus iis, quibus apertissime pugnantibus restitistis? Hæc, per deos immortales! utrum esse vobis consilia siccorum[6], an vinolentorum somnia; et utrum cogitata sapientium, an optata furiosorum videntur?

Videte nunc[7], proximo capite, ut impurus helluo turbet rempublicam, ut a majoribus nostris possessiones relictas disperdat et dissipet, ut sit non minus in populi romani patrimonio nepos[8], quam in suo. Proscribit[9] in sua lege vectigalia, quæ decemviri vendant, hoc est, proscribit auctionem publicorum bonorum. Agros emi vult, qui dividantur; quærit pecuniam. Videlicet excogitabit aliquid, atque afferet. Nam superioribus capitibus dignitas populi romani violabatur[10]; nomen imperii in commune[11] odium

tus, Cyprum occubuit. *Decemviri*, qui lege Rulli ad agrorum partitionem erant creati. Sæpius quinque viri tantum ad hoc creabantur; Cæsar vero in consulatu agros per viginti viros assignavit.

4. *Post eosdem consules*. Post L. Cornelium Sullam et Q. Pompeium Rufum, ann. 665. Eos esse certissime ex secunda oratione apparet, nam in lege sua Rullus de illorum consulatu definiebat. Qui Cottam et Torquatum intelligunt, gravissime errant.

5. *Dabitis igitur*. Quid? Alexandriam tribuno plebis et decem civibus, qui eam per insidias petunt, tradetis, quum tribunis et Crasso aperte eam poscentibus restiteritis?

6. *Siccorum*. H. e. ratione recta utentium; sic Horat. « siccum uvido », Plautus « siccum madido » opponit.

7. *Videte nunc*. Transit ad legis caput alterum exagitandum, in quo ratio venditionis, aut auctionis erat expressa. Hic nominatim magnas populi romani possessiones recensebat, quas tribunus ad auctionem destinaverat.

8. *Patrimonio nepos*. Quidam pro *nepos*, *heres* habent; male.

9. Lallem. e codd. reg. *Perscribit*. J. V. L.

10. *Violabatur*. Lege enim Rulli in decemvirorum creatione suffragii jus fuerat imminutum.

11. *In commune odium*. Quippe hac lege constituti decem tyranni erant, qui in caput fortunasque uniuscujusque sævirent; quum eos eligi non populi comitiis, i. e. a xxxv tribubus, ut mos erat solemnis; sed a xvii tantum.

orbis terræ vocabatur; urbes pacatæ[12], agri sociorum, regum status decemviris donabantur[13]: nunc præsens, certa, pecunia numerata quæritur. Exspecto, quid tribunus plebis vigilans et acutus excogitet. Veneat, inquit, silva Scantia[14]. Utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus[15], an in censorum pascuis invenisti? Si quid est, quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, quamquam iniquum est, consume sane[16], quoniam commodum est, quoniam quidem tu attulisti: silvam vero tu Scantiam vendas, nobis consulibus atque hoc senatu? tu ullum vectigal attingas? tu populi romani subsidia belli? tu ornamenta pacis eripias? Tum vero hoc me inertiorem consulem judicabo, quam illos fortissimos viros, qui apud majores nostros fuerunt; quod, quæ vectigalia, illis consulibus, populo romano parta sunt, ea, me consule, ne retineri quidem potuisse judicabuntur.

II. Vendit Italiæ possessiones ex ordine omnes: sane est in eo diligens[1]; nullam enim prætermittit. Persequitur in tabulis[2] censoriis totam Siciliam; nullum ædificium, nullos agros relinquit. Audistis auctio-

12. *Urbes pacatæ*. Provinciæ decemviris vendendæ tradebantur, summa quidem injuria, quia quum pacatæ essent et quietæ, nihilque in populum romanum hostile molirentur, nefas erat eorum agros, tamquam spolia, publicare.

13. Lambinus e conject. Puteani, *condonabantur*. J. V. L.

14. *Silva Scantia*. Scantia silva fuit in Campania, ubi et aquæ Scantiæ Plinio commemoratæ: hanc censores in Italia locabant.

15. *Relictis possessionibus*. Aut quæ incultæ remanserant, aut quas populus romanus nondum ex sociis obtinuit.

16. Olim, *tamen consume*. J. V. L. — Verbum est invidum, quasi dicat non vende, sed omnino degluti eam.

II. 1. *In eo diligens*. In re familiari nepos et nequam, in hoc uno non errat, quum agitur de totius populi romani patrimonio invadendo.

2. *Persequitur in tabulis*. Siciliam scrutatur, indagat, et ordine possessiones omnes ex tabulis censoriis notat ac recognoscit, ne ullam obliviscatur. Verbi illius elegantiam et vim fere omnes adnotavere commentatores.

nem[3] populi romani proscriptam a tribuno plebis, constitutam in mensem januarium[4]: et, credo, non dubitatis[5], quin idcirco hæc, ærarii causa, non vendiderint ii, qui armis et virtute pepererunt, ut esset, quod nos, largitionis causa, venderemus.

Videte nunc[6], quoad fecerit iter, apertius[7], quam antea. Nam superiore parte legis quemadmodum Pompeium oppugnarent, a me indicati sunt: nunc jam se ipsi indicabunt[8]. Jubent venire agros Attalensium atque Olympenorum; hos populo romano Servilii[9], fortissimi viri, victoria adjunxit: deinde agros in Macedonia regios, qui partim T. Flaminini, partim L. Paulli, qui Persen vicit, virtute parti sunt: deinde agrum optimum[10] et fructuosissimum Corinthium, qui L. Mummii imperio ac felicitate ad vectigalia populi romani adjunctus est: post autem agros in Hispania apud Carthaginem novam, duorum Sci-

3. *Audistis auctionem.* Antequam Cicero ordiretur orationem in senatu, præco legem recitaverat, et simul ac finem dicendi fecerat, eum statim Cicero excepit. Itaque legem per capita et ordine recenset, et quo ea melius in memoriam revocet quæ modo præco recitavit, qui audierant appellat, his verbis *audistis, vidistis;* indignationemque contra Rullum conflat, quia tribunus, a plebe constitutus, ejus commodis invigilare, nec contra eam opprimere debebat.

4. *Januarium.* Lex enim proposita mense decembri fuerat, quo magistratum inierat.

5. *Non dubitatis.* Indicat his verbis quantum lex illa populo romano damnum afferat; quæ publicum ærarium exhauriat, ut quibusdam largiatur omnem reipublicæ fortunam.

6. *Videte nunc.* Ad alia vectigalia transit, quæ ex provinciis longinquis colligere in animo Rullus habuerat destinatum. De iis vero gravius queritur, quod non jam tacite nec per insidias, sed palam in Pompeium insurgant, quum provincias illas ipsas, in quibus bellum gerit, venumdandas decreverunt. Eum antea etiam injuste a decemviratu suo submoverant, quia populo nimis cavens senatusque observantior habebatur.

7. *Iter apertius.* P. Manut. *quo adfectarint iter.* J. V. L.

8. *Se ipsi indicabunt.* Non jam verbis est opus, ut rem illam oculis vestris subjiciam; quæ tam clara tamque aperta est, ut per se quisque possit intelligere quanta in Pompeium invidia invehantur.

9. *Servilii.* Garaton. malit *P. Servilii.* J. V. L.

10. *Optimum.* Duo codd. *opimum.*

pionum eximia virtute possessos : tum vero ipsam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Africanus nudatam tectis ac mœnibus, sive ad notandam Carthaginiensium calamitatem, sive ad testificandam nostram victoriam, sive ad oblatam aliquam religionem, ad æternam hominum memoriam consecravit[11]. His insignibus atque infulis imperii venditis, quibus ornatam vobis majores vestri rempublicam tradiderunt, jubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaque possederit. Num obscure videntur[12], prope hasta præconis, insectari Cn. Pompeii exercitum, qui venire jubeant eos ipsos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat, atque versetur?

III. Hoc vero cujusmodi est, quod ejus auctionis, quam constituunt, locum sibi nullum[1] definiunt?

11. *Consecravit.* Tertio bello Punico, P. Scipio Africanus Æmilianus Carthaginem expugnavit atque incendit: agrumque, ex decem legatorum sententia, in publicum, regionem in provinciæ formam redegit, et urbis solum ipsum consecravit. Magno autem scelere Rullus ea ad auctionem vendere aggressus erat, quæ consecrata nullo modo abalienari poterant; namque sancto ac consecrato loco nemini fas erat ædificia inchoare, vel cultum adhibere, vel ea quovis modo immutare.

12. *Num obscure videntur.* His verbis rursus ea aperit, quæ sibi proposita erant a principio; Pompeium scilicet summa injuria a Rullo vexari, quum illi ipsi agri vendi jubeantur in quibus bellum adhuc gerat. Neque enim kal. jan. quibus Cicero consulatum inivit, bellum cum Mithridate erat perfectum. Namque hoc anno tantum, quum arma repararet Mithridates, filii discessione est oppressus. Vehementissima voce illa *insectari* utitur, qua tribunum quasi hostem alium romano exercitui infestissimum, æque adhærentem ostendit. Forsan ad caput illud, aut ad alia quæ sequebantur, quæque tempore evanuere, pertinebat locus ab Gellio servatus, his verbis constans: «Prædam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeii, sedente imperatore, decemviri vendent». Unus et alter hujus orationis pannus repertus est, qui quum nullam sedem haberet, ad calcem totius operis cum fragmentis aliis est collocatus.

III. 1. *Locum sibi nullum.* Hæc decemvirorum agendi ratio, quam injuste auctionem constituerent, demonstrat, qui in tenebris et ubi liceret, vendere decreverint. Hic autem orator maximam in Rullum invidiam concitat, quod præfatur eum in mente destina-

Nam decemviris, quibus in locis ipsis videatur, vendendi potestas lege permittitur. Censoribus vectigalia locare [2], nisi in conspectu populi romani non licet: his vendere vel in ultimis terris licebit? At hoc etiam nequissimi homines, consumptis patrimoniis, faciunt, ut in atriis auctionariis [3] potius, quam in triviis, aut in compitis auctionentur: hic permittit sua lege decemviris, ut, in quibus commodum sit tenebris, ut in qua velint solitudine, bona populi romani possint divendere. Jam illa [4] omnibus in provinciis, regnis, liberis populis quam acerba, quam formidolosa, quam quæstuosa concursatio decemviralis futura sit, non videtis? Hereditatum obeundarum [5] causa, quibus vos legationes dedistis, qui et privati, et privatum ad negotium exierunt, non maximis opibus, neque summa auctoritate præditi, tamen auditis profecto, quam graves eorum adventus sociis vestris esse soleant. Quamobrem quid putatis impendere hac lege

tum habere, se decemvirum creare; et inde demonstrat orator tribunum non ad populi romani, sed ad suam utilitatem legem præparasse.

2. *Vectigalia locare.* Quam injustum et indignum illud sit inde patet, quod ne censores quidem locare quidquam, nisi ante oculos populi romani, possunt, dum illi omnia quo pretio, qua die, quo loco libuerit, omnia vendent.

3. *Atriis auctionariis.* Illa in foro erant posita, et ideo multo magis populo usitata, quam ceteræ Urbis partes. Nunc autem illi publicarum fortunarum helluones, ne id quidem quod nequissimi homines agunt, observant, populique romani patrimonium et opes per tenebras disperdere aggrediuntur.

4. *Jam illa.* Hæc vero, quantam statuerunt, decemviris concessa potestas, omnibus populis luctuosa, ipsis tantummodo opima erit. Et sociis et provinciis et liberis populis hoc non tolerandum fore indicat: acerba primum eorum erit concursatio, quod vendent ea quæ possessores retinere vellent; deinde formidolosa, propter illam potentiam qua omnia antevertere et occupare licebit; quæstuosa demum, quod, propter summam avaritiam, populorum opes exhaurient, ut eas sibi applicent.

5. *Hereditatum obeundarum.* Per collationem illam demonstrat quam gravis et intoleranda populis erit illa lex, qua toto orbe nequissimi homines per omnium gentium opes, et populorum patrimonia irruent, reipublicæ fortunas vastaturi exhausturique, postquam suas jam luxuria deglutierint.

omnibus gentibus terroris et mali, quum[6] mittantur in orbem terrarum decemviri summo cum imperio, summa cum avaritia, infinitaque omnium rerum cupiditate? quorum quum adventus graves, quum fasces formidolosi[7], tum vero judicium ac potestas erit non ferenda. Licebit enim, quod videbitur, publicum judicare[8]; quod judicarint, vendere. Etiam illud[9], quod homines sancti non facient, ut pecuniam accipiant, ne vendant; tamen id iis ipsum[10] per legem licebit. Hinc vos quas spoliationes[11], quas pactiones, quam denique in omnibus locis nundinationem juris ac fortunarum fore putatis? Etenim quod superiore parte legis præfinitum[12] fuit, Sulla et Pompeio consulibus, id rursus liberum infinitumque fecerunt.

IV. Jubet[1] eosdem decemviros omnibus agris publicis pergrande vectigal[2] imponere, ut iidem possint et liberare agros, quos commodum sit, et, quos ipsis libeat, publicare: quo in judicio[3] perspici non po-

6. Grævius e cod. Erfurt. conjicit *immittantur;* cod. enim habet *immutantur*. J. V. L.

7. *Fasces formidolosi.* Quoniam promptum de iis qui dicto non audientes fuerint, supplicium sint sumpturi.

8. *Publicum judicare.* H. e. privatis ex arbitrio eripere, populique romani nomine consecrare, ut postea, prout libuerit, ea vendant ac consumant.

9. *Etiam illud.* Gravissima eos urget ironia; non enim, ait, viri illi tam sancti tamque in suis fortunis moderati, pecuniam accipient ne vendant. Possunt tamen absque ullo metu, illud namque lege iis est licitum.

10. *Id iis ipsum.* Lambinus, et qui ejus conjectationes probant, « iis id ipsum ». J. V. L.

11. *Spoliationes.* Excerpta Pith. *sponsiones*, non contemnenda lectio.

12. *Præfinitum.* Decemviri ea vendere debebant, quæ reipublicæ adjecta fuerant, a L. Sullæ et Q. Pompeii consulatu. Nunc illud infinitum quando libuerit, reddent, quum quæ videbuntur apta vendi, populo romano adjudicabunt, ut postea ea tamquam publica ad auctionem statuere possint.

IV. 1. *Jubet.* Cod. Erfurt. addit *enim*. J. V. L.

2. *Pergrande vectigal.* Maxima potestas prædandi decemviris hoc capite conceditur; quippe qui agros ex arbitrio possessoribus eripiant, iisque vectigalia quæ libuerit, imponant, tamquam sint a populo romano revera adjudicati.

3. *Quo in judicio.* Fieri non potest ut lex illa populis non noceat, etenim si justi sint decemviri, acerbiores

test, utrum severitas acerbior, an benignitas quæstuosior sit futura.

Sunt tamen in tota lege exceptiones duæ, non tam iniquæ, quam suspiciosæ [4]. Excipit, in vectigali imponendo, agrum Recentoricum Siciliensem [5]; in vendendis agris, eos agros, de quibus cautum sit [6] fœdere: hi sunt in Africa [7], qui ab Hiempsale possidentur. Hic quæro, si Hiempsali satis est cautum fœdere [8], et Recentoricus ager privatus est, quid attinuerit excipi? Sin et fœdus illud habet aliquam dubitationem, et ager Recentoricus dicitur nonnumquam esse publicus; quem putet existimaturum [9], duas causas in orbe terrarum repertas, quibus gratis [10] parceret? Nunc quisnam tam abstrusus usquam nummus videtur, quem non architecti hujusce legis olfecerint? Provincias, civitates liberas, socios, amicos, reges denique exhauriunt; admovent manus vectigalibus populi ro-

populis videbuntur, quoniam invitos spoliabunt: si vero injusti, vituperandi sunt et condemnandi, quoniam pecuniam ne vendant, acceperint.

4. *Suspiciosæ.* Etenim metuendum erat ne pecunia eorum qui agros possidebant, corrupti id egerint.

5. *Recentoricum Siciliensem.* Ager ille quum publicus esset, a privatis possidebatur, qui possessione se defendebant, non autem agri conditione.

6. *Cautum sit fœdere.* Cod. Erfurt. «sine fœdere»; unde Græv. legendum conjicit «in fœdere». Fœdus autem illud per C. Cottam consulem ictum fuerat, nihilque valebat, nisi a senatu sanciretur; quamquam jam esset usitatum, ut reges amici sociique dicerentur, quamquam cum consulibus tantum egissent.

7. *Hi sunt in Africa.* Eos agros intra Numidiam et Cyrenas positos, eversa Carthagine, populo romano Scipio Minor adjudicaverat: Hiempsal vero quem, sublato Hiarba, Pompeius regem in Numidiæ parte constituerat, illos occupavit.

8. *Cautum fœdere.* Demonstrat orator Rullum hæc summa injuria excepisse: etenim sic argumentatur; si Recentoricus ager privatus est, non fuit memorandus, namque a publicis tantum vectigal exigitur: si contra publicus, non nisi pecunia inductus, eum tribunus plebis excepit. Hiempsalis quoque agros, si satis fœdere iis est cautum, non decuit excipere, quia ad eos lex non attinebat; si vero non satis, corruptus certe fuit ut juberet ea non veunmdari.

9. Hæc miscere jam Lambin. tentabat; Puteanus retinuit. J. V. L.

10. *Gratis.* Sine corruptela, sine quæstu.

mani. Non est satis. Audite, audite[11] vos, qui amplissimo populi senatusque judicio exercitus habuistis, et bella gessistis: QUOD AD QUEMQUE PERVENIT, PERVENERIT, EX PRÆDA, EX MANUBIIS[12], EX AURO[13] CORONARIO, QUOD NEQUE CONSUMPTUM IN MONUMENTO, NEQUE IN ÆRARIUM RELATUM SIT, ID AD DECEMVIROS REFERRI jubet. Hoc capite multa sperant: in omnes imperatores heredesque eorum quæstionem suo judicio comparant; sed maximam pecuniam se a Fausto[14] ablaturos arbitrantur. Quam causam suscipere jurati judices noluerunt, hanc isti decemviri suscepere: idcirco a judicibus fortasse prætermissam esse arbitrantur, quod sit ipsis reservata[15]. Deinde etiam in reliquum tempus diligentissime sancit, ut, quod quisque imperator habeat pecuniæ, protinus ad decemviros deferat. Hic tamen excipit Pompeium; simillime, ut mihi videtur, atque in illa lege[16], qua peregrini Roma

11. Vox geminata e MSS huc accessit primum, auctore Grut. et duce J. V. L. — *Exercitus habuistis.* Duces appellat, quod nisi vicissent agrosque quam plurimos reipublicæ adscripsissent, non Rullus legem illam ferre, et ideo opus eorum abolere potuisset.

12. *Ex manubiis.* Manubiarum nomine pecunia illa dicebatur, quæ a quæstore ex prædæ venditione fuerat redacta; et *præda* ipsas res captas designat. Non. Marc. V, 39.

13. *Auro coronario.* Cogebantur provinciarum incolæ, ducibus coronam auream dono dare, quum prospere egerant; concessum est autem iis postea, ut summam pecuniæ tantum pro corona darent, quæ dicebatur aurum coronarium.

14. *A Fausto.* Hic erat Sullæ dictatoris filius; quum autem rempublicam et exercitus diu administrasset, magnamque auri vim et argenti ex ærario desumptam ad se convertisset, in judicium, Cicerone prætore, vocatus est, ut causam de residuis pecuniis apud Orchinium diceret; judicium autem illud propter summas viri opes non fuit receptum.

15. *Ipsis reservata.* Inde dat intelligendum, non in eum solum artificia sua parare decemviros, sed in eos etiam ad quos pecunia sit in posterum perventura.

16. *In illa lege.* Tribunus plebis C Papius legem tulerat, qua peregrini omnes, Hispani, Galli, Græcique protinus ex Urbe ejicerentur. Unus Glaucippus fuerat exceptus; quis ille fuerit, vel qua ratione eum exceperint, incertum. Sed non idem hic de Pompeio, nam vere beneficio Glaucippus afficiebatur, Pompeius vero, ut sit orator, injuria tantum privatur.

ejiciuntur, Glaucippus excipitur: non enim hac exceptione unus afficitur beneficio, sed unus privatur injuria. Sed cui manubias remittit, hujus[17] vectigalia invadit: jubet enim pecuniam, si qua post nos consules[18] ex novis vectigalibus recipiatur[19], hac uti decemviros. Quasi vero non intelligamus, hæc eos vectigalia, quæ Cn. Pompeius adjunxerit, vendere cogitare.

V. Videtis jam, patres conscripti, omnibus[1] rebus et modis constructam et coacervatam pecuniam decemviralem. Minuetur[2] hujus pecuniæ invidia: consumetur enim in agrorum emptionibus. Optime. Quis ergo emet agros istos? iidem decemviri: tu, Rulle (missos enim facio ceteros), emes, quos voles; vendes, quos voles; utrumque horum facies, quanti voles[3]. Cavet enim vir optimus[4], ne emat ab invito: quasi vero non intelligamus, ab invito emere, injuriosum esse; ab non invito, quæstuosum[5]. Quantum tibi agri vendet, ut alios omittam, socer tuus? et, si

17. *Hujus vectigalia invadit.* Al. e MSS, « hujus in vectigalia invadit ». Beck. « in hujus vectigalia »; sed ordinem verborum concinniorem suasit Gœrenz. ad Ciceronem de Legibus, pag. 59. J. V. L.

18. *Post nos consules.* Inde patet vectigalia a Pompeio imposita decemviris esse tradenda; namque quum adhuc bellum gereret dux ille, vectigalia tantum, quum lex fuerit decreta, posset statuere.

19. *Recipiatur.* Lambinus vult *reficiatur.*

V. 1. Lambinus, ut aliquid et hic mutaret, edidit « rationibus et modis ». J. V. L.

2. *Minuetur.* Quasi hic decemviros defendat, eorumque causam suscipiat, ea ironice dicit, quæ gravem in eos invidiam commoveant.

3. *Quanti voles.* Quanti voles, publicos agros vendes, et quam magno voles pretio, populo romano induces agros emptos, atque hic prædabere.

4. *Cavet enim vir optimus.* Ironice in Rullum, quem creandorum decemvirorum principem exagitat toto hoc capite quo ostendit, quam injusta sit lex illa, qua, prætento vano nomine, pecunia omnis per injuriam ad helluones illos sit reditura.

5. *Quæstuosum.* Ambobus pariter et iis qui vendunt, et iis qui emunt; ii autem quanti volent, ement, et illi invidiosas possessiones libenter pecunia commutabunt: his verbis Rullum socero suo Valgio cavere significat, qui multum in Sullanis proscriptionibus fuerat lucratus, quique metuebat ne proscriptorum nati in patria bona aliquando regredi conarentur.

ego ejus æquitatem animi probe novi, vendet non invitus[6]. Facient idem ceteri[7] libenter, ut possessionis invidiam pecunia commutent; accipiant, quod cupiunt[8]; dent, quod retinere vix possunt. Nunc prospicite omnium rerum infinitam atque intolerandam licentiam[9]. Pecunia coacta est ad agros emendos; ii porro ab invitis non ementur. Si consenserint possessores non vendere, quid futurum est? Referetur pecunia? non licet. Exigetur? vetat. Verum esto: nihil est, quod non emi possit, si tantum des, quantum velit venditor. Spoliemus orbem[10] terrarum, vendamus vectigalia, effundamus ærarium[11], ut, locupletatis aut invidiæ, aut pestilentiæ possessoribus, agri tamen emantur.

Quid tum[12]? quæ erit in istos agros deductio? quæ totius rei ratio atque descriptio? Deducentur, inquit, coloniæ. Quot[13]? quorum hominum? in quæ

6. *Non invitus*. Quum enim populus insanas largitiones eorum, qui bona proscriptorum possidebant, ægre ferret, urgerentque plures, ut in patrias fortunas proscriptorum filii regrederentur, metus erat ne opes illæ, si lex eas restitui juberet, subito evanescerent; itaque pro certa pecunia incertas possessiones non ægre tradent decemviris.

7. *Ceteri*. Sullani sc. qui quotidie publica magis ac magis invidia laborant.

8. Hæc duo verba, *cupiunt, possunt*, mutaveramus cum Ernest. in *cupiant, possint;* nunc, jubente Gœrenz. ad Cic. Academ. II, 15, retinemus. J. V. L.

9. *Intolerandam licentiam*. Aliud sane legis caput aggreditur, quo pecuniam a decemviris acceptam aut exigi, aut in ærarium recondi vetabatur. Quum autem qui vendere noluerint, non cogantur, necesse erit certe eos hanc pecuniam servare tamquam peculiarem, quum lege cautum sit ne illius ab eis ratio exposcatur.

10. *Spoliemus orbem terr.* Asia, Bithynia, Ægyptoque abalienatis.

11. *Effundamus ærarium*. Quia imperatorum manubiæ quæ thesaurum augebant, nunc decemviris tradentur. — *Invidiæ et pestilentiæ possessoribus*. His verbis indicat Sullanos, et eos qui pestiferos, et incolis nocituros agros possidebant.

12. *Quid tum?* Aliud legis caput exagitat, quo de coloniis deducendis agebatur. Etenim agri omnes emantur volo; sed quos homines, quanto numero in eos mittet, quibusque regionibus eductos; quæ forma erit, quis horum rector et princeps? quæ omnia lege non cauta fuerant.

13. *Quo?* Veterem hanc lectionem

loca? quis enim non videt, in coloniis esse hæc omnia consideranda? Tibi nos, Rulle, et istis tuis, harum omnium rerum machinatoribus, totam Italiam inermem tradituros existimasti, quam præsidiis confirmaretis? coloniis occuparetis? omnibus vinclis devinctam et constrictam teneretis? Ubi enim cavetur, ne in Janiculo [14] coloniam constituatis? ne urbem hanc urbe alia premere atque urgere possitis? Non faciemus, inquit. Primum nescio; deinde timeo; postremo non committam, ut vestro beneficio [15] potius, quam nostro consilio salvi esse possimus.

VI. Quod vero totam Italiam vestris colonis complere voluistis, id cujusmodi esset [1], neminemne nostrum intellecturum existimavistis? Scriptum est enim: QUÆ IN MUNICIPIA [2], QUASQUE IN COLONIAS [3] DECEMVIRI

Puteanus defendit. Omnes tamen B. Lauredani conjecturam admisere. — *Tibi nos, Rulle, et istis.* Admonet hic orator, non in pecuniam civium tantummodo, sed et in libertatem omnium insidias parari. Quis enim prohibere poterit, quin quum colonias quas voluerit, urbi nostræ circumdederit, quum nos omnibus fraudibus circumventos oppresserit, in caput quoque nostrum et in rempublicam agat, quum nemo prius illud audaciæ et virium tentamentum refrenaverit?

14. *Ne in Janiculo.* Mons ille urbi vicinus, ei impendebat, ita ut facillime inde in Romam a tribuno, si illum occupasset, statui possent insidiæ.

15. *Vestro beneficio.* Grates enim vobis a populo romano erunt agendæ, si quum nos vinctos omnibus modis vobis tradiderimus, capiti nostro et reipublicæ parcatis. Quod autem, quum anteacta vestra vita agendique ratio numquam futurum esse demonstrent, nostrum est hanc vestram audaciam præoccupare et antevertere.

VI. 1. *Id cujusmodi esset.* Terret animos, et odium in Rullum concitat periculi imminentis imagine: nihil enim aliud tribunus mente destinatum habet, nisi rempublicam evertere, paullatimque ad id injuria sua grassatur. Municipia enim et colonias Rullus nominabat, ut generatim omnes Italiæ civitates complecteretur.

2. *Municipia.* Oppida erant romana civitate donata. Quum autem in municipia deducti coloni erant, in jus coloniarum transibant; et illud optime cum Rulli consiliis congruebat, quod postquam municipia in colonias convertisset, illa brevi novis instrueret incolis, alioque transferret; sicque totam per Italiam, suos sibi circumdaret.

3. *Quasque in colonias.* Hoc legis capite Rullus omnem reipublicæ formam commutabat, quum liceret ei ex arbitrio, vetera municipia ad coloniarum formam traducere, coloniasque

VELINT, DEDUCANT COLONOS, QUOS VELINT[4]; ET IIS AGROS ASSIGNENT, QUIBUS IN LOCIS VELINT: ut, quum totam Italiam militibus suis occuparint, vobis non modo dignitatis retinendæ, sed ne libertatis quidem recuperandæ spes relinquatur. Atque hæc[5] a me suspicionibus et conjectura coarguuntur. Jam omnis omnium tolletur error; jam aperte ostendent, sibi nomen hujus reipublicæ, sedem urbis atque imperii, denique hoc templum[6] Jovis Optimi Maximi, atque hanc arcem[7] omnium gentium displicere. Capuam[8] deduci colonos volunt; illam urbem huic urbi rursus opponere, illuc opes suas deferre, et imperii nomen transferre cogitant. Qui locus, propter ubertatem agrorum, abundantiamque rerum omnium, superbiam et crudelitatem genuisse dicitur; ibi nostri coloni, delecti ad omne facinus, a decemviris collocabuntur. Et, credo, qua in urbe homines, in veteri dignitate fortunaque nati, copiam rerum moderate ferre[9] non

novis colonis adornare, ac deinde scelerum suorum participibus et consciis instructas, ad municipiorum formam redigere.

4. *Quos velint.* Quum helluo sit pravissimus legis auctor, certe nihil nisi perditos homines in colonias mittet, ut pro se non pro republica arma capiant. Eos paullo infra orator Rulli milites vocat, tamquam quibus opes et arma dederit, ut libertatem et fortunas civium aboleant. Præsertim senatum hac imagine terret, quod ejus auctoritas dignitasque maximum periculum adeant.

5. *Atque hæc.* Hæc omnia, ait orator, suspicor tantum, et ideo errare et falli possum; sed quod certissimum est audite, quodque maxime rempublicam impugnat.

6. *Hoc templum.* Hinc conjicimus, hoc ipso in templo verba fecisse Ciceronem.

7. *Hanc arcem.* Romam scilicet, et in ea Capitolium.

8. *Capuam.* Gravissimum hoc totius legis caput erat, quod et locorum situs, et Campanorum ingenium qui sæpissime rebellaverant, Capuam reipublicæ formidandam effecerant. Quid vero est futurum, si hanc in urbem Rullus eos deduxerit, quos sibi devinctos et fidissimos habet, si illos armis instructos hac in sede locarit, quam propter vicinitatem senatus olim delendam decreverat? Animos in tribunum excitat hac, quam semper objicit imagine, eos scilicet si Rullo quidquid petit concesserint, circumventos brevi et oppressos fore.

9. *Moderate ferre.* Eo enim insolentiæ devenere, ut a majoribus nostris,

potuerunt, in ea isti vestri satellites modeste insolentiam suam continebunt. Majores nostri Capua magistratus, senatum, consilium commune, omnia denique insignia reipublicæ sustulerunt, neque aliud quidquam, nisi inane nomen Capuæ reliquerunt: non crudelitate [10] (quid enim illis fuit clementius, qui etiam externis hostibus victis sua sæpissime reddiderunt?), sed consilio; quod videbant, si quod reipublicæ vestigium illis mœnibus contineretur, urbem ipsam imperio domicilium præbere posse. Vos hæc, nisi evertere rempublicam cuperetis, ac vobis novam dominationem comparare, credo, quam perniciosa essent, non [11] videretis?

VII. Quid enim cavendum [1] est in coloniis deducendis? Si luxuries [2]; Hannibalem ipsum [3] Capua corrupit. Si superbia; nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur. Si præsidium; non præponitur huic urbi ista colonia, sed opponitur. At quemadmodum armatur [4]? dii immortales! nam bello Punico, quid-

alterum consulem ex gente sua petiverint.

10. *Crudelitate.* Quamvis Fulvius qui urbem hanc diruit, senatores Campanos ad palum deligatos securi percusserit, civesque sub hasta vendiderit, non crudelitatis est arguendus senatus, qui, ut parceret victis, jusserat, sed Fulvius qui sua auctoritate tale facinus patravit.

11. *Videritis.* Alii, « videretis. Qu. » J. V. L.

VII. 1. *Quid enim cavendum est.* Quam periculosa sit urbi colonia illa orator demonstrat, in qua vitia omnia quæ colonias subvertere possunt conveniant, luxuries, superbia, et tanta potentia, ut Romæ objici tamquam Rulli participum receptaculum possit. Lambin. maluit « quid enim non c. e. »

2. Interpunctionem non sine auctoritate mutavimus. J. V. L.

3. *Hannibalem ipsum.* Notum illud et multis narratum; Capuæ scilicet commorationem omnino Hannibalis opes fregisse. Græv. hic male habet, *Capuana corrupit.*

4. *Quemadmodum armatur.* Quanto virium apparatu Capua instruetur? Quidque futurum est, quum illa omnibus Campaniæ civitatibus tamquam propugnaculis cincta in nos exsurget? Si quondam fertilitate soli, et hominum ingenio, tamdiu Romanis restitit, certe majori nunc opum vi freta, et omnibus ad defensionem necessariis instructa, magnum in periculum rempublicam adducet.

quid potuit Capua, potuit ipsa per sese: nunc omnes urbes, quæ circum Capuam sunt, a colonis per eosdem decemviros occupabuntur. Hanc enim ob causam permittit ipsa lex, IN OMNIA, QUÆ VELINT, OPPIDA, COLONOS UT DECEMVIRI DEDUCANT, QUOS VELINT. Atque his colonis agrum Campanum et Stellatem[5] campum dividi jubet.

Non queror deminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ atque damni; prætermitto alia, quæ nemo est quin gravissime et verissime conqueri possit, nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi romani possessionem, subsidium annonæ, horreum belli, sub signo claustrisque reipublicæ positum vectigal, servare non potuisse; eum denique nos agrum P. Rullo concessisse, qui ager ipse per sese et Sullanæ dominationi, et Gracchorum largitioni restitisset. Non dico, solum hoc in republica vectigal esse, quod, amissis aliis, remaneat; intermissis, non conquiescat; in pace niteat, in bello non obsolescat; militem sustentet, hostem non pertimescat. Prætermitto omnem[6] hanc orationem, et concioni reservo:

5. *Stellatem campum.* Ager ille a Campania distinctus erat, maximeque omnium reipublicæ terrarum opimus habebatur. Illud autem, et grave, et turpe, et periculosum erit, si concedamus a Rullo petita: hac enim concessione, tributa imminentur; deinde turpissimum est ea Rullo tribuno plebis, homini perdito ignavoque concedi, quæ Sullæ et Gracchis reunimus; denique maximum periculum nobis imminet; si campos uberrimos, subsidium annonæ et belli horreum hostibus nostris tradamus, quid nobis relinquemus, nisi famem et servitutem quando tribuno plebis collibuerit?

6. *Prætermitto omnem hanc orationem, et concioni reservo*, etc. Ad eorum ingenia quibuscum agit, sese accommodaturus, rem gemino sub aspectu tractat. Etenim senstui quæ gravissimi momenti sunt explicat, ostendit surgentem illam impiam tribuni dominationem, bellumque illud tacite tumescens, quod quum tempus erit, exardescet. Populo vero ea est jactaturus, quæ graves plebis animos commoveant, qualia sunt fames, et vectigalium Inopia, quæ tribunus quando collibuerit, mala in rempublicam grassatura, nunc tacite consiliis præparat.

de periculo salutis ac libertatis loquor. Quid enim existimatis integrum [7] vobis in republica fore, aut in vestra libertate ac dignitate retinenda [8], quum Rullus, atque ii, quos multo magis, quam Rullum, timetis, cum omni egentium atque improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni argento et auro, Capuam et urbes circa Capuam [9] occuparint? His ego rebus, patres conscripti, resistam vehementer [10] atque acriter, neque patiar, homines ea, me consule, expromere, quæ contra rempublicam diu cogitarint.

Errastis, Rulle, vehementer et tu, et nonnulli collegæ tui, qui sperastis, vos contra consulem, veritate, non ostentatione popularem, posse in evertenda republica populares existimari. Lacesso vos; in concionem voco; populo romano disceptatore [11] uti volo.

VIII. Etenim, ut circumspiciamus omnia, quæ populo grata [1] atque jucunda sunt; nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam otium reperiemus. Sollicitam mihi civitatem suspicione, suspen-

7. *Quid enim existimatis.* Num arbitramini, Rullum quum hæc omnia in manu habuerit, neque in dignitatem, neque in libertatem nostram iis usurum? Orator, timendos potius Rulli socios quam tribunum ostendit, quem in oratione pro domo sua satis impense laudat.

8. Olim, *retinendum.* Mutavit Grævius ex codice Erfurtensi, cui accedunt regii. J. V. L.

9. Græv. *Capuam* hic deleri volebat; Ernest. uncis inclusit. J. V. L.

10. *Resistam vehementer.* Perorationem aggreditur, Rullumque terrere tentat, populum appellando, cui se familiarem efficere his largitionibus tentabat. Se vero omni ope restiturum ait, ut contra vana orantis tribuni consilia animos suscitet, seque non largitionibus, sed veritate popularem esse ipsis civibus et reipublicæ demonstret.

11. *Disceptatore.* Quo clariori luce appareat, me populi romani commodis tantum invigilare, populum hunc ipsum, quem vos vanis nominibus prætentis fallere estis aggressi, judicem mihi statuo, et ad ejus tribunal te tuosque, coram eo dicturus voco.

VIII. 1. *Populo grata.* Se fore majori apud populum auctoritate quam plebis tribunos demonstrat, qui seditiones et turbas concitent, summa reipublicæ mala, dum in id tantum enititur ut pacem restituat, animosque tot rerum eversionibus quassatos reficiat.

sam metu, perturbatam vestris legibus [2], et concionibus, et seditionibus tradidistis; spem improbis ostendistis; timorem bonis injecistis; fidem de foro [3], dignitatem de republica sustulistis. Hoc motu atque hac perturbatione animorum atque rerum, quum populo romano vox et auctoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit; quum ostenderit, nihil esse metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium novum, nullum regnum decemvirale, nullam alteram Romam [4], neque aliam sedem imperii, nobis consulibus, futuram [5], summamque tranquillitatem pacis atque otii : verendum, credo, nobis erit, ne vestra ista præclara lex agraria magis popularis esse videatur. Quum vero scelera consiliorum vestrorum [6], fraudemque legis, et insidias, quæ ipsi populo romano a popularibus tribunis plebis fiant, ostendero : pertimescam, credo, ne mihi non liceat contra vos in concione consistere; præsertim quum mihi deliberatum et constitutum sit, ita gerere consulatum, quo uno modo geri graviter et libere potest, ut neque

2. *Perturbatam vestris legibus*. Quum enim novarum rerum cupidi, Antonium consulatum obtinuisse sensissent, protinus, quisque leges novas quæ civitatis statum everterent, et sopita odia suscitarent, protulere. Alii enim filios proscriptorum ad magistratus exercendos revocare, alii, Autronio et Sullæ, ambitus damnatis, honores concedere in mente destinatum habebant; et maxime erigebat Antonii spes ac egestas.

3. *Fidem de foro*. Quod in sequenti apud populum concione sic expressit : « sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novæ calamitatis, sed suspicione ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum : novæ dominationes, extraordinaria non imperia, sed regna quæri putabantur ».

4. *Alteram Romam*. Capuam intelligit, in quam metus erat, ne decemviri, si postulata essent sortiti, imperium transferrent.

5. Putat hic Ernest. aliquid excidisse; nam *que* pro *contra* durum videri. J. V. L.

6. *Consiliorum vestrorum*. Ostendam vos, hæc omnia largituros esse seditiosis ac perditis hominibus, qui consilia vestra exsequantur, opesque vestras defendant.

provinciam [7], neque honorem, neque ornamentum aliquod, aut commodum [8], neque rem ullam, quæ a tribuno plebis impediri possit, appetiturus sim. Dicit frequentissimo senatu consul, kalendis januarii, sese, si status hic reipublicæ maneat, neque aliud negotium exstiterit [9], quod honeste subterfugere non possit, in provinciam non iturum. Sic me in hoc magistratu geram populo romano [10], ut possim tribunum plebis reipublicæ iratum coercere; mihi iratum, contemnere.

IX. Quamobrem, per deos immortales! colligite vos [1], tribuni plebis; deserite eos, a quibus, nisi prospicitis, brevi tempore deseremini; conspirate nobiscum; consentite cum bonis; communem rempublicam communi studio atque amore defendite. Multa sunt occulta reipublicæ vulnera, multa nefariorum civium perniciosa consilia; nullum externum periculum est; non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est; inclusum malum, intestinum ac do-

7. *Provinciam.* Consulares provinciæ a senatu, Sempronia lege decernebantur; sed tribuni sæpius senatus decretis intercedebant, et apud populum ambitione sua efficiebant, ut provinciæ pejores consulibus darentur. Orator hic declarat, se omnino æquo animo laturum quidquid in se tribunus de hoc genere decreverit.

8. *Commodum.* Viatici magnitudinem, et provinciæ latitudinem, et omnia quæ hujusmodi consequi posset, intelligit, quæque ut negarentur, interponere auctoritatem suam tribunus plebis poterat.

9. *Aliud negotium exstiterit.* Ut novum bellum, quod consularem exercitum desideret. Quod autem se facturum pollicetur revera effecit. Nam quum Macedoniam esset sortitus, eam collegæ Antonio concessit, et Galliam Antonio Metello Celeri prætori tradidit.

10. *Populo romano.* Edidere Græv. Lallem. et Beck. *patres conscripti*, Manutio et Lambino præeuntibus. J. V. L.

IX. 1. *Colligite vos.* Quum tribuno plebis ostendit, quot et quanta pericula in rempublicam concitet, quum ei declaravit se apud populum concionaturum: eos obtestatur, ut ab insano proposito desistant, orat ut oculos in miserrimum reipublicæ statum conjiciant, tot seditionibus laceratæ, tot bellis longinquis exhaustæ, et una cum consulibus ad communem utilitatem et pacem opes suas conferant.

mesticum est : huic pro se quisque nostrum mederi, atque hoc omnes sanare velle debemus. Erratis, si senatum probare ea, quæ dicuntur a me, putatis, populum autem esse in alia voluntate. Omnes, qui se incolumes volunt, sequentur auctoritatem [2] consulis, soluti a cupiditatibus [3], liberi a delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus [4]. Quod si quis vestrum spe ducitur, se posse turbulenta ratione honori velificari suo : primum, me consule, id sperare desistat; deinde habeat me ipsum sibi documento, quem equestri ortum loco [5] consulem videt, quæ vitæ via facillime viros bonos ad honorem dignitatemque perducat. Quod si vos vestrum mihi studium, patres conscripti, ad communem dignitatem defendendam profitemini [6], perficiam profecto id, quod

2. *Sequentur auctoritatem consulis.* Postquam tribunum plebis, et omnes consiliorum ejus participes, hortatus est, ut tandem aliquando rempublicam capessant, desinantque magis ac magis fessam lacerare; eos a proposito deterret, ostendendo populum cum senatu et consulibus in eos conspiraturum, nullamque rationem legis sanciendæ futuram. Nec ulla revera fuit. Nam lege a Tullio, populo coram, vivide et acriter impugnata, quum in consulis sententiam inclinassent omnium animi, cognita populi voluntate, Rullus sua spe dejectus, quæ destinata in mente habuerat, perficere non jam ausus est.

3. *Soluti a cupiditatibus.* Quum enim uno servandæ reipublicæ studio incitetur, neque novarum rerum cupiditate agatur, nihil eum a proposito deterrere poterit; neque enim temere se periculis objiciet, neque timore discrimen ullum detrectabit. His rationibus hanc alteram addit, quod errant a proposito, si honores hac via se adepturos arbitrentur; non enim hoc modo ad honores pervenient, si videlicet rempublicam semper dilacerent novis rogationibus, quæ metum omnibus incutiant, seditionesque novas pariant.

4. *Non timidi in contentionibus.* Etenim si res in contentionem deducatur, bonæ causæ qui inservit, non ei est defuturus, sed contra audacter ei patrocinaturus.

5. *Equestri ortum loco.* Patrem Ciceronis fullonem fuisse, Calenus apud Dionem declamat. Plinius, eum equestri loco ortum narrat, profertque eum id in senatu declaravisse, ut populi et equestris simul ordinis animos sibi conciliaret.

6. *Profitemini.* Nunc senatores ipsos ad capessendam rempublicam hortatur,

maxime respublica desiderat, ut hujus ordinis auctoritas, quæ apud majores nostros fuit, eadem nunc longo intervallo [7] reipublicæ restituta esse videatur.

sed caute quidem; namque tantummodo petit ab iis ut suam auctoritatem sibi polliceantur, qua fretus gravissima pericula adire non recuset.

7. *Eadem nunc longo intervallo r. restituta essse videatur.* In consulatu suo Cicero senatus auctoritatem novis fundamentis constituit. Jamdiu plebs potentissima fiebat, sed deminutam senatorum potentiam reparavit, et ideo longum post intervallum professus est se talem, qualis primis reipublicæ temporibus erat, senatum rursus constituisse.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO SECUNDA

DE LEGE AGRARIA

AD POPULUM

ARGUMENTUM.

Quod egit kal. januar. consul Cicero in senatu, ut agrariam Rulli legem dissuaderet, atque iniquam eam, et perniciosam esse reip. ostenderet, idem haud ita multis post diebus fecit in concione, ne populus suffragiis suis eam legem juberet. Est igitur genus idem causæ, status idem, eadem argumentorum tractatio, nisi quod mutata eorum, apud quos agitur, persona, aliquid etiam artificii immutavit.

Ac primum in solemni exordio populo gratias agit, quod se, perlongo intervallo temporum, primum hominem novum consulem fecerit, quem honorem tanto majorem esse quod ipse consulatum petierit, quum primum licitum sit; consul factus sit, quum primum petierit; et quod in comitiis non prius tabella, quam voce universi populi consul declaratus sit. Itaque profitetur se in hoc magistratu et in omni vita popularem esse futurum. Sed ad hujus verbi vim et interpretationem opus esse sibi populi sapientia. Magnum enim in eo errorem versari, propter nonnullorum simulationes, qui quum populi commoda et salutem oppugnent et impediant, tamen oratione assequi velint, ut populares esse videantur. Nihil autem esse tam populare, quam pacem, quam libertatem, quam otium; non autem illa popularia esse existimanda, judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmationes, restitutionem damnatorum; nec largitionem promulgatam, quæ nisi exhausto ærario fieri non possit, popularem esse habendam, cap. 1-4. Jam primum se non omnino genus ipsum legis agrariæ vituperare ostendit, narratque se, quum primum sibi designato consuli nuntiatum esset legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere, cupiisse, quid cogitarent, cognoscere; illos autem, quum ostenderet, si lex utilis plebi romanæ sibi videretur, auctorem atque adjutorem futurum, tamen hanc liberalitatem suam aspernatos esse, et, quod agerent, celasse. Tandem quum legem agrariam, cujus princeps Rullus esset, in publicum propositam legissent, facile intellexisse, nihil aliud a primo capite legis usque ad extremum cogitari et agi, nisi ut decem reges ærarii, vectigalium,

provinciarum omnium, totius reipublicæ, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini constituerentur legis agrariæ simulatione atque nomine, 5, 6. Itaque demonstrat statim primo legis capite populi romani libertatem imminui, quod jubeat Rullum, qui legem tulerit, non per universum populum, sed per XVII tribus decemviros creare, ita ut quem novem tribus fecerint, is decemvir sit. Intolerabilem sibi Rullum hac ratione potentiam arrogare, simulque malitiosa quadam astutia usum, quod Cn. Pompeium exceperit, ne is decemvir inter ceteros fieri possit, quem custodem fore libertatis populi romani videat, 7-10. Deinde ipsa decemviros eligendi ratione, quam lex proponat, multum juribus populi romani derogari ostendit, quippe quos nec veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, nec illis (curiatis, recentiorum temporum more) ad speciem per XXX lictores (pro numero XXX curiarum) auspiciorum causa adumbratis constitui jubeat, 11, 12. Tum Cicero ostendit Rulli legem decemviros istos majoribus ornamentis afficere, quam omnes affecti sint, quibus populus amplissimas potestates dederit. Primum enim iis eodem jure, quo tresviri lege Sempronia (non tamen XVII, sed XXXV tribuum suffragiis creati) habuerint, pullarios auspicii causa in coloniis deducendis concedere, eorum potestatem verbo prætoriam et quinquennalem, revera regiam et sempiternam esse; postremo ornari apparitoribus, scribis, librariis, architectis, mulis, tabernaculis, supellectili, item ducentis ex equestri ordine ministris et satellitibus potestatis, 13. Infinitam vero hanc potestatem esse docetur, quum iis concedatur jus innumerabilis pecuniæ de vectigalibus alienandis conficiendæ; cognitionis sine consilio, pœnæ sine provocatione, animadversionis sine auxilio; jus magistratus gerendi, causam non dicendi, agros a quibus velint, quo velint magno pretio emendi, colonias reducendi, liberos populos agris multandi, regna denique vel dandi, vel alienandi, cap. eod. In quibus primum Cicero graviter reprehendit illud, quod lex decemviris permittat infinite omnia vendere, de quibus vendendis SCta facta sint M. Tullio, Cn. Cornelio coss. deinde quod in illo legis carmine: «qui agri, quæ loca, quæ ædificia, aliudve quid», his verbis «aliudve quid» significetur nihil exceptum esse quod decemviri vendere non possint. Hoc enim capite omnes gentes,

nationes, provincias, regna decemvirorum ditioni, judicio et potestati permitti et condonari, 14-17. Accedere quod Rulli lex vectigalia populi romani tollat, et nervos reipublicæ incidat, 18-20; quod decemviris permittatur, ut agros et ædificia vendant, quibuscumque in locis videatur, ut omnes agros extra Italiam infinito ex tempore vendant (in quo duplex exceptio agri in Sicilia Recentorici, et agrorum de quibus fœdere cautum sit, dijudicatur), 21, 22; quod aurum, argentum ex præda, ex manubiis, ex auro coronario, ad quoscumque pervenerit, neque relatum sit in publicum, neque in monumento consumptum, imperatores apud decemviros profiteri, et ad eos referre jusserit; in quo etsi Pompeium exceperit, tamen quum caverit, ut si qua pecunia posthac ex novis vectigalibus recipiatur, ea decemviri utantur, simul etiam remissis Pompeio manubiis, tamen vectigalia ejus virtute parta decemviris attribuantur, 23. Jam quum lex Rulli agraria jubeat immensa ista pecunia agros emi, quo coloni ex plebe romana deducantur, primo reprehendit orator nec locum et situm agrorum, neque vero naturam definiri; itaque alios ut Sullanos agros, propter invidiam, alios autem incultos propter sterilitatem, alios vastos ac desertos propter pestilentiam fugiendos esse ostendit, ideoque hortatur Quirites, ut potius istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum ceterorumque commodorum retineant, quam relictis his rebus in Sipontina siccitate, aut in Salapinorum pestilentiæ finibus, Rullo duce, se collocari patiantur, 24-27. Denique monet ut cogitent, quum decemviri ex lege agraria omnem pecuniam, totamque Italiam suis opibus obsessuri sint, periculum esse, ne omnem populi libertatem suis præsidiis et coloniis teneant interclusam, 28. Quod autem Rullus lege sua agrum Campanum se divisurum denuntiet, et Capuam coloniam deducturum, id nec ad commodum aliquod plebis, nec ad amplitudinem ac dignitatem reipublicæ pertinere. Quinque millia enim colonorum lege Rulli Capuam scribi; integris, quietis, otiosis hominibus in hoc numero locum non fore, sed v hominum millibus ad vim, facinus cædemque delectis locum atque urbem, quæ bellum facere possit, quæri, 29. Ac si posset ager Campanus ad universam plebem pervenire, exspectandum tamen esse, ut Quirites eum

totum in patrimonio populi romani remanere malint, quam fundum illum pulcherrimum, caput pecuniæ publicæ, pacis ornamentum, præsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonæ disperire patiantur, 30. Homines enim hunc agrum, si divisus fuerit, possessuros, ad vim promptos et ad seditionem paratos; eosque paucos esse, opibus et copiis affluentes; reliquis glebam nullam de paternis atque avitis possessionibus relictum iri, 31. Imo si Campanus ager dividatur, exturbari potius et expelli plebem ex agris, quæ nunc eum conduxerit et locatione perpetua vectigalem colat, non constitui in eo et collocari, 32. Denique periculosum esse Capuam urbem expulsis aratoribus, et effusis ac dissipatis vectigalium fructibus quasi sedem novæ reipublicæ constituere, et tamquam molem contra veterem rempublicam comparare, 33-35.

In conclusione breviter omnia incommoda repetit, ex lege Rulli agraria metuenda, ejusque stultam importunitatem castigat, seque fortiter ei resistendo, paci, tranquillitati, otio populi diligenter provisurum esse pollicetur, 36, 37.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

DE LEGE AGRARIA,

CONTRA

P. SERVILIUM RULLUM AD POPULUM,

ORATIO SECUNDA.

ORATIO SEXTADECIMA.

I. Est hoc in more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ii, qui beneficio vestro imagines [1] familiæ suæ consequuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant. Qua in oratione nonnulli aliquando digni majorum loco reperiuntur; plerique autem hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum debitum [2] esse videatur, unde etiam, quod posteris solveretur, redundaret. Mihi quidem apud vos de meis majoribus di-

I. 1. *Imagines.* Dictatura, censura, consulatus, prætura, ædilitas ipsa jus imaginum dabant. Novi homines quibus populus nullam dignitatem concesserat nullas imagines, nisi suas ponere poterant. Qui ignobiles dicebantur, ne hanc quidem copiam habebant.

2. *Majoribus eorum debitum.* Nobiles his verbis in odium adducere velle videtur; quod plerique tanto apparatu majorum suorum res gestas commemorando, declarant tantum populo familiæ suæ esse debitum, ut aliquid adhuc supersit sibi solvendum.

cendi facultas non datur[3]: non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis; sed quod laude populari[4], atque honoris vestri luce caruerunt. De me[5] autem ipso, vereor, ne arrogantis sit, apud vos dicere; ingrati, tacere. Nam et, quibus studiis[6] hanc dignitatem consequutus sim, memet ipsum commemorare, perquam grave est; et silere de tantis vestris beneficiis nullo modo possum. Quare adhibebitur a me certa ratio moderatioque dicendi, ut, quid a vobis acceperim, commemorem; quare dignus vestro summo honore singularique judicio sim, ipse modice dicam, si necesse erit; vos[7] eosdem existimaturos putem, qui judicavistis[8].

Me perlongo intervallo[9] prope memoriæ, temporumque nostrorum, primum hominem novum, consulem fecistis; et eum locum, quem nobilitas præsidiis firmatum, atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce, rescidistis, virtutique in posterum patere voluistis. Neque me tantummodo consulem, quod est ipsum per sese amplissimum, sed ita fecistis, quomodo

3. *Facultas non datur.* Quum ait se de suis majoribus non dicturum, addit non quod ignobiles aut perditi fuerint, sed quod vitam honestam quidem, sed obscuram traduxerint.

4. *Laude populari.* In municipali republica Ciceronis avus ætatem egit; ibi Gratidio tabellariam legem ferenti restitit; fuit Scauro senatus principi notus. Pater vero, quum infirma esset valitudine, ætatem literis deditus egit, familiarisque L. Crasso oratori fuit.

5. *De me autem ipso.* Multi sæpius Ciceroni exprobravere nimium illud suæ laudis studium; sed hic necesse erat, ut de se verba faceret, illudque summo artificio summaque moderatione egit.

6. *Quibus studiis.* Cicero enim unanimi plebis consensu consul fuerat creatus.

7. Alii ex uno codice post Grævium, «ut, si necesse erit, vos». Minus recte. J. V. L.

8. *Qui judicavistis.* Qui honores mihi tribuendos decrevistis.

9. *Me perlongo intervallo.* Oratorie magis quam vere; nam C. Celius Caldus, homo novus, consul fuerat electus, triginta ante Ciceronem annis.

pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus ante me nemo[10].

II. Nam profecto[1] si recordari volueritis de novis hominibus, reperietis, eos, qui sine repulsa consules facti sint[2], diuturno labore atque aliqua occasione esse factos, quum multis annis post petissent, quam prætores fuissent, aliquanto serius, quam per ætatem ac per leges[3] liceret; qui autem anno suo petierint, sine repulsa non esse factos : me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possimus[4], qui consulatum petierim, quum primum licitum sit; consul factus sim, quum primum petierim : ut vester honos ad mei temporis diem[5] petitus, non ad alienæ petitionis occasionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur. Est illud amplissimum[6], quod paullo ante com-

10. *Novus ante me nemo.* Cicero enim hæc in Pisonem de se ait : « me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas, non prius tabella quam voce priorem me consulem declaravit. » Marius quoque, novus homo, magna populi in eum voluntate, sed non tanta quanta Cicero, est consul creatus. Nam consulatum non anno suo, sed Jugurthini belli occasione, et perpetuis suis in senatores concionibus est adeptus.

II. 1. *Nam profecto.* Hic orator, quo beneficium populi erga se magnificentius appareat, ceteros omnes novos homines elevat, qui consulatum occupavere. Namque ait, aut, quum petiere, sunt repulsi et in alterum annum dilati; aut si, quod postulaverunt, statim fuit concessum, ratione aliqua populus est impulsus, ut illis honorem illum præclarissimum mandaret. Hic C. Marium intelligit, qui consul ob Jugurthinum bellum creatus est, postquam septem annis post præturam omnino jacuisset.

2. Vulgo *sunt*. J. V. L.

3. *Per leges.* Annales leges intelligit, quæ consulatum certis annis propter nimiam juventutis petulantiam definiebant.

4. Alii, *possumus*. J. V. L.

5. *Mei temporis diem.* Si petiit simul ac fuit licitum, justissime egit, nec alterius consulatum intercepit. Nam qui alium in annum differtur, ille debitam alteri, quum magistratum obtinet, sedem occupat, quum non sit tempore suo electus. Quum autem Cicero, quando petiit, electus est, certissimum eum tantum honorem, non precibus, sed meritis et dignitate sua impetravisse.

6. *Est illud amplissimum.* Se novum hominem, tanto populi studio creatum jactat; inde præsertim quod non tabellis, sed clara voce sit creatus,

memoravi, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primum me, multis post annis[7], affecistis; quod prima petitione; quod anno meo: sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam[8], vindicem tacitæ libertatis, sed vocem vivam præ vobis, indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum, tulistis. Itaque me non extrema tribus suffragiorum[9], sed primi illi vestri concursus, neque singulæ voces præconum, sed una voce universus populus romanus consulem declaravit.

Hoc ego[10] tam insigne, tam singulare vestrum beneficium, Quirites, quum ad animi mei fructum atque lætitiam duco esse permagnum, tum ad curam sollicitudinemque multo majus. Versantur enim, Quirites, in animo meo multæ et graves cogitationes, quæ mihi

unde manifestum fuit populi erga ipsum studium. Amplissimum autem illud oratorie prædicit, quod certe illud multo magis est amplum quum quis consulatum non petens obtinet, aut quum legibus solutus, consul ante ætatem creatur, ut quondam pro P. Scipione actum.

7. Alii perperam, ut videtur, *multis posthabitis*. J. V. L.

8. *Tabellam*. Illud in mandandis magistratibus primum usurpavit lege Gabinia populus romanus; in tabulis nomina candidatorum, sed primis tantum literis scribebantur.

9. *Non extrema tribus suffragiorum*. Transposita illa verba sic ad sensum sunt restituenda, suffragia extremæ tribus, id est, suffragia centuriarum quas extrema tribus continebat; namque Cicero consul fuerat creatus, in comitiis per centurias, non vero per tribus. — *Singulæ voces præconum*. Populo sane cujusque centuriæ suffragia renuntiantium. Locus ille indicat Ciceronem suffragia primarum centuriarum obtinuisse, et ideo non necesse fuisse ad extremas usque rem producere; populumque romanum non contentum fuisse consulem eum suffragiis declarare, sed clamoribus et plausibus etiam eum salutasse.

10. *Hoc ego*. Postquam tot tantaque in se collata beneficia populi romani enumeravit orator, quæ propensam in se plebis voluntatem tam manifeste testantur, declarat se quoque hæc omnia accepisse tamquam impositum grato animo onus, et omnis se acturum quæ populo tale beneficium possint exsolvere: nullo modo poterat callidius hanc brevem rerum suarum amplificationem concludere, quam profitendo, se optime quanti pretii plebis gratia sit habenda cognoscere, seque consulem non ad otium animi et lætitiam, sed ad reipublicæ tutelam et defensionem esse creatum.

nullam partem neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impertiunt: primum tuendi consulatus; quæ quum omnibus est difficilis et magna ratio, tum vero mihi præter ceteros; cui errato, nulla venia; recte facto, exigua laus et ab invitis expressa proponitur; non, dubitanti fidele consilium; non, laboranti certum[11] subsidium nobilitatis ostenditur. Quod si solus in discrimen aliquod adducerer, ferrem, Quirites, animo æquiore: sed mihi videntur certi homines[12], si qua in re me non modo consilio, verum etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi. Mihi autem, Quirites, omnia potius perpetienda esse duco, quam non ita gerendum consulatum, ut in omnibus meis factis atque consiliis vestrum de me factum consiliumque laudetur.

III. Accedit etiam ille mihi summus labor ac difficillima ratio consulatus gerendi, quod non eadem, qua superioribus consulibus, lege et conditione utendum esse decrevi: qui aditum hujus loci[1] conspectumque vestrum partim magnopere fugerunt, partim non vehementer sequuti sunt. Ego autem non solum hoc in loco dicam, ubi est id dictu facillimum[2], sed in

11. *Certum subsidium.* Hoc senatoribus nobilibusque erat usitatum, ut numquam novos homines, rebus etiam difficillimis impeditos, adjuvarent, quamquam de iis reipublicæ salus penderet. Itaque profitetur consulatum suum hoc ipso fore difficillimum, quod tanto populi studio creatus, magnam de se spem concitaverit, quæ sit adimplenda; deinde quod, tempore difficillimo, nullum consilium, nullum præsidium in senatu reperiat.

12. *Certi homines.* Nobiles quibus me antetulistis.

III. 1. *Qui aditum hujus loci.* Raro consules ad rostra prodibant, tribunorum plebis sedem. Quumqua a nobilitate et paucorum studio erant creati, iis tantummodo favebant. Cicero autem, ut sibi favorem conciliet, se popularem consulem fore declarat; non eum vero qui insano in plebem studio raptus ei inserviat, sed qui turbulentis factionibus et iis, qui ambitioni suæ popularium nomen prætendunt, resistere audeat; contraque legem tendat, quæ, quamvis reipublicæ favere videatur, tamen omnino paci et populo sit infesta.

2. *Dictu facillimum.* Vos enim li-

ipso senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem[3] me futurum esse consulem, prima mea illa oratione kalendis[4] januariis dixi. Neque enim ullo modo facere possum, ut, quum me intelligam, non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi romani judicio consulem ita factum, ut nobilissimis hominibus longe præponerer, non et in hoc magistratu, et in omni vita sim[5] popularis.

Sed mihi ad hujusce verbi vim[6] et interpretationem vehementer opus est vestra sapientia[7]. Versatur enim magnus error, propter insidiosas nonnullorum simulationes; qui quum populi non solum commoda, verum etiam salutem oppugnant et impediunt, oratione assequi volunt, ut populares esse videantur. Ego qualem kalendis januariis acceperim rempublicam, Quirites, intelligo; plenam sollicitudinis[8], plenam timoris; in qua nihil erat mali, nihil[9] adversi,

bentissime auditis eos qui se coram vobis populares profitentur, dum non eadem est apud senatores copia, quia ibi sunt invisi populares.

3. *Popularem.* His verbis orator mire sibi favorem populi conciliat, quum enim hanc legem impugnaturus est, quam tribuni plebis ei maxime faventem jactitavere, necesse est, ut omnium in se studium concitet, animosque sibi devinciat, antequam rem aggrediatur, eosque a proposita lege deterreat.

4. Alii, *januarii.* J. V. L.

5. Olim *essem*, quod Lambin. jam mutaverat. J. V. L.

6. *Ad hujusce verbi vim.* Nunc quum animos tam suavi exordio deliniit, causam orditur protinus, et demonstrat quantum se inter et Rullum sit intervallum qui, ostentatione tantum popularis, rempublicam falsis nominibus perturbare conetur.

7. *Vestra sapientia.* Maxime populo judicio est opus, ut tenebras quibus circumducitur, discutiat, et insidias illas quas ficti populares ei tendunt, præoccupet et antevertat; nec tam jactato illo popularium nomine decipiatur, antequam plane qui sint animi cognoverit.

8. *Plenam sollicitudinis.* Illorum agendi rationem plebi exponit, qui rempublicam omni modo, et legibus, et seditionibus quum perturbent, populares haberi volunt; dum ille est vere popularis, qui pacem reipublicæ commodis suis anteponit, omniaque mala a populo, nec sua jactitans beneficia, arcet.

9. *Nihil adversi.* Hic orator invidiam in Rullum et ceteros consiliorum ejus

quod non boni metuerent, improbi exspectarent. Omnia turbulenta consilia contra hunc reipublicæ statum, et contra vestrum otium partim iniri, partim, nobis consulibus designatis, inita esse dicebantur. Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novæ calamitatis, sed suspicione[10], ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum : novæ dominationes[11], extraordinaria, non imperia, sed regna, quæri putabantur.

IV. Quæ quum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem (neque enim obscure gerebantur); dixi in senatu[1], in hoc magistratu me popularem consulem futurum. Quid enim est tam populare[2], quam pax? qua non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta[3] atque agri mihi lætari videntur. Quid

fautores concitat, quos esse tamquam tot seditionum auctores, aut ministros subjicit. At illud oratorie magis est et elate quam vere; nam tacitæ illæ discordiæ potius ex miserrimis temporibus, quam ex agrariæ legis vitio oriebantur.

10. *Sed suspicione.* Multo gravius esse malum demonstrat, quod non manifesta ex causa proficiscatur, cui mederi possit, sed quia animi solliciti sint et anxii, rebusque diffidentes omnibus, neque satis appareat unde periculum oriatur, omniaque sint populo reformidanda. Sic evenerat, ut, quum tabulas quæ æs alienum abolerent, brevi prolaturi dicerentur tribuni, debitores earum exspectatione non illud exsolverent.

11. *Novæ dominationes.* Decemvirorum nimiam intelligit potestatem, de quibus vere regio cum imperio creandis Rullus promulgaverat.—*Extraordinaria.* Usitata enim tribunorum et consulum sunt imperia, non idem vero de decemviris nec solitis, nec legitimis. — *Regna.* Invisum maxime populo regis nomen erat, itaque illud Rullo Cicero obiter imponit, quo leges ejus multo minus populo possint placere et comprobari.

IV. 1. *Dixi in senatu.* Kal. januar. quo die magistratum suum inchoavit : locus ille injuria temporum ex oratione ad senatum intercidit.

2. *Quid est tam populare.* Ea omnia enumerando quæ populo gratissima sunt, dat intelligendum iis Rullum esse inimicum, seque horum esse propugnatorem, ideoque multo magis quam tribunus, popularem.

3. *Sed etiam tecta atque agri mihi lætari videntur.* Quum enim omnia bello exardent, campique squalent inculti, subversaque jacent tecta, quodam modo tristitiam explicant; dum contra quum, florente pace, omnia culta opimisque onerata messibus videas, dicas pacis quoque hæc testari ac prædicare felicitatem.

tam populare, quam libertas[4]? quam non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expeti[5], atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quam otium? quod ita jucundum est, ut et vos, et majores vestri, et fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse, præsertim in imperio[6] ac dignitate: qui idcirco etiam majoribus nostris præcipuam laudem gratiamque debemus, quod eorum labore est factum, ut impune[7] in otio esse possemus. Quare qui possum non esse popularis, quum videam hæc omnia, Quirites, pacem externam[8], libertatem propriam generis ac nominis vestri, otium domesticum, denique omnia, quæ vobis cara atque ampla sunt, in fidem[9] et quodam modo in patrocinium mei consulatus esse collata? Neque enim, Quirites, illud vobis jucundum aut populare debet videri, largitio aliqua promulgata[10], quæ verbis ostentari potest, re vera fieri, nisi exhausto ærario, nullo pacto potest. Neque vero illa popularia

4. *Quam libertas.* Subjicit hanc a Rullo impugnari.

5. *Bestiis expeti.* Quæ enim captæ claustra omni ope nituntur dirumpere, sæpeque interfici quam servire malunt.

6. *In imperio.* Utraque vetus Venet. omittit *in*.

7. *Impune.* Tam late enim romani nominis terrorem tulere, ut nullus populus sit qui audeat pacem hanc nostram armis turbare.

8. *Pacem externam.* Cum nationibus ceteris. Hanc brevi otio privato opponit. Quæ omnia latores illi legis novæ opprimere tentant, decemviros constituendo, qui summum imperium in fortunas et forsan in capita nostra habeant.

9. *In fidem.* Rempublicam omnem tamquam clientem hic indicat; quumque præcipuum patroni munus sit clientem modis omnibus ab injuria vindicare, significat se creditam sibi publicam sortem omni ope defendere ac tueri.

10. *Largitio aliqua promulgata.* Quum populo ostendit in quo constet verum populi studium, quidque sit vere populare, ei quidquid Rullus paraverit, explicat; ab eoque petit, an populares sint rerum eversiones seditionesque, quæ nihil populo nisi nova mala ruinamque forte minantur. Hac vivida popularium rerum imagine, maximum in tribunum odium conflat, quum ostendit omnia quæ agat, iis esse omnino adversa, quæ populi felicitatem possint comparare.

sunt existimanda, judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmationes[11], restitutio damnatorum : qui civitatum afflictarum, perditis jam rebus, extremi exitiorum[12] solent esse exitus. Neque si qui agros populo romano pollicentur[13], si aliud quiddam[14] obscure moliuntur, aliud spe ac specie simulationis ostentant, populares existimandi sunt.

V. Nam vere dicam, Quirites, genus ipsum legis agrariæ vituperare non possum. Venit enim mihi in mentem, duos clarissimos[1], ingeniosissimos, amantissimos plebis romanæ viros, Tib. et C. Gracchos, plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur. Non sum autem ego is consul, qui, ut plerique, nefas esse arbitrer, Gracchos laudare; quorum consiliis, sapientia, legibus, multas esse video reipublicæ partes constitutas[2]. Itaque, ut initio mihi, designato consuli[3], nuntiabatur, legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere; cu-

11. *Rerum judicatarum infirmationes.* Quia tribuni, ut in Actione ad senatum vidimus, leges tulerant, ut filii proscriptorum honores occuparent, multasque alias novas res proposuerant, quæ statum reipublicæ commutarent, inusitatum judicii et imperii genus constituendo.

12. *Exitiorum.* Lamb. verbum illud vult amoliri.

13. *Pollicentur.* Indicat largitionem illam agrorum fictam esse insidiosam, quippe tribunus ceterique decemviri, postquam imperium in manu habuerint, sibique omnino deditos Urbi huic circumdederint, occulta consilia patefacient, suis tantum commodis invigilaturi.

14. *Si aliud quiddam.* Ambæ Venet. « sed si aliud quidem ».

V. 1. *Duos clarissimos.* Lex Agraria populo semper exspectata grataque fuit; itaque orator, ut optime rei suæ inserviat, nequit eam fronte adversa impugnare; inde geminos Gracchos laudat populo charissimos, ut ipse quoque plebi placeat; nam Gracchorum laudes a consule in concione publica celebratæ, vulgi animos maxime erant commoturæ, quum numquam tale ex ore optimatum audiissent.

2. *Partes constitutas.* Quum multæ leges a Gracchis fuerint prolatæ, de rebus et civilibus, et militaribus, novam, si omnes fuissent acceptæ, rempublicam constituissent.

3. *Designato consuli.* Antequam Serviliam illam legem impugnet, quamdam narrationem præponit, quæ sibi omnium animos conciliet, ab aliis vero avertat. Etenim tribunos in tenebris rem agitantes demonstrat, seque fidum

piebam, quid cogitarent, cognoscere. Etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis essent magistratus, esse aliquam oportere inter nos reipublicæ bene administrandæ societatem. Quum familiariter me in eorum sermonem insinuarem ac darem, celabar, excludebar; et, quum ostenderem, si lex utilis plebi romanæ mihi videretur, auctorem me atque adjutorem futurum[4], tamen aspernabantur hanc liberalitatem meam; negabant, me adduci posse, ut ullam[5] largitionem probarem. Finem feci offerendi mei, ne forte mea sedulitas aut insidiosa, aut impudens videretur. Interea non desistebant clam inter se convenire, privatos quosdam adhibere, ad suos cœtus occultos noctem adjungere, et solitudinem[6]. Quibus rebus quanto in metu fuerimus, ex vestra sollicitudine, in qua illis temporibus fuistis, facile assequi conjectura poteritis.

Ineunt tandem[7] magistratus tribuni plebis; concio tandem exspectata[8] P. Rulli, quod et princeps erat agrariæ legis, et truculentius se gerebat, quam ceteri. Jam designatus, alio vultu[9], alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore

omnino et integrum, nihil ex eorum consiliis umquam cognovisse, quamvis suam eis opem fuerit pollicitus.

4. *Auctorem me atque adjutorem futurum.* Tota hac narratione odium in tribunos concitat; namque si tribuni plebis bonam legem fuissent laturi, quare consulis auctoritatem et patrocinium recusassent?

5. *Ut ullam.* MSS plures et edd. *illam.*

6. *Solitudinem.* Non animos cessat in legem illam commovere; toto enim hoc capite, tribunum tamquam insidiatorem depingit, noctu ac tenebris illa molientem, quæ tandem clara luce eruperunt.

7. *Ineunt tandem.* Sicuti ante consules tribuni designabantur, ita ante eos magistratum inibant.

8. Guliel. conj. *exspectatur.* J.V. L.

9. *Alio vultu.* Qui populi captabant animos, veterum non tantummodo mores, sed et habitum quoque corporis et cultum mentiebantur, quo integram majorum mentem referre viderentur. Itaque Rullus, tamquam uni legi studeret, corporis curam neglexerat, quo majorem de se spem et fidem concitaret.

inculto et horrido, capillatior, quam ante, barbaque majore: ut oculis et adspectu denuntiare omnibus vim tribunitiam, et minitari reipublicæ videretur. Legem hominis concionemque exspectabam. Lex initio nulla proponitur: concionem [10] in primis advocari jubet. Summa cum exspectatione concurritur. Explicat orationem [11] sane longam, et verbis valde bonis. Unum erat, quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset, quid diceret: hoc ille utrum [12] insidiarum causa fecerit, an hoc genere eloquentiæ delectetur, nescio. Tamen, si qui acutiores in concione steterant, de lege agraria nescio quid voluisse eum dicere, suspicabantur. Aliquando tandem, me designato, lex in publicum proponitur [13]. Concurrunt jussu meo plures uno tempore librarii: descriptam legem ad me afferunt.

VI. Omni hoc vobis ratione [1] confirmare possum, Quirites, hoc animo [2] me ad legendam legem cognoscendamque venisse, ut, si eam vobis accommodatam

10. *Concionem.* Invidia hoc verbo in Rullum concitatur, qui non ausus est legem promulgare, antequam verba apud populum fecerit. Etenim si justa lex erat, quidnam opus fuit animos ad eam accipiendam præparare, insidiosaque oratione circumvenire?

11. *Explicat orationem.* Quamquam primo oculorum conjectu, Rulli concionem laudare videatur orator; revera vituperat, ut quæ inani tantum verborum supellectile constaret, fictoque rerum apparatu, quæ si discutias, non apparebit etiam quid in mente destinatum habuerit tribunus, adeo legem hanc suam, quum etiam populo exponit, tenebris ac nocte involvit. Ironice verbum illud *mihi videbatur* addit, quasi minimum sit orationis incommodum, quid dicat orator non intelligere.

12. *Hoc ille utrum.* Utroque sensu est contemnendus; nam si populo insidiatur, exterminandus est; si hoc eloquentiæ genus ex proposito affectat, non est amplius audiendus.

13. *Lex in publicum proponitur.* Omnia legum capita populo scripta tradebantur, ut ea cognosceret, antequam ferret suffragia.

VI. 1. Lambinus sine libris, *asseveratione.* J. V. L.

2. *Hoc animo.* Omnia hæc præmittit orator, ut sibi populi magis ac magis conciliet animos, ostendatque se, quum legem impugnat, tantum studio

atque utilem esse intelligerem, auctor ejus atque adjutor essem. Non enim natura, neque discidio, neque odio penitus insito, bellum nescio quod[3] habet susceptum consulatus cum tribunatu, quia persæpe seditiosis atque improbis tribunis plebis boni et fortes consules obstiterunt, et quia vis tribunitia nonnumquam libidini[4] restitit consulari. Non potestatum dissimilitudo, sed animorum disjunctio dissensionem facit[5]. Itaque hoc animo legem sumpsi in manus, ut eam cuperem esse aptam vestris commodis, et ejusmodi, quam consul, re, non oratione, popularis, et honeste et libenter[6] posset defendere. Atque ego a primo capite legis[7], usque ad extremum, reperio, Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum[8], nisi ut decem reges, ærarii, vectigalium, provinciarum omnium, totius reipublicæ, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum, domini constituerentur, legis agrariæ simulatione atque nomine. Sic confirmo, Quirites, hac lege agraria, pulchra[9] atque populari,

in plebem duci, quippe qui legem illam justam bonamque esse votis omnibus cupiverit.

3. *Bellum nescio quod.* Inde odia illa consules inter et tribunos, oriebantur, quod alii populo, alii senatui summopere favere studebant. Et quum eorum quisque metueret, ne suam alter nimis augeret potestatem, indè fiebat, ut alter alteri obsisteret, nulla sæpissime de causa, nisi ut viam æmulo præcluderet.

4. *Libidini.* H. e. cupiditati.

5. *Facit.* Veteres libri habent, *fecit*, nec forsan male.

6. *Honeste et libenter.* Illud repetit quod jam supra exposuit, quodque maxime ad populi favorem captandum convenit. — *Honeste.* Habita consulatus ratione; quam defendere possem intacta magistratus mei dignitate. — *Libenter.* Studio tantum meo erga vos ductus; nec inani assentandi vobis cupiditate.

7. *Primo capite legis.* Ipse ad Attic. lib. III, scripsit, veterum tribunorum plebis rogatio tria capita habebat.

8. *Nihil aliud actum.* Nota verborum illorum incrementum, nam cogitare minus est quam suscipere, et suscipere minus quam agere.

9. *Pulchra atque populari.* Ironice. Nam quid populo magis infestum, quam lex illa, qua decem regibus,

dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia; ostentari populo romano agros, eripi etiam libertatem; privatorum pecunias augeri, publicas exhauriri; denique, quod est indignissimum, per tribunum plebis, quem majores præsidem libertatis[10] custodemque esse voluerunt, reges in civitate constitui. Quæ quum exposuero, si falsa vobis[11] videbuntur esse, sequar auctoritatem vestram, mutabo meam sententiam; sin insidias fieri libertati vestræ, simulatione largitionis, intelligetis, nolitote dubitare, plurimo sudore et sanguine majorum vestrorum partam, vobisque[12] traditam libertatem, nullo vestro labore[13], consule adjutore[14], defendere.

VII. Primum caput est[1] legis agrariæ, quo, ut illi putant, tentamini leviter, quo animo libertatis vestræ deminutionem[2] ferre possitis. Jubet enim TRIBUNUM

totius reipublicæ opes permittuntur, potestasque datur ut in ærarium orbisque terrarum opes irrumpant.

10. *Præsidem libertatis.* Quum plebs romana impari se jure contra patres tueretur, atque pulsis regibus paucis senatoribus servire cogeretur, secessione facta, tribunos plebis creavere, quasi propugnaculum contra latius grassantem senatorum potestatem. Nunc quam indignum est hos ipsos qui a populo fautores libertatis sunt creati, illudque ei acceptum referre debent, ad id unum studere ut sibi creditam plebem exhauriant, in eamque opprimendam reges constituant.

11. *Si falsa vobis.* Hoc ratiocinio, si falsa profero, vobis credam; si vera, necesse est ut vos verba mea sequamini.

12. Gruterus, *nobisque*, quod parum cum ceteris convenit. J. V. L.

13. *Nullo vestro labore.* Populum in tribunos incitando, eum admonet, ne libertatem suam ipse defendat, armaque contra tribunum capessat. Namque inde gravissima mala potuissent exoriri.

14. *Adjutore.* Ernest. legendum putat *auctore.* J. V. L.

VII. 1. *Primum caput est.* Quamvis tria capita Cicero in ep. ad Attic. legi huic adscripserit, opinor quatuor fuisse, unum de decemviris, alterum de conficienda pecunia, tertium de emendis agris, quartum de deducendis coloniis. Orator antequam legem impugnaret præconi mandabat, uti legem recitaret, recitatam ipse discutiebat.

2. *Deminutionem.* Non aperte lege violabatur libertas, sed revera imminuebatur; etenim quum Rullus suffragii jus multis eriperet, libertatem paullatim constringebat, et quum turpissimum populo esset suffragio privari, maximum ei dedecus hac lege inurebatur.

PLEBIS, QUI EAM LEGEM TULERIT, CREARE DECEMVIROS PER TRIBUS SEPTEMDECIM, UT, QUEM NOVEM TRIBUS FECERINT, IS DECEMVIR SIT. Hic quæro, quam ob causam initium rerum ac legum suarum hinc duxerit, ut populus romanus suffragio privaretur[3]. Toties legibus agrariis curatores[4] constituti sunt, triumviri[5], quinqueviri, decemviri: quæro a populari tribuno plebis, ecquando, nisi per XXXV tribus, creati sint. Etenim quum omnes potestates[6], imperia, curationes ab universo populo romano proficisci convenit, tum eas[7] profecto maxime, quæ constituuntur ad populi fructum aliquem et commodum; in quo et universi deligant[8], quem populo romano maxime consulturum putent, et unusquisque studio et suffragio suo viam sibi ad beneficium impetrandum munire[9] possit. Hoc tribuno plebis potissimum venit in mentem, populum romanum universum privare suffragiis, paucas tribus, non certa conditione juris[10], sed sortis

3. *Suffragio privaretur.* Si non totus, maxima saltem ex parte. Etenim populus romanus triginta et quinque tribubus constabat, et Rullus septemdecim tantum exposcebat. Caius Tiberiusque Gracchus qui legem agrariam tulerant, triumviros ab omni populo creari jusserant. Et quum lege Rulli tantum novem tribubus ad decemvirum creandum esset opus, ceteri omnes suffragii jure erant dejecti.

4. *Curatores constituti sunt.* Qui populum in colonias deducerent agrosque ei assignarent.

5. *Triumviri.* Triumviri et quinqueviri Nepesino et Pontino agro dividendo; decemviri autem, Ligustico, et Gallico partiendo, fuere præpositi.

6. *Potestates.* Cum potestate erant, qui rei alicui a populo præficiebantur; cum imperio autem, quibus nominatim a populo mandatum munus erat.

7. *Tum eas.* Curationes scilicet agrorum, et coloniarum deductiones.

8. *Universi deligant.* Non tantum tribunus populum suffragio privavit, sed etiam quæ suffragia darent tribus, non antiquissimas aut sapientissimas elegit, sed eas quas sors duceret, ita ut reipublicæ fata ex novem tribubus pessimis forsan nunc pendeat.

9. *Munire possit.* Quum decemviri agros sint divisuri populo, civis quisque in suffragio ferendo, iis assentari conabitur, ut ei largiatur postea, quum imperium obtinuerit. Inde eveniet ut suffragia quodammodo libera non futura sint.

10. *Conditione juris.* Conditio certa juris esset, si nominatim septemdecim

beneficio, fortuito[11], ad usurpandam libertatem vocare!

Item, inquit, eodemque modo[12], capite altero, ut comitiis pontificis maximi[13]. Ne hoc quidem vidit, majores nostros tam fuisse populares, ut, quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen, propter amplitudinem sacerdotii, voluerint populo supplicari[14]. Atque hoc idem de ceteris sacerdotiis[15] Cn. Domitius, tribunus plebis, vir clarissimus, tulit: quod populus, per religionem, sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur; ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur. Videte, quid intersit inter Cn. Domitium, tribunum plebis, hominem nobilissimum, et P. Rullum, qui tentavit, ut opinor, patientiam vestram, quum se nobilem[16] esse diceret. Do-

tribus Rullus elegisset; sed sorti reipublicæ fortunam committit. Inflat sane et auget orator erratum illud Rulli. Namque sorti illud permiserat, ne tribum aliquam anteponere videretur, nec incusari posset quasdam sibi devotas aut corruptas tribus ad peragenda consilia seposuisse.

11. Habent *fortuitu* aliquot MSS. Probat Gœrenz. ad Cic. de Finibus, V, 11. J. V. L.

12. Hic sine causa glossam vident: formula est. J. V. L.

13. *Pontificis maximi.* Olim pontifex maximus a pontificum collegio tantummodo eligi poterat: attamen propter summam sacerdotii dignitatem et potentiam, decretum est ut a decem tribubus congregatis eligeretur, i. e. a minore populi parte, ut deinde a collegio pontificum cooptaretur. Tribunus vero plebis factus, Cn. Domitius Ænobarbus, pontificibus iratus qui noluerant eum loco patris sufficere, eos etiam libertate pontifices eligendi orbavit, jusque illud ad populum omne transtulit.

14. *Populo supplicari.* Hoc est, populum antea consulere. Hujus verbi vim omnem explicat orator pro Planc. cap. 4.

15. *De ceteris sacerdotiis.* Quum maximum pontificatum Cn. Domitius plebis suffragiis commisisset, ceteros postea omnes creandos pontifices populo permisit, absque ulla pontificum intercessione.

16. *Quum se nobilem.* Quinta Philippica, cap. 17, orator Rulli nobilitatem agnoscit, de qua dubitare se ibi simulatur. Rullus a Servilia gente erat ortus; Plinius, lib. VIII, cap. 51, P. Servilium Rullum patrem hujus tribuni nobilem esse narrat, eumque testatur, primum esse qui aprum totum mensæ suæ apposuerit.

mitius, quod per cærimonias[17] populi fieri non poterat, ratione assequutus est, ut id, quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret: hic, quod populi proprium semper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutavit, quin ii, qui populo agros essent assignaturi, ante acciperent a populo beneficium, quam darent; id totum eripere vobis, atque e manibus extorquere conatus est. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodammodo dedit; hic, quod adimi nullo pacto poterat potestate[18], quadam ratione eripere conatur.

VIII. Quæret quispiam, in tanta injuria tantaque impudentia quid spectarit[1]. Non defuit consilium[2]: fides[3] erga plebem romanam, æquitas in vos libertatemque vestram vehementer defuit. Jubet[4] enim, comitia decemviris habere creandis eum, qui legem tulerit. Hoc dicam planius. Jubet Rullus, homo non cupidus[5], neque appetens, habere comitia Rullum. Nondum reprehendo; video fecisse alios: illud, quod nemo fecit, de minore parte populi, quo pertineat, videte. Habebit comitia: volet eos renuntiare[6], qui-

17. *Per cærimonias*. Per religionem, quæ vetabat ne res sacræ a populo profano administrarentur.

18. Muretus, Var. lect. V, 5, docte conjicit, *poterat potestve*. Nihil forte mutandum, quamvis Beck. *potestate* uncis incluserit. J. V. L.

VIII. 1. *Quid spectarit*. Quem sibi finem in illa lege ferenda proposuerit; quum se tot opibus circumdederit, utilitatemne suam spectat, an vestram.

2. *Consilium*. Sed injustum quidem, namque omnia ad se contulit, nullamque populi et reipublicæ rationem habuit.

3. *Fides*. Namque libertatis custos ac propugnator a populo creatus, in hanc libertatem consilia agitat, eam tacite subvertit.

4. *Jubet enim*. Non ideo tam injuste egit, quod se comitiis præpositum esse tentet; nam et alii antea ita fecerant; sed quia septemdecim tribus quas volet educet.

5. *Homo non cupidus*. Fidem Rulli et integritatem in dubium ponere tentat; qui quum sit ita appetens, non verisimile est ut juste agat, quum tantam potestatem sibi creditam habuerit.

6. Codd. plerique et edd. ante Lambinum, *denuntiare*. J. V. L.

bus regia potestas hac lege quæritur. Universo populo neque ipse committit, neque illi horum consiliorum auctores committi recte putant posse. Sortietur tribus idem Rullus. Homo felix[7] educet, quas volet, tribus. Quos novem tribus decemviros fecerint, ab eodem Rullo eductæ; hos omnium rerum, ut jam ostendam, dominos habebimus. Atque ii[8], ut grati ac memores beneficii esse videantur, aliquid se novem tribuum notis hominibus[9] debere confitebuntur; reliquis vero sex et xx tribubus, nihil erit, quod non putent posse suo jure denegare. Quos tandem igitur decemviros creari vult? se primum[10]. Qui licet? leges enim sunt veteres, neque eæ consulares[11], si quid interesse hoc arbitramini, sed tribunitiæ, vobis majoribusque vestris vehementer gratæ atque jucundæ. Licinia[12] est lex, atque altera Æbutia; quæ non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur. Etenim, si populo consulis[13], re-

7. *Homo felix.* Rullum innuit, sortis religionem violaturum, et ideo felicem vocat, quia quæ paraverit tribus ex urna nomina educet.

8. *Atque ii.* Necesse est ut mutuo inter se decemviri et tribus quæ eos elegerint, devincti sint fraudis commercio. Nam decemviri, largiendo agros, aut pluris emendo, civibus injuriæ pretium exsolvent. Unde oriri possunt gravissima, in nutante adhuc republica, discidia.

9. *Notis hominibus.* Gratiosis scilicet, quosque antea corrupere. Satis erat enim in quaque tribu conspicuos quosdam cives sibi deditos habere; quum hi suffragium dabant, eos vulgus omnis rerum ignarus sequebatur, et in sententiam una cum iis ibant; unde facillimum erat Rullo quos vellet, decemviros eligere.

10. *Se primum.* Non erat sane illud in lege tribuni constitutum; sed quum jam Gracchi simili tempore fecissent, Rullum orator conjicit vestigiis eorum institurum.

11. *Consulares.* Quas plebs forsan severiores arbitraretur, quod ab inviso plebi ordini fuissent prolatæ.

12. *Licinia.* C. Licinius Stolo legem tulit, quacum ipse fuit condemnatus; in ea decretum erat ne quis plus quam D jugera possideret.

13. *Consulis.* Si vis enim fidem facere, te pro utilitate tua non acturum, necesse est ut libenter te ex omni re removeas, ex qua fructum percipere potes amplissimum.

move te a suspicione alicujus tui commodi; fac fidem, te nihil, nisi populi utilitatem et fructum quærere; sine ad alios potestatem, ad te gratiam beneficii tui pervenire. Nam hoc quidem vix est liberi[14] populi, vix vestrorum animorum ac magnificentiæ.

IX. Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi suffragiis privavit[1]? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit[2], nullo custode[3] sortitus? Rullus. Quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? idem Rullus[4]. Quem principem[5] renuntiavit? Rullum. Vix, mehercule, servis[6] hoc eum suis, non vobis[7], omnium gentium dominis, probaturum arbitrarer. Optimæ leges[8] igitur hac lege sine ulla exceptione tollentur. Idem sibi[9] sua lege curationem petet; idem, majore parte populi suffragiis spoliata, comitia habebit; quos volet, atque in iis se ipsum renuntiabit: et videlicet collegas suos, adscriptores legis[10] agrariæ non repudiabit, a quibus

14. *Liberi populi.* Etenim ignavi tantum et cupidi est plebem vanis nominibus deceptam ita insidiis circumvenire, ut quum sua vobis commoda commiserit, vestræ tantum inserviatis utilitati. Præsertim quum vos jactitatis plebis unius causa vos agere.

IX. 1. Aliquot MSS et ed. 1481, *prohibuit.* J. V. L.

2. Cod. Erfurt. *evocavit.* J. V. L.

3. *Nullo custode.* Quum comitia Romæ haberentur, quidam viri his præpositi erant custodum nomine; horum partes erant prohibere, ne qua fraus ullo modo fieri posset.

4. Abest *Rullus.* J. V. L.

5. *Quem principem.* Primum decemvirum. — *Renuntiavit.* Præcones primum renuntiant quem quæque tribus aut centuria elegit. Quique comitia habet, populo magistratum eum renuntiat, quem plures elegerunt.

6. *Servis.* Tanta legis hujus est audacia et indignitas, ut eam ne servi quidem suscipere vellent. Nam per eam Rullus omnem sibi vindicat potentiam; vosne igitur omnium terrarum domini illud sancietis, quod homines vilissimi non ferrent?

7. Gulielm. conj. *ne vobis,* aut *nedum vobis.* J. V. L.

8. *Optimæ leges.* Ebutia scilicet et Licinia. — *Sine exceptione.* Funditus tollentur, ut nullum earum vestigium supersit.

9. Alii, *idem legis sibi.* J. V. L.

10. *Adscriptores legis.* Non Rullus hanc legem unus mente conceperat ordinaratque, fuerant et alii consilii

ei locus primus invidiæ in præscriptione legis[11] concessus est; ceteri fructus omnium rerum, qui in spe legis hujus positi sunt, communi cautione, atque æqua sibi[12] parte retinentur.

At videte hominis diligentiam[13], si aut Rullum cogitasse, aut si Rullo potuisse in mentem venire arbitramini. Viderunt ii, qui hæc machinabantur, si vobis ex omni populo deligendi potestas esset data, quæcumque res esset, in qua fides, integritas, virtus, auctoritas quæreretur, vos eam sine dubitatione ad Cn. Pompeium[14] principem delaturos. Etenim, quem unum ex cunctis delegissetis, ut eum omnibus omnium gentium[15] bellis terra et mari præponeretis; certe in decemviris faciendis, sive fides haberetur, sive honos, et committi huic optime, et ornari hunc justissime posse intelligebant. Itaque excipitur hac lege non adolescentia, non legitimum aliquod impedimentum, non potestas, non magistratus ullus, aliis negotiis ac legibus impeditus; reus[16] denique, quo minus decemvir fieri possit, non excipitur[17]. Cn. Pompeius excipitur, ne cum P. Rullo, taceo de ceteris, decemvir fieri possit. Præsentem eum profiteri jubet,

participes, qui licet Rullum legi nomen præponere sivissent, cum eo tamen in prædæ partem erant advocati.

11. Lallem. *in indice et in pr.* J.V.L.

12. Idem, *ei.* J. V. L.

13. *Hominis diligentiam.* Quam injuste Rullus egerit inde liquet; qui quum creandos magistratus juberet, absentes excepit, ne Pompeius qui tum Mithridaticum bellum conficiebat, a populo eligeretur. Dubitare videtur orator Rullum hæc mente concipere potuisse, sed omne hoc consilium ex iis oriri, qui Pompeio inimicissimi essent, quales Crassus et Lucullus.

14. *Cn. Pompeium.* Carissimus hoc tempore populo erat Pompeius, senatuique paullo invisus. Itaque popularem hic se orator profitetur quum eum extollit, quem plebs romana diligit, majoremque inde in Rullum concitat invidiam.

15. *Omnium gentium.* Pompeius enim bellum in Africa cum Domitio, in Hispania cum Sertorio, in mari cum piratis, in Asia cum Mithridate gesserat.

16. Alii, *non reus... possit.* J.V. L.

17. Aberat ante Grævium, *non excipitur.* J. V. L.

quod nulla alia in lege umquam fuit, ne in his quidem magistratibus, quorum certus ordo est. Timebat enim, Pompeius si adesset [18], ne ferri non posset; aut ne, si accepta lex esset, illum sibi collegam adscriberetis, custodem ac vindicem [19] cupiditatum.

X. Hic, quoniam video [1] vos hominis dignitate, et contumelia legis esse commotos; renovabo illud, quod initio dixi, regnum comparari, libertatem vestram hac lege funditus tolli. An vos aliter existimabatis, quum ad omnia vestra pauci homines [2] cupiditatis oculos adjecissent? non eos in primis id acturos, ut ex omni custodia vestræ libertatis, ex omni potestate, curatione, patrocinio [3] vestrorum commodorum Cn. Pompeius depelleretur? Viderunt, et vident, si per imprudentiam vestram, negligentiam [4] meam, legem incognitam acceperitis; fore, uti postea [5], cognitis insidiis, quum decemviros creraritis, tum vitiis omnibus, et sceleribus legis, Cn. Pompeii præsidium

18. Alii, *ne si adesset, ferri non posset*. J. V. L.

19. *Custodem ac vindicem*. Gravissime populum in legis latores hoc modo orator incitabat; ostendit enim Pompeium a magistratu prohibitum, tamquam qui unus grassantes in rempublicam refrenare ac coercere potuisset: tribunumque omni ope ad id enixum fuisse, ut in desertam destitutamque auxilio rempublicam, impetum possit acere.

X. 1. *Quoniam video*. Hic admurmuravit oratori concio, et commota est audita Pompeii injuria. Similis in lege Manilia locus ille quo ait: « vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini qui hæc fecerint ». Vocibus illis populum magis accendit.

2. Arroganter et stulte B. Weisk. « Hoc magis hebraicum est, inquit, quam latinum ». Cave aliquid mutes. J. V. L.

3. *Patrocinio*. Si enim vir æquissimus ille constitueretur decemvir, non iis liceret agros quibus vellent, adscribere, emereque et vendere prout libuerit.

4. *Negligentiam meam*. Si legis vitia non patefecissem, nec tacitas tribuni et collegarum mentes, flagitiaque aperuissem.

5. *Uti postea*. Duo legis latoribus erant metuenda. Primum ne lex rejiceretur, quod modis omnibus prohibere tentaverant, populum fallaci concione excitando ut eam decerneret; deinde ne quum lata foret, populus agnosceret, quæ mala sibi pararentur, eumque decemvirum constitueret, qui posset huic publicæ utilitati infensissimo tribuno obsistere.

opponendum putetis. Et hoc parvum argumentum vobis erit, a certis hominibus dominationem potestatemque omnium rerum quæri, quum videatis, eum, quem custodem vestræ libertatis fore videant, expertem fieri dignitatis?

Cognoscite nunc[6], quæ potestas decemviris, et quanta detur. Primum lege curiata[7] decemviros ornat. Jam hoc inauditum, et plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, qui nullis comitiis[8] ante sit datus. Eam legem ab eo prætore, qui sit primus factus[9], ferri jubet. At quomodo? « Ut ii decemviratum « habeant, quos plebs designaverit[10]. » Oblitus est, nullos a plebe designari. Et is orbem terrarum constringit novis legibus, qui, quod in secundo capite scriptum est, non meminit in tertio? Atque hic perspicuum est, quid juris[11] a majoribus acceperitis, quid ab hoc tribuno plebis vobis relinquatur.

XI. Majores de omnibus[1] magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam quum centuriata[2]

6. *Cognoscite nunc.* Hactenus de decemvirorum creatione egit, nunc eorum potestatem, quam metuenda futura sit, aperit.

7. *Lege curiata.* Hoc est, comitiis per curias. Qui modus creandorum magistratuum obsoletus erat, nam per centurias et per tribus sæpissime eligebantur.

8. *Nullis comitiis.* Namque tribus novem satis erant hac lege ut decemvir crearetur, unde fiebat ut revera populus suffragiorum jure fraudaretur.

9. *Primus factus.* Primus prætor dicebatur, qui suffragiorum legitimum numerum primus obtinuerat, ceteri deinde eodem ordine sequebantur.

10. *Plebs designaverit.* Falsum hoc omnino erat; namque, quum septemdecim tantum tribus ad ferenda suffragia adhiberentur, non populo, sed plebis parte minima decemviri erant creandi.

11. *Quid juris acceperitis.* Populum magis ac magis in tribunos acuit veterum libertatum recordatione, quas traditas a majoribus, longoque et salutari usu consecratas, tribunus evertere aggreditur, ut in earum locum servitium, miseriam et reipublicæ eversionem sufficiat.

XI. 1. *Omnibus.* Græv. recepit e codd. Palat. *singulis.*

2. *Centuriata.* Centuriata lex centuriatis comitiis designabatur. Quatuor erant apud Romanos comitiorum genera, curiata, centuriata, tributa, et calata. Prima per curias, altera per

lex censoribus [3] ferebatur, quum curiata ceteris patriciis magistratibus; tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. Nunc, quia prima illa [4] comitia tenetis, centuriata [5] et tributa; curiata tantum auspiciorum causa remanserunt. Hic autem tribunus plebis, quia videbat, potestatem neminem injussu populi aut plebis [6] posse habere, curiatis ea comitiis, quæ vos non sinitis [7], confirmavit; tributa, quæ vestra erant, sustulit [8]. Ita, quum majores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus judicare; hic homo popularis ne unam quidem [9] populo comitiorum potestatem reliquit. Sed videte hominis religionem [10] et diligentiam. Vidit, et perspexit, sine curiata

centurias, tertia vero per tribus, ut ex nomine liquet, agebantur. Qui vero calatorum modus fuerit apud plerosque incertum. Plures, nec immerito opinor, calata fuisse aiunt, quum populus promiscue sententiam ferebat. His flamines et sacerdotes, qui a collegio cooptati fuerant, et pontifices, qui tributis comitiis designati fuerant, inaugurabantur. Bis autem populus sententiam ferebat de quoque magistratu. Nam magistratus lege curiata vel centuriata creatus, iterum populi judicium centuriatis comitiis subibat. Centuriata illa comitia a Servio rege fuerant instituta.

3. Lambino placuit rescribere *consulibus*. J. V. L.

4. Schütz. libenter poneret *prima illa* ante *curiata tantum*. J. V. L.

5. *Centuriata*. Ciceronis temporibus, magistratus comitiis tributis aut centuriatis creabantur; comitia autem curiata sequebantur; nec jam ut olim antecedebant, et ad religionem tantum auspiciumque pertinebant.

6. *Populi aut plebis*. Notum est centuriata comitia vocari comitia populi, tributa vero plebis, quia ab humilioribus peragerentur. Minoribus autem magistratibus, utpote inauspicato creatis, auspiciorum causa curiatam ferri legem oportebat.

7. *Sinitis*. Pantagathus maluit *sivistis;* Lambinus, *tenetis;* Lauredanus, *initis*. J. V. L.

8. *Sustulit*. Maximam enim populi partem lege sua tribunus suffragio orbaverat.

9. *Ne unam quidem*. Nam vobis tributa ademit, curiata autem ingredi non soletis.

10. *Religionem*. Ironia est; religionem enim dicit propter legem curiatam, quæ ad religionem et auspicia pertinet; errant autem graviter qui legis curiatæ auspicia, ad ea pertinere putant quibus magistratus creabantur, quum jam creatis ferretur. Ad religionem autem et auspicia propter curiarum sacra pertinet. Eaque lege imperio et rei militari auspicabantur.

lege decemviros habere potestatem [11] non posse, quoniam per novem tribus essent constituti. Jubet ferre de his legem curiatam; prætori [12] imperat: quam id ipsum absurde [13], nihil ad me attinet; jubet enim, QUI PRIMUS SIT PRÆTOR FACTUS, EUM LEGEM CURIATAM FERRE; SIN IS FERRE NON POSSIT, QUI POSTREMUS SIT: ut aut lusisse [14] in tantis rebus, aut profecto nescio quid spectasse videatur. Verum hoc, quod est aut ita perversum, ut ridiculum, aut ita malitiosum, ut obscurum sit, relinquamus: ad religionem [15] hominis revertamur. Videt, sine lege curiata nihil agi per decemviros posse. Quid postea, si ea lata non erit? Attendite ingenium. TUM II DECEMVIRI, inquit, EODEM JURE SINT, QUO QUI OPTIMA LEGE. Si hoc fieri potest, ut in hac civitate, quæ longe jure libertatis ceteris civitatibus antecellit, quisquam nullis comitiis [16] imperium aut potestatem assequi possit, quid attinet, tertio capite legem curiatam [17] ferre

11. *Habere potestatem.* Nam decemviri, qui a minima populi parte erant creati, non legitimum certe imperium obtinebant; itaque opus erat ut lege curiata sanciretur eorum potestas.

12. *Prætori imperat.* Legem enim curiatam ferre tribunus non poterat, propter auspicium, quod nullum plebis est.

13. *Absurde.* Absurdum sane est, sic a primo ad postremum transire, quum ad secundum res illa pertinere debuerit, si primus recusasset.

14. *Lusisse.* Ridiculum certe est in tam gravi materia, res tamquam per jocum tractare, quod facere tribunus videtur, a primo ad postremum sic transeundo.

15. *Ad religionem.* Eum populo deridendum ostendit; sublata enim curiata lege, sensit decemviros nullam possidere auctoritatem; itaque eam a prætoribus ferri religiose jubet: qui vero si recusarent, cavit decemvirorum auctoritati, namque præcipit, ut sint eodem jure, quo qui optima lege fuerint creati. Optima lex hic significat eos, qui lege curiata, sine ullo vitio et intercessione, potestatem cum jure consequuntur.

16. *Quisquam nullis comitiis.* Quum enim maxima pars populi suffragiorum sit jure destituta, nulla sunt Rulli comitia.

17. *Curiatam ferre.* Quid opus est legem illam ferri, quum comitia, quæ eam antecellant, sint sublata; imperatumque sit, decemviros eamdem auctoritatem retinere, licet legem illam ferre prætores abnuerint.

jubere, quoniam quarto permittas, ut sine lege curiata idem juris habeant, quod haberent, si optima lege a populo essent creati? Reges[18] constituuntur, non decemviri, Quirites; iique ab his initiis fundamentisque nascuntur, ut non modo quum gerere cœperint, sed etiam quum constituentur, omne vestrum jus, potestas, libertasque tollatur.

XII. At videte[1], quam diligenter retineat jus tribunitiæ potestatis. Consulibus legem curiatam ferentibus, a tribunis plebis sæpe est intercessum. Neque tamen nos id querimur, esse hanc tribunorum plebis potestatem : tantummodo, si quis ea potestate temere est usus, existimamus[2]. Hic tribunus plebis lege curiata[3], quam prætor ferat, adimit intercedendi potestatem. Atque hoc quum in eo reprehendendum est, quod per tribunum plebis tribunitia potestas minuitur[4], tum in eo deridendum, quod consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem[5] militarem

18. *Reges constituuntur.* Quam enim auctoritatem exercebunt, qui sic sublatis legibus in medium procedunt? Quodnam erit horum hominum imperium quos tribunus fortunis nostris imponit? Num magistratus illi sunt, quorum nec populo, nec legibus, nec patrio more sit consecrata potestas? Reges igitur Romanis imponuntur, non magistratus, et quum sic auspicatam potentiam obtineant, metuendum est, ne postea eam, quum ab initio leges contemnere consueverint, in excidium reipublicæ convertant.

XII. 1. *At videte.* Ridicula sane est illa Rulli cautio; nam primo tribunitiæ potestati jus intercedendi adimit; deinde potestatem eamdem decemviris, ac si intercessum non esset, adscribit.

2. *Existimamus.* Pantagathus legendum putabat *exæstuamus*; aliis visum est excidisse *reprehendendum*, vel *querendum*, ante *existimamus.* Lambinus vulgatam defendit, et *existimamus* habet pro *censemus*, judicamus.

3. *Lege curiata.* Multi legendum censent *legi curiatæ.*

4. *Potestas minuitur.* Nam quis adeo stultus erit, qui huic legi intercedat, quum antea edictum fuerit, nihil hac intercessione agi posse? Nihil injustius enim erat, quam illud edictum quo libertas coercebatur.

5. *Rem militarem.* Nam propter auspicium et religionem, lex curiata rem militarem continet; et consulibus erat necessaria, quod summum jus apud exercitum erant habituri, quod in civitate non habebant.

non licet; hic [cui vetat, intercedendi] potestatem, etiamsi intercessum sit, tamen eamdem constituit, quam, si lata esset lex : ut non intelligam, quare aut hic vetet intercedere [6], aut quemquam intercessurum putet, quum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem impeditura.

Sint igitur decemviri neque veris comitiis [7], hoc est, populi suffragiis, neque illis [8] ad speciem, atque ad usurpationem vetustatis, per XXX lictores, auspiciorum causa, adumbratis, constituti. Videte [9] nunc, eos, qui a vobis nihil potestatis acceperint, quanto majoribus ornamentis afficiat, quam omnes nos affecti sumus, quibus vos amplissimas potestates dedistis. Jubet auspicii [10] coloniarum deducendarum causa decemviros habere pullarios [11] : EODEM JURE, inquit, QUO HABUERUNT TRESVIRI [12] LEGE SEMPRONIA. Audes etiam, Rulle, mentionem facere legis Semproniæ? nec te ea lex ipsa commonet, tres viros illos XXXV tribuum suffragio esse creatos? Et, quum tu a Tib. Gracchi æquitate [13] ac pudore longissime remotus sis,

6. *Vetet intercedere.* Quum sine lege eamdem tribuat potestatem, et intercessio nihil sit profutura.

7. *Neque veris comitiis.* Non justis comitiis instituti, qualia sunt vel tributa, vel centuriata. Nam lege Rulli pars populi minor ad suffragium vocatur, non universus populus.

8. *Neque illis.* Curiatis scilicet, quæ similitudinem et speciem comitiorum habent; comitia vero non sunt, quum pro triginta populi urbani curiis ætate Ciceronis, triginta curiarum lictores adhiberentur.

9. *Videte nunc.* Ostendit inde quam injusta sit illa lex. Namque decemviri, qui reipsa non a populo creantur, sed civibus sunt omnino impositi, majorem potestatem obtinebunt quam il quos elegit populus romanus.

10. Lallem. post Grævium, *ad auspicia.* Malc. Vulgatam lectionem Lambinus et Garatonius recte defenderunt. J. V. L.

11. *Pullarios.* Hoc nomine dicebantur, qui pullos gallinaceos inclusos servabant.

12. *Tresviri.* Alii multi *triumviri.* Quum non ita multa haberet orator quæ in pullariis reprehenderet, ex lege Sempronia occasionem arripit rursus in Rullum incurrendi.

13. *Æquitate.* Adeo enim æquus fuit Tib. Gracchus, ut omni populo suffragii jus reliquerit, nedum imminueret, sicut lege sua Rullus egerat.

id quod dissimillima ratione factum sit, eodem jure putas esse oportere?

XIII. Dat præterea potestatem, verbo prætoriam, re vera regiam; definit in quinquennium, facit sempiternam: tantis enim confirmat opibus et copiis, ut invitis eripi nullo modo possit. Deinde ornat apparitoribus [1], scribis, librariis [2], præconibus, architectis [3]; præterea mulis, tabernaculis, centuriis [4], supellectili; sumptum haurit ex ærario, suppeditat a sociis; janitores [5] ex equestri loco ducentos in annos singulos, stipatores corporis constituit, eosdem ministros et satellites potestatis. Formam adhuc habetis, Quirites, et speciem ipsam tyrannorum; insignia videtis potestatis, nondum ipsam potestatem. Dixerit enim fortasse quispiam: Quid me ista lædunt, scriba, lictor, præco, pullarius? Omnia sunt hæc hujusmodi, Quirites, ut ea qui habeat sine vestris suffragiis [6], aut rex non ferendus, aut privatus furiosus esse videatur.

XIII. 1. *Apparitoribus.* Hoc nomine dicuntur, qui magistratui operam præstant.

2. *Librariis.* Qui acta scribebant, libros rationum et aliarum rerum conficiebant, et magistratui scribisque parebant. — *Præconibus.* Qui decemvirorum edicta pronuntiarent, auctionemque facerent.

3. Gulielm. conj. *accensis.* J. V. L.

4. Schütz. arbitratur glossatorem adscripsisse *tentoriis*, ex quo deinde factum sit *centuriis.* Pantagathus, *canteriis.* J. V. L.

5. *Janitores.* Verbum illud mendosum multis visum est. Etenim non verisimile est equites romanos servorum aut libertinorum munus obituros esse: et nimis sane esset invidiosum decemviris, hanc tam numerosam modo regum, cohortem post se trahere. Ant. Augustinus *finitores* pro *janitores* legendum putat: quod valde probarem, si aliqua MSS auctoritate firmaretur. Non enim orator sane eos silentio prætermisit, de quibus sæpius mentio fit hac in oratione, quique primum fere in decemvirorum comitatu locum obtinebant.

6. *Sine vestris suffragiis.* Omnia quæ decemviris concedenda decreverat Rullus, non adeo inusitata et inaudita erant. Sed ea vehementius orator exagitat, quod suffragio populi data non essent, et sine legitimis comitiis tribuerentur. Quæ qui possidebit, ostendet sane se tamquam regem populi suffragio jam designatum, brevi reipublicæ nocitura magis esse aggressurum.

Perspicite, quanta potestas permittatur: non privatorum insaniam, sed intolerantiam regum[7] esse dicetis. Primum permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniæ conficiendæ de vestris vectigalibus, non fruendis[8], sed alienandis. Deinde orbis terrarum gentiumque omnium datur cognitio sine consilio[9], pœna sine provocatione, animadversio sine auxilio. Judicare per quinquennium, vel de consulibus, vel de ipsis tribunis plebis poterunt; de illis interea nemo judicabit[10]: magistratus his gerere licebit; causam dicere[11] non licebit. Emere agros, a quibus volent, vel quos volent, quam volent magno, poterunt; colonias deducere novas, renovare veteres, totam Italiam suis coloniis ut complere liceat, permittitur; omnes provincias obeundi, liberos populos[12] agris multandi, regnorum vel dandorum[13] summa potestas datur, quum velint; Romæ esse[14], quum commodum sit; quacumque velint summo cum imperio, judicioque omnium rerum vagari ut liceat, conceditur. Interea

7. *Regum*. Al. *regis*. J. V. L.

8. *Non fruendis*. Non percipiendis vestrorum vectigalium fructibus, sed vectigalibus ipsis alienandis et vendendis.

9. *Cognitio sine consilio*. Iidem decemviri cognoscent et judicabunt; neque illis judices erunt in consilio, ut prætores Romæ consilium judicum habent. —*Sine auxilio*. Etenim quum sublata sit ad plebem appellandi facultas, nullum erit perfugium populis, contra latius vagantem decemvirorum insolentiam.

10. *Nemo judicabit*. Etenim qui in magistratu sunt, vel reipublicæ causa provincias obtinent, rei fieri nequeunt.

11. *Causam dicere*. Quamdiu in magistratu erunt, nemo eos in jus protrahere poterit; quum vero elapsum fuerit quinquennium, sane sibi præcavebunt; quumque summam obtineant auctoritatem, sibi aliquas dignitates adscribent, quæ prohibeant ne in jus protrahantur. Unde fiet ut infinitæ potestatis nullam umquam referendam rationem arbitrentur.

12. *Liberos populos*. In eos iniquiores erant romani magistratus, eorumque jura imminuebant.

13. Ernest. addit *vel adimendorum*, nullo codice adjuvante. Malim ego Camerarii et Lambini conjecturam, *regn. vendendorum*. J. V. L.

14. *Romæ esse*. Quod novum est et inauditum, non enim consulibus in Urbe cum eodem ac in provinciis imperio esse permittitur.

dissolvant judicia publica [15]; de consiliis [16] abducant, quos velint; singuli [17] de maximis rebus judicent; quæstori permittant [18]; finitorem mittant; ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus erit, renuntiaverit.

XIV. Verbum mihi deest, Quirites, quum ego hanc potestatem regiam appello; sed profecto major est quædam. Nullum enim regnum fuit umquam, quod non, si minus jure aliquo, at regionibus tamen certis [1], contineretur : hoc vero infinitum est, quo et regna omnia, et vestrum imperium, quod latissime patet, et ea, quæ partim libera [2] a vobis, partim etiam ignorata vobis sunt, permissu legis continentur.

Datur igitur eis primum, ut liceat eis vendere omnia, de quibus vendendis senatusconsulta facta sunt, M. Tullio, Cn. Cornelio consulibus [3]. Cur hoc tam est obscurum [4] atque cæcum? Quid? ista omnia, de qui-

15. *Judicia publica.* Judicia publica sunt, quæ criminalia vocamus, quæ a quæsitoribus Romæ exercebantur. Dissolvent autem judicia publica, quum ipsi de publicis quæstionibus cognoscere volent, adempta prætoribus earum cognitione.

16. *De consiliis abducant.* Paullo ambiguus est locus ille. Vel enim de consiliis judices abducent sibi inimicos; vel reos procul a judicibus abducent, pœnaque exsolvent. Proinde duo hæc pariter rempublicam evertunt ac pessumdant.

17. *Singuli.* Nullo adjuvante eos inquisitore.

18. *Quæstori permittant.* Etiam judicium alicui delegent. Quum rem cognoscere eos pigebit, hoc munus quæstori suo, prout libuerit, permittent. — *Finitorem.* Interdum ne quæstori quidem mandent, sed sine judicio finitorem mittant, cujus arbitrio privatum, aut publicum agrum pronuntient. Finitores erant quos nunc agrimensores dicimus.

XIV. 1. *Regionibus tamen certis.* Reges vel immanissimi, licet nullo jure teneantur, tamen ultra fines imperii grassari et sævire nequeunt. Pestis autem illa decemviralis non jam Italiam omnem, sed et Ægyptum transgreditur.

2. *Libera a vobis.* Quæ nullum stipendium pendunt, quæ, quantum ad vos attinet, sunt immunia.—*Ignorata.* Quæ extra imperium jacere creditis; ut verbi gratia, potuit tum ignorare populus rom. se in Cypro aliquid juris habere, quod postea publicavit Clodius in tribunatu.

3. *Consulibus.* Anno Urbis 672, h. e. octo et decem annis ante consulem Tullium.

4. *Obscurum.* Cur non appellat nominatim, quæ censet vendenda? Sed populum fallit, qui vel nescit, vel non

bus senatus censuit, nominatim in lege perscribi nonne potuerunt? Duæ sunt hujus obscuritatis causæ, Quirites : una pudoris [5], si quis pudor esse potest in tam insigni impudentia; altera sceleris [6]. Nam neque ea, quæ senatus nominatim vendenda censuit, audet appellare : sunt enim loca publica urbis, sunt sacella, quæ post restitutam tribunitiam potestatem nemo attigit, quæ majores in urbe partim [7] periculi perfugia [8] esse voluerunt. Hæc lege tribunitia decemviri vendent. Accedet eo mons Gaurus [9]; accedent salicta ad Minturnas [10]; adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea [11], multarum deliciarum, et magnæ pecuniæ : permulta alia, quæ senatus propter angustias ærarii vendenda censuit, consules propter invidiam [12] non vendiderunt. Verum hæc fortasse propter pudorem in lege reticentur. Sed illud magis est cavendum [13] et pertimescendum, quod audaciæ decemvirali, corrumpendarum tabularum publicarum,

meminit, alioqui non pateretur sacella, loca publica, etc. vendi, quæ anno Urbis 672, propter angustias ærarii bellis civilibus exhausti vendenda censuerat senatus.

5. *Pudoris.* Puduit enim ea nominari, quæ, quamvis censuerat senatus, vendere consules non ausi erant.

6. *Sceleris.* Quod silentio hoc latissima decemviris permittitur facultas ea vendendi quæ collibuerit.

7. *Partim.* Ex parte. Frustra Manut. *passim;* Lambin. « portus periculi et perf. » J. V. L.

8. *Periculi perfugia.* Quæ loca, Græcis ἄσυλα, si quis adiret ab instanti seu inimicorum, seu creditorum periculo salvus esset.

9. *Mons Gaurus.* Campaniæ, vino nobilissimus.

10. *Sal. ad Minturnas.* Quæ loca in assignatione agrorum triumviri populo romano retinuerant, nec colonia huc deductis diviserant. Locus ille fuga Marii fuit famosus; hic enim delituit, ut Sullæ ministros vitaret. Cf. Plinium, III, 5.

11. *Herculanea.* Nempe quæ ad viam Herculaneam rura jacebant, maximi erant reditus, quod non longe a lacu Lucrino distarent, qui omnem eam oram amœnissimam efficiebat, neque procul a Baiis, quarum sæpius deliciæ apud veteres celebrantur. Inde maxima ad has villas civium turba ruebat, ut omnis generis deliciis frueretur.

12. *Propter invidiam.* Offensionem et odium populi metuentes.

13. *Cavendum;* e codd. Franc. et Parisiens. Olim, *credendum.* J. V. L.

fingendorumque senatusconsultorum [14], quæ facta numquam sunt, quum ex eo numero, qui per eos annos [15] consules fuerunt, multi mortui sint, magna potestas permittitur : nisi forte nihil est æquum, vos de eorum audacia suspicari, quorum cupiditati nimium angustus orbis terrarum esse videatur.

XV. Habetis unum venditionis genus, quod magnum videri vobis intelligo; sed attendite animos ad ea, quæ consequuntur : hunc quasi gradum quemdam atque aditum ad cetera jactum [1] intelligetis. QUI AGRI [2], QUÆ LOCA, QUÆ ÆDIFICIA. Quid est præterea? multa in mancipiis, in pecore, auro, argento, ebore, veste, supellectili, ceteris rebus. Quid dicam? invidiosum [3] putasset hoc fore, si omnia nominasset? Non metuit invidiam. Quid ergo? longum putavit, et timuit, ne quid præteriret : adscripsit, ALIUDVE QUID [4]. Qua brevitate rem nullam esse exceptam videtis. Quidquid ergo sit extra Italiam, quod publicum populi romani factum sit, L. Sulla, Q. Pompeio con-

14. *Fingendorum senatusconsultorum.* Nempe si ea quæ numquam senatus decreverit, pro factis ad ærarium referant, perscriptis eorum consulum nominibus, qui ea scripsisse finguntur. Nondum enim Cæsar auctor fuerat, ut senatus ac populi acta diurna conficerentur ac publicarentur, quod in consulatu instituit.

15. *Per eos annos.* Quos lege complexus sit Rullus. Unde facillimum esset decemviro mentiri, mortuo consule, qui solus mendacium refellere posset.

XV. 1. Lallem. *factum*; quod unice verum affirmat Schütz. Sed significatur gradus h. l. quasi e magnis cæmentis facta moles, ita ut quædam fundamenta *jacere* necesse fuerit; et multo verius est h. l. quam si vulgari elocutione dixisset, « facere gradum et aditum », ut dicitur « facere passum ».

2. *Qui agri.* Post venditionem italicam ad provincialem transit, qua Rullus omnia quæ, L. Sulla et Q. Pompeio coss. h. e. XXV annis ante Ciceronem, posteave publica facta essent, vendi jubet. Legis autem ea erant verba : « Qui agri, quæ loca, quæ ædificia, aliudve quid extra Italiam, quod publicum populi romani factum sit, id decemviri vendunto ».

3. *Invidiosum.* Quia odium concitare potuisse tanta hæc regionum alienatio ac veluti proscriptio.

4. *Aliudve quid.* Cetera omnia reliqua ; quibus verbis omnia contineri videntur.

sulibus, aut postea, id decemviros jubet vendere. Hoc capite, Quirites, omnes gentes, nationes, provincias, regna, decemvirum ditioni, judicio, potestatique permissa et condonata esse dico. Primum enim hoc quæro, qui tandem locus usquam sit, quem non possint decemviri dicere publicum populi romani esse factum. Nam, quum idem possit judicare, qui dixerit [5]; quid est, quod non liceat ei dicere, cui liceat eidem judicare? Commodum erit Pergamum, Smyrnam, Tralles, Ephesum, Miletum, Cyzicum [6], totam denique Asiam, quæ post L. Sullam, Q. Pompeium consules recuperata sit [7], populi romani factam esse dicere. Utrum oratio ad ejus rei disputationem [8] deerit; an, quum idem et disseret, et judicabit, impelli non poterit, ut falsum judicet? an, si condemnare Asiam volet [9], terrorem damnationis et minas non, quanti volet, æstimabit? Quid, quod [10] disputari contra nullo pacto potest, quoniam statutum a vobis est et judicatum, quam hereditatem jam crevimus, regnum Bithyniæ [11], quod certe publicum est populi

5. *Qui dixerit.* Quum iidem decemviri possint aliquid publicum judicare, quod ita esse dixerint; nullus erit locus quem non possint publicum dicere, quum iidem ita reipsa esse possint judicare. Seu aliis verbis: Quum soli illi decemviri de possessionis jure decreturi sint, nonne impune omnia possunt, tamquam populi rom. publica repetere, quum ad neminem spoliati possint provocare.

6. *Miletum, Cizycum.* Quas urbes a Mithridate occupatas, Sulla armis recuperavit.

7. *Recuperata sit.* Nempe victo Aristonico. Vide infra 33, et Phil. XI, 8.

8. Al. *disceptationem.* J. V. L.

9. *Condemnare Asiam volet.* Si eo animo est, ut Asiam publicam populi rom. factam esse judicare velit decemvir, nonne fiet, ut damnationis metu ac minis, Asiani, quantamcumque pecuniam flagitabit, ei numerent? Lallem. et eum sequuti non pauci, *volet.*

10. *Quid quod.* Paullo impeditior periodus videtur, quod verba nonnulla parenthesi includenda sunt; ceterum sensus omnino patet, si hunc locum ita construas: Quid dicam de regno Bithyniæ, cujus heredes sumus constituti, quod certe ad populum rom. pertinet (quæ jam disputatio de integro fieri non potest, quoniam vos jam judicavistis); num obstare poterimus quin illam totam venditurі sint?

11. *Regnum Bithyniæ.* Nicomedes

18.

romani factum? num quid causæ est, quin omnes agros, urbes, stativa[12], portus, totam denique Bithyniam decemviri vendituri sint?

XVI. Quid Mitylenæ[1]? quæ certe vestræ, Quirites, belli lege, ac victoriæ jure factæ sunt: urbs et natura, et situ, et descriptione ædificiorum et pulchritudine, in primis nobilis; agri jucundi et fertiles; nempe eodem capite inclusi continentur. Quid Alexandria[2], cunctaque Ægyptus? ut occulte latet[3]? ut recondita est? ut furtim tota decemviris traditur? Quis enim vestrum hoc ignorat, dici, illud regnum testamento regis Alexandri, populi romani esse factum? Hic ego consul populi romani non modo nihil judico[4], sed ne, quid sentiam, quidem profero: magna enim mihi res non modo ad statuendum, sed etiam ad dicendum videtur esse. Video, qui testamentum factum esse confirmet; auctoritatem senatus[5] exstare hereditatis

rex Bithyniæ moriens populum rom. heredem fecerat, cujus regnum in provinciæ formam fuerat redactum.

12. *Stativa*. Codd. Pith. et Erfurt. *stagna*. J. V. L.

XVI. 1. *Mitylenæ*. Quæ urbs in Lesbo insula, quod Mithridatis partes sequuta erat, et Aquillium ac alios plurimos vinctos ei tradiderat, paullo ante Sullæ mortem capta est, et magna ex parte diruta; etiam libertatem amisit, in quam postea, adnitente Theophane, a Pompeio restituta est. De pulchro hujus urbis situ vid. Vitr. I, 6.

2. *Alexandria*. Ptolemæus Alexander II, qui Tyro exsul mortuus est, populum rom. heredem instituerat, ut superiori oratione jam dictum est. Quoniam autem non satis constabat, testamentumne vere factum a rege esset, quo regnum populo relinqueret, eaque de re in senatu sententiis sæpe certatum erat, propterea, inquit Cicero, se nolle hac de re judicare. Ceterum et ipse eadem de causa orationem habuit, quæ inscribitur *de Rege Alexandrino*, cujus recens eruta fragmenta locum hunc clariori luce collustrant.

3. *Occulte latet*. Ut sub hoc capite latitat, clamque et furtim traditur decemviris. Lex enim omnis populum prætenta justitiæ specie fraude circumveniebat.

4. *Nihil judico*. Meum judicium meamque sententiam non interponam, tantum quid alii dicant commemorabo.

5. *Auctoritatem senatus*. Senatu jubente aditam esse hereditatem scio, quando legatos decrevit mitti senatus, qui pecunias Tyri a Ptolemæo depositas recuperaret. Cf. Wesseling. ad Samson. Chron. an. U. 674, 689, et J. F. Gronov. ad Div. I, 2.

aditæ sentio, tum, quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam nostris[6] recuperarent. Hæc L. Philippum[7] sæpe in senatu confirmasse memoria teneo : eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio esse, inter omnes fere video convenire. Dicitur contra, nullum esse testamentum; non oportere populum romanum omnium regnorum appetentem videri[8]; demigraturos[9] in illa loca nostros homines, propter agrorum bonitatem, et omnium rerum copiam. Hac tanta de re P. Rullus cum ceteris decemviris, collegis suis, judicabit? et verum[10] judicabit? nam utrumque[11] ita magnum est, ut nullo modo neque concedendum, neque ferendum sit. Volet esse popularis? populo romano adjudicabit. Ergo idem ex sua lege[12] vendet Alexandriam, vendet Ægyptum; urbis copiosissimæ, pulcherrimorumque agrorum judex, arbiter, dominus, rex denique opulentissimi regni reperietur. Non sumet sibi tantum, non appetet? judicabit, Alexandriam regis esse; a populo romano abjudicabit.

6. *Nostris*. Lamb. Lallem. prætulerunt *nobis*, ex emendatione Puteani. Nihil melius scio, inquit Ern. J. V. L.

7. *L. Philippum*. Intelligendus L. Philippus ille qui consul fuerat cum Sext. Julio a. U. 662; filium habuit, qui septem post Ciceronem annis consulatum est adeptus.

8. *Appetentem videri*. Quod jam plurimas regiones sic a regibus populo rom. tradi constaret; suspicioque esse poterat, ne ipse populus testamenta aut fingere, aut certe extorquere videretur. Quod pravis deinde sub imperatoribus accidit, quum pessimus quisque princeps in privatorum testamentis heres esset adscribendus.

9. *Demigraturos*. Quod adeo evenit, ut Julius legem promulgaverit, ne quis injussu suo eam peteret, et Augustus idem postea sanxerit.

10. *Verum*. Schütz. e Lamb. *utrum*. Mihi quidem non probatur. B. Weisk. vulgatam merito servat, quæ optimo est sensu. J. V. L.

11. *Utrumque*. Et judicare et verum judicare, utrumque tanti est momenti ut non sit eis permittendum, neque ferendum nonnullos homines de re tanta decernere.

12. *Ex sua lege*. Si judicio suo Ægyptum populo romano tribuerit, oportebit etiam ut secundum legem suam illa vendatur.

XVII. Primum populi romani hereditatem decemviri [1] judicent, quum vos volueritis de privatis hereditatibus centumviros judicare? Deinde quis aget causam populi romani? ubi res ista agetur? qui sunt isti decemviri, quos perspiciamus, regnum Alexandriæ Ptolemæo gratis adjudicaturos? Quod si Alexandria petebatur; cur non eosdem cursus hoc tempore, quos, L. Cotta, L. Torquato consulibus, cucurrerunt [2]? cur non aperte, ut antea? cur non item, ut quum decreto [3] et palam regionem illam petierunt? an, qui etesiis [4], qui per cursum rectum regnum tenere non potuerunt [5], nunc tetris tenebris et caligine se Alexandriam perventuros arbitrati sunt?

Atque illud circumspicite vestris mentibus [unaque [6]]... Legatos nostros, homines auctoritate tenui, qui rerum privatarum causa legationes liberas [7] obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix possunt. Grave est enim nomen imperii, atque id etiam in levi per-

XVII, 1. *Decemviri.* Tanta res decem hominum arbitrio permittetur, quum res privatas in centum electorum virorum judicio disceptari sit usitatum. De centumvirorum judicio, vid. ad calc. prim. volum. de judic. publ.

2. *Cucurrerunt.* Apparet his consulibus Alexandriam armis aggressos Romanorum nonnullos; quod factum silent auctores.

3. *Decreto.* Cur non eam SCto repetunt? Alii legunt secundum Lamb. « directo », quod Weisk. probat, sed ita ut etiam adjecta quædam velit verba.

4. *Etesiis.* Sequimur illustrem emendationem Gulielmii. Vulg. « quietis iis ». J. V. L.

5. *Non potuerunt.* An qui etesiis, h. e. ventorum sereno flatu et plenis, ut ita dicam, velis Alexandriam occupare non potuerunt, illam nunc per cuniculos invadent? Optime etesiis ventis qui tantum æstate flant, tetræ tenebræ opponuntur.

6. *Unaque.* Verbum hoc corruptum, aut plura post excidisse putaverunt plerique editores. Lambin. et Man. corrigunt « animisque », Turnebus « una Quirites ». Putat cum Lamb. Ernestius Ciceronem dixisse hujusmodi quid « cognoscite labem reip. » Verum nihil deesse probatur, si aut cum Sch. legatur « mentibus vestris, Quirites », aut loco « unaque » conjiciatur « namque », quod novam sententiam recte incipiat.

7. *Legationes liberas.* Sic vocantur, quod qui eas obtinebant libere poterant, quamdiu vellent, abesse, et privata sua negotia in quavis provincia gerere. Hoc titulo a ceteris legationibus sejungebantur.

sona pertimescitur, propterea quod vestro, non suo nomine [8], quum hinc egressi sunt, abutuntur. Quid censetis, quum isti decemviri cum imperio, cum fascibus, cum illa delecta finitorum [9] juventute per orbem terrarum vagabuntur? quo tandem animo, quo metu, quo periculo miseras nationes futuras? Est in imperio terror: patientur. Est in adventu sumptus [10]: ferent. Imperabitur aliquid muneris: non recusabunt. Illud vero quantum est, Quirites, quum is decemvir, qui aliquam in urbem aut exspectatus, ut hospes, aut repente, ut dominus, venerit, illum ipsum locum, quo venerit, illam ipsam sedem hospitalem [11], in quam erit deductus, publicam populi romani esse dicet? Quanta calamitas populi, si dixerit? Quantus ipsi quæstus, si negarit [12]? Atque iidem, qui hæc appetunt, queri nonnumquam solent, omnes terras Cn. Pompeio atque omnia maria esse permissa. Simile vero est, multa committi, et condonari [13] omnia? labori et negotio præponi, an prædæ et quæstui? mitti ad socios liberandos, an ad opprimendos? denique, si quis est honos singularis, nihilne interest, utrum populus romanus eum, cui velit, deferat, an is impudenter [14] populo romano per legis fraudem surripiatur?

8. *Non suo nomine.* Nomine legationis vestræ ad potentiam abutuntur, et tum agunt, non nomine suo, sed vestro, quo majorem terrorem incutiant.

9. *Finitorum.* Qui terminos agris imponent, quasi jam eos sint vendituri.

10. *Sumptus.* Quantus autem illic miseris civitatibus contra leges imponeretur, omnes enuntiant historiæ. Ex arbitrio enim semper pendebat.

11. *Sedem hospitalem.* Quamvis in hoc hospitii jure magna insit veneratio, quæ violari non debeat.

12. *Si negarit.* Quantam vim pecuniæ accipiet, ut agrum hunc non esse populi rom. profiteatur?

13. *Condonari.* Ut decemviris: gravius enim est condonari, quam permitti; omnia quam multa; decemviris quam Pompeio.

14. *Impudenter.* Summa impudentia, lege dolosa honores populo furari. Frustra Lured. et Man. « imprudenter ».

XVIII. Intellexistis, quot res et quantas decemviri, legis permissu, vendituri sint. Non est satis. Quum sese sociorum, quum exterarum nationum, quum regum sanguine [1] implerint; incidant nervos populi romani[2], adhibeant manus vectigalibus vestris, irrumpant in ærarium [3]. Sequitur enim caput, quo capite non permittit quidem [4], si forte desit pecunia, quæ tanta [5] ex superioribus recipi potest, ut deesse non debeat, sed plane, quasi ea res vobis saluti futura sit, ita cogit atque imperat, ut decemviri vestra vectigalia vendant nominatim. Quam tu mihi ex ordine recita [6] de legis scripto populi romani auctionem : quam mehercule ego præconi huic ipsi luctuosam et acerbam prædicationem futuram puto. AUCTIO.

Ut in suis rebus, ita in republica luxuriosus est nepos, qui prius silvas vendat [7], quam vineas. Italiam percensuisti; perge in Siciliam. AUCTIONIS PARS EA, QUÆ AD SICILIAM PERTINET. Nihil est in hac provincia, quod aut in oppidis, aut in agris majores nostri proprium nobis reliquerint, quin id venire jubeat. Quod partum recenti victoria [8] majores vobis in so-

XVIII. 1. *Sanguine.* Fortunas et bona sociorum nomine hoc invidioso appellat, ut apud Tacitum, Hist. IV, 17, « provinciarum sanguine provincias vinci ».

2. *Nervos populi rom.* Qui vectigalibus continentur.

3. *Irrumpant in ærarium.* Quum vectigalia exhauserint, perinde erit, ac si impetu facto, ærarium ipsum perfregerint.

4. *Non permittit.* Græv. « ne permittit quidem ». J. V. L.

5. *Quæ tanta.* Cujus tam immanem vim colligere debent, ut deesse, quamvis modis omnibus vexata, non possit.

6. *Recita.* Conversa jam a populo ad præconem oratione, ipsi acerbam hanc bonorum publicationem fore profitetur, cui tamen quæstuosissima recitatio hæc sit futura. Rursus inde auditores alloquitur, aucta in tribunos hujus rei invidia, quæ præconem ipsum, vilissimum hominem, sit motura. Quamvis enim scribæ acta legere solerent, ideo præcone utitur Cicero, quo majori sensu populum impellat.

7. *Sil. vendat.* In eam quæ de Italia recitabatur auctionem, Rullus a vendenda silva Scantia auspicabatur.

8. *Recenti victoria.* M. Aquillii, qui servile bellum confecerat. Recens

ciorum urbibus ac finibus, et vinculum pacis, et monumentum belli reliquerunt, id vos ab illis acceptum, hoc auctore, vendetis?

XIX. Hic mihi parumper [1] mentes vestras, Quirites, commovere videor, dum patefacio vobis, quas isti penitus abstrusas insidias se potuisse arbitrentur contra Cn. Pompeii dignitatem. Et mihi, quæso, ignoscite, si appello talem virum sæpius. Vos mihi prætori, biennio ante, Quirites, hoc eodem [2] in loco, personam hanc imposuistis, ut, quibuscumque rebus possem, illius absentis [3] dignitatem vobiscum una tuerer. Feci adhuc, quæ potui, neque familiaritate illius adductus, nec spe honoris atque amplissimæ dignitatis, quam ego, etsi libente illo, tamen absente illo [4], per vos consequutus sum. Quamobrem quum intelligam, hanc totam fere legem ad illius opes evertendas, tamquam machinam, comparari; et resistam consiliis hominum, et perficiam profecto, quod ego video comparari, ut id vos universi non solum videre, verum etiam tenere [5] possitis.

Jubet venire, quæ Attalensium [6], quæ Phaselitum,

autem ea victoria, præ Marcelli ac superiorum ducum bellis vocatur.

XIX. 1. *Hic mihi parumper.* Conjicit satis probabiliter Garatonius ante hæc verba excidisse alium cujusdam Serviliæ legis capitis titulum, quod præconi Cicero recitandum dederit; non enim locum eum proxime antecedentibus satis cohærere. Verum et nihil abesse posse probatur, et hoc ad sequentia optime refertur, quum in proximo capite insidias Pompeio a tribunis factas sit declaraturus, ita ut quædam tantummodo sit ad causam præmunitio et « commovere videor » futuro sensu sit usurpandum; quod non ita singulari exemplo invenitur. Ideo nos novo capite novum sententiarum ordinem distinximus.

2. *Hoc eodem in loco.* Quum pro lege Manilia dicerem.

3. *Illius absentis.* Aberat tum, quum Cicero Maniliam legem suadebat, Pompeius in Cilicia ad reliquias belli piratici persequendas, ut nunc in Paphlagonia bello Mithridatico implicatur.

4. Lauredan. alterum *illo* delendum putat. J. V. L.

5. *Tenere.* Non solum sub oculis, sed etiam in manibus habere.

6. *Attalensium.* Quæ loca a P. Ser-

quæ Olympenorum fuerint, agrumque Agerensem, et Orindicum[7], et Gedusanum: hæc P. Servilii imperio et victoria, clarissimi viri, vestra facta sunt. Adjungit agros Bithyniæ regios, quibus nunc publicani fruuntur; deinde Attalicos agros in Chersoneso; in Macedonia, qui regis Philippi, sive Persæ fuerunt, qui item a censoribus locati sunt, et certissimum[8] vectigal. Adscribit idem auctioni Corinthios agros, opimos et fertiles; et Cyrenenses, qui Apionis[9] fuerunt; et agros in Hispania propter Carthaginem novam, et in Africa ipsam veterem Carthaginem vendit: quam videlicet P. Africanus non propter religionem sedium illarum ac vetustatis, de consilii sententia, consecravit, sed ut ipse locus, eorum, qui cum hac urbe de imperio certarunt, vestigia calamitatis ostenderet. Sed non fuit tam diligens, quam est Rullus; aut fortasse emptorem ei loco reperire non potuit. Verum inter hos agros regios, captos veteribus bellis virtute summorum imperatorum, adjungit regios agros Mithridatis[10], qui in Paphlagonia, qui in Ponto, qui in Cappadocia fuerunt, ut eos decemviri vendant. Itane vero? non legibus datis[11], non auditis

vilio Isaurico in populi ditionem redacta, jam antea demonstraverit; et nos de diversis hisce populis eorumque victoribus ducibus priore oratione disseruimus.

7. *Orindicum.* Garaton. legi jubet *Oroandicum.* J. V. L.

8. *Certissimum.* Id ad Corinthios agros refertur, qui propter fertilitatem maximo pretio conducebantur, et conductores acres et certos habere solebant, fructu non fallente.

9. *Apionis.* Ptolemæus cognomento Apion, rex Cyrenarum, moriens heredem populum romanum reliquerat, cujus regni civitates liberas esse senatus jusserat an. U. 657.

10. *Agros Mithridatis.* Pervenit tandem ad Mithridatis agros, in quibus nunc versabatur Pompeius, de quo ab initio capitis dixerat.

11. *Legibus datis.* Nondum his gentibus pacatis, nondum in provinciæ formam redactis. Olim senatus in provincias recens devictas decem legatos mittere solebat, qui ei leges imponerent, et in provinciæ formam redigerent; tunc autem temporis ea cura ipsis imperatoribus erat mandata: et Pompeius leges plurimis Asiæ populis

verbis imperatoris[12], nondum denique bello confecto, quum rex Mithridates, amisso exercitu[13], regno expulsus, tamen in ultimis terris aliquid etiam nunc moliatur, atque ab invicta Cn. Pompeii manu, Mæotide, et illis paludibus, et itinerum angustiis, atque altitudine montium defendatur; quum imperator in bello versetur; in locis autem illis etiam nunc belli nomen reliquum sit : eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompeium omne judicium et potestas, more majorum, debet esse, decemviri vendent? Et, credo, P. Rullus[14] (is enim sic se gerit, ut sibi jam decemvir designatus esse videatur) ad eam auctionem potissimum proficiscetur.

XX. Is videlicet antequam veniat in Pontum, literas ad Cn. Pompeium mittet : quarum ego jam exemplum[1] ab istis compositum esse arbitror. P. SERVILIUS RULLUS, TRIBUNUS PLEBIS, DECEMVIR[2], S. D. CN.[3] POMPEIO, CN. F. Non credo adscripturum esse, MAGNO : non enim videtur id, quod imminuere lege conatur, concessurus verbo. TE VOLO CURARE[4], UT

dederat, quibus Dionis ætate etiam utebantur.

12. *Verbis imperatoris.* Nondum audita conditione pacis, quam eis ferebat imperator.

13. *Amisso exercitu.* Quem in Minore Armenia nocturno prælio superaverat Pompeius; unde Mithridates in Bosphorum depulsus, non multo post. rebellione filii comperta, quum veneno se tollere non potuisset, jugulandum se præbuit.

14. *Et, credo, P. Rullus.* Invidiose et ironice tribunum hunc plebis Pompeio opponit.

XX. 1. *Exemplum.* Demosthenes Philippi literis in concione recitatis non semel in eum invidiam quæsivit, quum singulis verbis expensis, inde aliquid ad excitandum populum eliceret; callide quidem et argute, nisi hoc sit callidius fingere literas, quas verisimile sit adversarios, spe jam præcepto triumpho feroces, fuisse scripturos.

2. *Decemvir.* Inde manifestius enitet Rulli arrogantia, qui se magistratus duobus nominibus sit ornaturus, Pompeium autem propriis defraudet.

3. Lallem. delet CN. J. V. L.

4. *Te volo curare.* Insolentiæ plena verba, quibus summo imperatori indicit, quæ facienda velit : quod insaniæ est sane ultimum. Sinope vero urbs Ponti clarissima, in qua domicilium regis erat.

MIHI SINOPE PRÆSTO SIS, AUXILIUMQUE ADDUCAS, DUM EOS AGROS, QUOS TUO LABORE [5] CEPISTI, EGO MEA LEGE VENDAM. An Pompeium non adhibebit[6]? in ejus provincia vendet manubias imperatoris? Ponite ante oculos vobis Rullum, in Ponto[7], inter vestra atque hostium castra hasta posita, cum suis formosis finitoribus[8] auctionantem. Neque in hoc solum inest contumelia, quæ vehementer et insignis est, et nova, ut ulla res parta bello, nondum legibus datis, etiam tum imperatore bellum administrante, non modo venierit[9], verum etiam locata sit. Plus[10] spectant homines certe, quam contumeliam: sperant, si concessum sit inimicis Cn. Pompeii, cum imperio, cum judicio omnium rerum, cum infinita potestate, cum innumerabili pecunia, non solum aliis in locis vagari, verum etiam ad ipsius exercitum pervenire; aliquid illi insidiarum fieri, aliquid de ejus exercitu, copiis, gloria, detrahi posse[11]: putant, si quam spem in Cn. Pompeio exercitus habeat, aut agrorum, aut aliorum commodorum, hanc non habiturum, quum viderit, earum rerum omnium potestatem ad decemviros esse translatam. Patior non moleste[12], tam

5. Lauredan. maloit, τυ τυο. J. V. L.

6. *Non adhibebit.* Nempe alterum hoc de duobus faciet ille: scribetne sic Rullus? An omnino non Pompeium ad auctionem hanc advocabit?

7. *In Ponto.* Hunc locum laudat Aquila romanus de figg. cap. 13, ubi agit de figura διατυπώσεως; et Cicero in hac rerum subjectione excellit, cujus in rebus indignis et atrocibus maximus est usus.

8. *Formosis finitoribus.* Sic supra « cum delecta finitorum juventute ».

9. *Non modo venierit.* Non tantum non vendita sit, sed etiam a censoribus sit publicanis locata.

10. *Plus spectant.* Decemviri aliud certe meditantur, quam Pompeii contumeliam.

11. *Detrahi posse.* Nempe abducent Pompeianum exercitum, sublata spe agrorum, qui veteranis dari solebant, aut aliorum commodorum, quorum potestas omnis ab imperatore ad decemviros sit translata.

12. *Patior non moleste.* Sint sane tam stulti homines, qui hæc fieri posse sperent, et tam impudentes, qui exse-

stultos esse, qui hæc sperent; tam impudentes, qui conentur: illud queror, tam me ab iis esse contemptum, ut hæc portenta, me consule, potissimum cogitarent.

XXI. Atque in omnibus his agris ædificiisque[1] vendendis, permittitur decemviris, UT VENDANT, QUIBUSCUMQUE IN LOCIS VIDEATUR. O perturbatam rationem! o libidinem refrenandam! o consilia dissoluta atque perdita!

Vectigalia locare nusquam licet, nisi in hac[2] urbe, hoc ex loco[3], hac vestrum frequentia: venire vestras res proprias, et in perpetuum a vobis alienari in Paphlagoniæ tenebris, atque in Cappadociæ solitudine licebit? L. Sulla quum bona indemnatorum[4] civium funesta illa auctione sua venderet, et se prædam suam diceret vendere, tamen ex hoc loco vendidit; nec, quorum oculos offendebat, eorum ipsorum conspectum fugere ausus est: decemviri vestra vectigalia non modo ne vobis quidem[5] arbitris, sed ne præcone quidem publico teste vendent?

Sequitur[6], OMNES AGROS EXTRA ITALIAM, infinito

qui conentur; hoc concedo: verum illud eis non ignosco, quod me adeo contempserint, ut hæc potissimum, me consule, cogitent.

XXI. 1. *Ædificiisque*. Ut in utraque Carthagine, quas hac lege vendent.

2. *Nisi in hac urbe*. Vectigalia locari non possunt, nisi Romæ, ex rostris unde loquebatur Cicero, in conspectu populi rom. multo minus ergo licebit ea vendere et in perpetuum alienare proprias res in obscuris Paphlagoniæ recessibus, aut inter Cappadociæ deserta.

3. *Hoc ex loco*. Codd. Palat. male « hoc aut illo ex loco ». J. V. L.

4. *Indemnatorum*. Quum civium nullo judicio damnatorum, sed ab ipso proscriptorum bona lacrymabili illa sua auctione venderet Sulla. *Cf.* Flor. III, 21.

5. *Non m. ne vobis*. Ernest. mutabat, « non m. vobis quidem ». Reponimus priscam lectionem non sine causa, aut testimoniis. J. V. L.

6. *Sequitur*. Nunc eam legis partem attingit, qua decemviris permittebatur omnes agros extra Italiam, privati an publici sint, cognoscere, ac pergrande vectigal imponere, exceptis agris quibusdam, de quibus fœdere jam antea cautum erat.

ex tempore, non, ut antea, ab Sulla et Pompeio consulibus. Cognitio decemvirum [7], privatus sit, an publicus: sicque agro pergrande vectigal imponitur. Hoc quantum judicium, quam intolerandum, quam regium sit, quem præterit? posse quibuscumque locis velint, nulla disceptatione [8], nullo consilio, privata publicare, publica liberare? Excipitur hoc capite ager in Sicilia Recentoricus: quem ego excipi, et propter hominum necessitudinem [9], et propter æquitatem, Quirites, sæpe [10] vehementer gaudeo. Sed quæ hæc impudentia? Qui agrum Recentoricum possident, vetustate possessionis se, non jure, misericordia senatus, non agri conditione defendunt: nam illum agrum publicum esse fatentur; se moveri possessionibus, amicissimis sedibus [11], ac diis penatibus, negant oportere. At, si est privatus ager Recentoricus, quid eum excipis? sin autem publicus, quæ est ista æquitas, ceteros, etiamsi privati sint, permittere ut publici judicentur; hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur [12]? Ergo eorum ager excipitur, qui apud

7. *Cognitio decemvirum.* Omnes agri decemvirorum cognitioni subjicientur, qui statuent, an ad populum rom. necne pertineant: unde magnum vectigal iis imponetur. Malent enim veteres incolæ immensam pecuniæ vim pendere quam omnino agris cedere. Manutius his verbis dona intelligit a privatis data, ut privati agri esse jubeantur: nam et vectigalia proprie sic dicta pensitabunt, et grandia decemviris dabunt munera, quasi nova vectigalia. Et hunc sensum sequentia verba comprobant.

8. *Disceptatione.* Nulla deliberatione, cognitione omissa. — *Nullo consilio.* Nullis judicibus.

9. *Hominum necessitudinem.* Quæ iis Ciceroni ex quæstura intercessit. Vid. prior. orat. cap. 4.

10. *Sæpe.* Verbum ineptum nimis. Alii conjiciunt *sane*; alii, *ipse*; Sch. vocem totam abesse jussit. J. V. L.

11. *Amicissimis sedibus.* Gratissimo et carissimo domicilio. Frustra viri docti disputant restituendum « antiquissimis ». Sic Græci dicunt φίλτα ἤθη; sæpiusque apud veteres verba illa *amicissimæ sedes* hoc sensu usurpantur.

12. *Publicus esse fateatur.* Correxere multi « quem publicum esse fateantur »; quod verbum hac patiendi significatione aures offenderet. Verum hæc loquendi ratio veteribus sæpius est usitata, ut adnotavimus ad Verr. II, 73; III, 43.

Rullum alia ratione valuerunt: ceteri agri omnes, qui ubique sunt, sine ullo delectu[13], sine populi romani notione, sine judicio senatus, decemviris addicentur.

XXII. Atque etiam est alia, superiore capite, quo omnia veneunt, quæstuosa exceptio: quæ teget[1] eos agros, de quibus fœdere cautum est. Audivit, hanc rem non a me, sed ab aliis agitari sæpe in senatu, nonnumquam ex hoc loco, possidere agros in ora maritima regem Hiempsalem[2], quos P. Africanus populo romano adjudicarit[3]; et tamen postea per C. Cottam consulem cautum esse fœdere. Hoc quia vos fœdus non jusseritis, veretur Hiempsal, ut satis[4] firmum sit et ratum. Quid? cujusmodi est illud? tollitur vestrum judicium; fœdus totum excipitur[5]; comprobatur. Quod minuit auctionem decemviralem, laudo; quod regi amico cavet, non reprehendo; quod non gratis fit, indico. Volitat enim ante oculos istorum Jubæ regis filius, adolescens non minus bene nummatus[6], quam bene capillatus.

Vix jam videtur locus esse, qui tantos acervos pecuniæ capiat. Auget, addit, accumulat: AURUM, AR-

13. *Ullo delectu.* Sine discrimine, sine populi rom. cognitione ac judicio.

XXII. 1. *Teget.* Rectius, *tegit,* quod in ed. 1480 legitur. J. V. L.

2. *Hiempsalem.* Hiarbas Numidiæ rex, quem vicit Pompeius, Hiempsalem regem reliquit, cujus Juba filius fuit, a Cæsare postea devictus. Possidebat autem agrum in ora Africæ extra regnum suum, quem quamvis populi esse constaret, tamen decemviri lege exceperant.

3. *Adjudicarit.* Expugnata Carthagine Scipio agrum hunc de quo sæpius inter Massinissam et Carthaginienses ontentio fuerat, jure victoriæ populo rom. adjudicavit. Postea autem agrum hunc Hiempsali consul Cotta tradidit.

4. *Ut satis firmum.* Timet ne non satis ratum esse videatur.

5. *Excipitur.* Rullus sua lege fœderis hujus cognitionem vestro judicio sustulit, et vestro injussu comprobat. Hoc erat enim illi propositum, ut omnium ordinum potentiam, et civium libertatem modis omnibus minueret.

6. *Bene nummatus.* Significat ab eo pecunia Rullum corrumpi posse; quum autem *bene capillatum* appellat, innuit eum Rulli libidini inservire posse. Nam in pueris et adolescentibus amatores capillum longiorem lau-

GENTUM EX PRÆDA, EX MANUBIIS, EX CORONARIO [7], AD QUOSCUMQUE PERVENIT, NEQUE RELATUM EST IN PUBLICUM, NEQUE IN MONUMENTO CONSUMPTUM, id profiteri apud decemviros, et ad eos referre jubet. Hoc [8] capite etiam quæstionem de clarissimis viris, qui populi romani bella gesserunt, judiciumque de pecuniis repetundis, ad decemviros translatum [9] videtis. Horum erit [nullum [10]] judicium, quantæ cujusque manubiæ fuerint, quid relatum, quid residuum sit. In [11] posterum vero lex hæc imperatoribus vestris constituitur, ut, quicumque de provincia decesserit, apud eosdem decemviros, quantum habeat prædæ, manubiarum, auri coronarii, profiteatur. Hic tamen vir optimus eum, quem amat, excipit, Cn. Pompeium. Unde iste amor tam improvisus ac tam repentinus? Qui honore decemviratus excluditur [12] prope nominatim; cujus judicium, legumque datio, captorum agrorum ipsius virtute cognitio tollitur; cujus non in provinciam, sed in ipsa castra decemviri cum imperio, infinita pe-

dare solebant Hor. Carm. III, 20, 114.

7. *Ex coronario*. Ad ornamentum triumphi a provincialibus aurum exigebatur, quo nomine magnam vim a populis extorqueri Dio declarat. Inde autem ei venerat nomen, quod in triumpho multæ aureæ coronæ deferri solerent.

8. *Hoc capite*. Illud superioribus annis jam tentatum, quietis publicæ causa fuerat omissum; et præcipue ad Cornelium Faustum dictatoris filium pertinebat, qui ea pecuniæ vi quam pater habuerat, tamquam propria et privata erat abusus.

9. *Translatum*. A prætore et a populo ad reges illos decemviros.

10. Locus vexatus. Alii « nunc » legunt; alii, « illud, liberum, solutum, etc. » Schütz. omittit. Defendit B. Weisk. pronomen « horum » ad cives rom. referens, quos gestu demonstrare potest orator, et significat judicum populi rom. nomine sententiam ferentium nullam jam fore auctoritatem, nullum judicium in talibus publicis causis. Neque improbandum videtur.

11. *In posterum*. Hæc lex non tantum in eos constituitur, qui rem ante gesserunt, verum etiam in eos qui hoc toto quinquiennio, quo decemviri erunt, res gesserint, et de provincia decesserint.

12. *Excluditur*. Quia præsentem profiteri jubet. Pompeius quum absit longissime, prope nominatim excludi videtur.

cunia, maxima potestate; et judicio rerum omnium, mittuntur; cui jus imperatorium [13], quod semper omnibus imperatoribus est conservatum, soli [14] eripitur: is excipitur unus, ne manubias referre debeat. Utrum tandem hoc capite honos haberi homini, an invidia quæri videtur?

XXIII. Remittit [1] hoc Rullo Cn. Pompeius; beneficio isto legis, benignitate decemvirali nihil utitur. Nam si est æquum, prædas ac manubias suas imperatores, non in monumenta deorum immortalium, neque in urbis ornamenta conferre; sed ad decemviros, tamquam ad dominos, deportare [2]: nihil sibi appetit [3] præcipue Pompeius, nihil; vult se in communi, atque in eodem, quo ceteri, jure versari. Sin est iniquum, Quirites, si turpe, si intolerandum, hos decemviros, portitores [4] omnibus omnium pecuniis constitui, qui non modo reges atque exterarum nationum homines, sed etiam imperatores nostros excutiant: non mihi videntur honoris causa excipere Pompeium, sed metuere, ne ille eamdem contumeliam, quam ceteri, ferre non possit [5]. Pompeius autem quum [6] hoc animo sit, ut, quidquid vobis placeat, sibi ferendum putet; quod vos ferre non poteritis, id

13. *Jus imperatorium.* Ut judicaret, leges daret, cognosceret.

14. *Soli eripitur.* Solus enim tunc temporis bellum gerebat.

XXIII. 1. *Remittit.* Hoc ab eo non postulat; abnegat.

2. *Deportare.* Al. «reportare». J. V. L.

3. *Nihil sibi appetit.* Nullam sibi exceptionem præter ceteros concedi petit Pompeius. — *Præcipue.* Exclusis aliis et ea gratia privatis.

4. *Portitores.* Sunt operæ publicanorum, qui portoria redemerant, merces excutiebant et portorium exigebant. In quo quum iniquius et acerbius versarentur, omnibus invisi erant hominibus. Conf. Casaubon. ad Theophrast. 6; Burmann. de vectig. p. 140. Multi interpretes hoc in loco errant. — *Portitor*, a portu; *portorium*, vectigal e mercatura.

5. *Ferre non possit.* Erat enim potentia Pompeii formidolosa; et tanti dux exercitus injuriam forte non tulisset, quæ causa exceptionis fuerit.

6. Abest *quum*. J. V. L.

profectò perficiet [7], ne diutius inviti ferre [8] cogamini. Verumtamen cavet, ut, SI QUA PECUNIA [9] POST NOS CONSULES EX NOVIS VECTIGALIBUS RECIPIATUR, EA DECEMVIRI UTANTUR. Nova porro vectigalia videt ea fore, quæ Pompeius adjunxerit. Ita remissis [10] manubiis, vectigalibus ejus virtute partis se frui putat oportere. Parta sit pecunia, Quirites, decemviris tanta, quanta sit in terris; nihil prætermissum [11]; sed omnes urbes, agri, regna denique, postremo etiam vectigalia vestra venierint; accesserint in cumulum manubiæ vestrorum imperatorum : quantæ et quam immanes divitiæ decemviris in tantis auctionibus, tot judiciis, tam infinita potestate rerum omnium quærantur, videtis.

XXIV. Cognoscite [1] nunc alios immensos atque intolerabiles quæstus, ut intelligatis, ad certorum hominum [2] importunam avaritiam hoc populare legis agrariæ nomen esse quæsitum. Hac pecunia jubet agros emi, quo deducamini. Non consuevi homines appellare asperius [3], Quirites, nisi lacessitus. Vellem [4] fieri posset, ut a me sine contumelia nominarentur ii, qui se decemviros sperant futuros : jam videretis, quibus

7. *Perficiet.* Sic edit. 1480. Alii, *perficiat.* J. V. L.

8. *Ferre cogamini.* Pompeius etiamsi non suæ contumeliæ impatiens futurus sit, male tamen haberi populum non patietur, et potestatem hanc decemviralem abrogandam curabit.

9. *Si qua pecunia.* Alio legis titulo Rullus jubet, si qua pecunia, post Ciceronem et Antonium consules, ex novis vectigalibus recipiatur, ea decemviri utantur. Quo capite Pompeium attingit, cujus vectigalia occupat, ne omni parte sit immunis.

10. *Remissis manubiis.* Itaque quum Pompeii manubiis pepercerit, Rullus putat sibi fruendum iis agris, quos Pompeius hosti ademerit.

11. *Nihil prætermissum; sed omnes urbes.* Lallem. e MSS, *n. pr. sit; omn. u.* J. V. L.

XXIV. 1. *Cognoscite.* Nunc de quæstuosis agrorum emptionibus disputat, qua ratione ostendet paucorum utilitati et intolerandæ avaritiæ servire legem hanc agrariam.

3. *Certorum hominum.* Qui decemviratum affectant.

3. *Appellare asperius.* Ullam hominibus dicere contumeliam, homines cum probro nominare.

4. *Vellem.* Al. *velim.* J. V. L.

hominibus [5] omnium rerum et vendendarum et emendarum potestatem permitteretis. Sed, quod ego nondum statuo mihi esse dicendum, vos tamen id potestis cum animis vestris cogitare. Unum hoc certe videor mihi verissime posse dicere : tum, quum haberet hæc respublica Luscinos [6], Calatinos, Acidinos, homines non solum honoribus populi rebusque gestis, verum etiam patientia paupertatis ornatos [7]; et tum, quum erant Catones, Philippi [8], Lælii, quorum sapientiam temperantiamque in publicis [9] privatisque, forensibus domesticisque rebus perspexeratis; tamen hujuscemodi res commissa nemini est, ut idem judicaret et venderet [10], et hoc faceret per quinquennium toto in orbe terrarum, idemque agros vectigales [11] populi romani abalienaret, et quum summam tantæ pecuniæ, nullo teste, sibi ipse ex sua voluntate fecisset [12], tum denique emeret, a quibus vellet, quod videretur. Committite vos nunc, Quirites, his hominibus hæc omnia, quos odorari hunc decemviratum suspicamini : reperietis, partem esse eorum [13], quibus ad

5. *Quibus hominibus*. Partim profusis, partim avarissimis, ut erat collega Ciceronis Antonius, aliique multi.

6. *Luscinos*. Intelligit C. Fabricium Luscinum consulem, an. U. C. 471, iterumque 475, A. Atilium Calatinum cos. ann. U. C. 495 et 499. Denique L. Manlium Acidinum, ann. U. C. 574, consulem.

7. *Ornatos*. Qui ex paupertate ornamentum, ut ceteri nunc ex divitiis, quærebant, Curiorum instar.

8. *Philippi*. De oratore eodemque consule L. Philippo orator loquitur; nisi forte potius legendum sit, ut Manutio et plerisque editoribus placuit, « Phili », qui L. Furius Philus cos. ann. U. C. 617, intelligitur.

9. *Quorum sapientiam temperantiam in publicis*. In rebus civitatis, suis, amicorum et familiæ.

10. *Judicaret et venderet*. Quum hæ sint omnino diversæ partes, judicatio et agrorum abalienatio.

11. *Agros vectigales*. Eos, qui a censoribus publice locabantur; et hac ratione vectigal pendebant.

12. *Fecisset*. Tantum pecuniæ, quantum vellet, redegisset.

13. *Partem esse eorum*. Alios ex istis futuris decemviris augendarum divitiatum appetentes, quo vitio M. Crassus significatur; alios ideo magistratum hunc quærere, ut multo plura profundant; quod ad L. Lucullum et L. Cæsarem pertinere videtur.

habendum, partem, quibus ad consumendum, nihil satis esse videatur.

XXV. Hic ego jam illud, quod expeditissimum sit, ne disputo quidem, Quirites, non esse hanc vobis a majoribus relictam consuetudinem, ut emantur agri a privatis, quo plebs [1] publice deducatur; omnibus legibus agris publicis [2] privatos esse deductos; hujuscemodi me aliquid ab hoc horrido [3] ac truce tribuno plebis exspectasse: hanc vero emendi et vendendi quæstuosissimam ac turpissimam mercaturam [4], alienam actione tribunitia, alienam dignitate populi romani semper putavi. Libet agros emi? Primum quæro, quos agros? et quibus in locis? nolo suspensam et incertam plebem romanam obscura spe [5] et cæca exspectatione pendere. Albanus ager est [6], Setinus, Privernas, Fundanus, Vescinus [7], Falernus, Linternus, Cumanus, Casinas. Audio. Ab alia porta [8], Capenas,

XXV. 1. *Plebs*. Beck. maluit *plebes*, e MSS. J. V. L.

2. *Agris publicis*. In agros publicos, h. e. a populo rom. hostibus ereptos, cives deductos fuisse. Sic Turneb. et Græv. quum autem durior ea Lambino et Garatonio videatur loquendi formula, quæ ablativum casum loco accusativi ponit, sic explicant: Omnibus agrariis legibus privatos possessores esse deductos ex agris qui publici fiebant, ut in eos coloniæ inducerentur. Conf. infra cap. 26.

3. *Ab hoc horrido*. Rullum putabam ab his antiquis exemplis non esse discessurum, præsertim qui ita vultu truculentus est, et vestitu ita horridus et incultus, ut antiquos mores repræsentare velle videatur.

4. *Mercaturam*. Istam nundinationem vendendi agros publicos, emendi privatos.

5. *Nolo susp. et inc. plebem romanam obscura spe*. Sperat enim agros opimos, sed obscura spe ducitur, quum a Rullo nec qui agri illi sint, quos emi vult, nec quibus in locis definiatur.

6. *Albanus ager est*. Hæc Rulli respondentis sunt, atque agros multos emendos nominantis. Albanus ager, Setinus, Privernas in Latio, a porta Capena qua in Appiam viam iter est; Fundanus autem et ceteri in Campania laudatissimorum fructuum feraces.

7. *Vescinus*. A Vescia urbe sic appellatur, inter Molam oppidum et Minturnarum ruinas, ad dexteram ripam Liris. Cluv. Ital. Antiq. III, 2. Conf. Tit. Liv. X, 21.

8. *Ab alia porta*. Flumentana, ubi est ager Capenas et Faliscus Etruriæ; Reatinus Sabinorum; Venafranus, Alifanus, Trebulanus Samnitium.

Faliscus, Sabinus, Reatinus, Venafranus, Alifanus, Trebulanus. Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, et ceteros horum similes non modo emere, verum etiam coacervare [9] possis : cur eos non definis, neque nominas, ut saltem deliberare plebs romana possit, quid intersit sua, quid expediat, quantum tibi in emendis et in vendendis rebus committendum putet? Definio, inquit, Italiam. Satis certa regio [10]. Etenim quantulum interest, utrum in Massici radices, an in Apuliam [11], aliove deducamini? Age [12], non definis locum: quid? naturam agri? Vero [13], inquit, QUI ARARI, AUT COLI POSSIT. Qui possit arari, inquit, aut coli; non qui aratus, aut cultus sit. Utrum hæc lex est, an tabula Neratianæ [14] auctionis? in qua scriptum fuisse aiunt : JUGERA CC, IN QUIBUS OLIVETUM FIERI POTEST; JUGERA CCC, UBI INSTITUI VINEÆ POSSUNT. Hoc tu emes ista innumerabili pecunia, quod arari, aut coli possit? Quod solum tam exile et macrum est, quod aratro perstringi [15] non possit? aut quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum

9. *Coacervare.* Plurimos agros acervatim emere, quos tibi omnes vindices.

10. *Satis certa regio.* Ironia : Italiæ nomen quum tam late pateat, nihil plane isto modo definitur. Continuatur ironia; plurimum enim interest utrum in Massici radices, hoc est, in fertilissimum ac felicissimum coloniæ locum, an in Apuliam, nempe regionem tunc sterilem ac pestilentem deducantur; ita ut opponatur loco urbi satis propinquo et omni frugum copia ac præstantia celebri, locus alter longinquus, situ ac pestilentia obsitus.

11. *Apuliam.* Vulg. *Italiam.* Sequimur necessariam emendationem P. Manut. Codd. nihil variant. J. V. L.

12. Al. *age vero*, *def. l.* J. V. L.

13. *Vero.* Affirmantis adverbium veteribus usitatum. Imo vero definio, inquit Rullus, quum in lege dico : qui arari, aut coli possit.

14. *Neratianæ auctionis.* Quum nullo modo Neratius ille cognoscatur, ex ipsis Ciceronis verbis suspicari licet præconem fuisse, qui, quum vendendos agros proscriberet, ridiculas auctionis tabulas proposuit, quibus uti steriles ac incultas terras melius venderet, scripsit exempli gratia : jugera cc, ubi olivetum fieri possit, etc. Quæ fallendi emptoris ratio in proverbium abiit. Olim, *Veratianæ.*

15. *Perstringi.* Leviter aratro tamquam radi; ita arari, ut vomer non deprimatur ad justam altitudinem.

cultus non elaboret? Idcirco, inquit, agros nominare non possum, quia tangam nullum[16] ab invito. Hoc quoque multo est quæstuosius, quam si ab invito sumeret : inibitur enim ratio quæstus de vestra pecunia, et tum denique ager emetur, quum idem expedierit emptori et venditori.

XXVI. Sed videte vim[1] legis agrariæ : ne ii quidem, qui agros publicos possident, decedent de possessione, nisi erunt deducti optima conditione et pecunia maxima[2]. Conversa ratio. Antea, quum erat a tribuno plebis mentio legis agrariæ facta, continuo qui agros publicos, aut qui possessiones[3] invidiosas tenebant, pertimescebant. Hæc lex eos homines fortunis locupletat[4], invidia liberat. Quam multos enim, Quirites, existimatis esse, qui latitudinem possessionum tueri, qui invidiam Sullanorum agrorum[5] ferre non possint? qui vendere cupiant, emptorem non reperiant? perdere[6] jam denique illos agros ratione aliqua velint? Qui paullo ante, diem noctemque, tri-

16. *Tangam nullum.* Nullum sumam, emam ab invito. Unde etiam novum accessurum decemviris lucrum ostendit Cicero, quum expediet decemviro emptori emere parvo, quod populo inducat magno, et expediet venditori malum agrum vendere, pestilentem nimirum, aut sterilem.

XXVI. 1. *Videte vim.* Ironia : videte quam parum virium ac roboris hæc habeat lex; quod possessores agrorum publicorum, non nisi optimis conditionibus possessione sint cessuri; quod quam absurdum sit, ostendit comparatione superioris et hujus temporis adhibita.

2. *Pecunia maxima.* Quum eis, non accepta pecunia, decedendum esset; cur enim, quod publicum est, vendant?

3. *Possessiones invidiosas.* Ob eam causam, quod supra modum creverant; et plerique eas per proscriptiones erant adepti, ut Crassus, ut Valgius, Rulli socer.

4. *Locupletat.* Quia, quanti volent, agros eos decemviris vendituri sunt, quasi mercatura quadam inter eos constituta. — *Invidia liberat.* Imminuto possessionum per scelus partarum modo, accepta scilicet a decemviris pecunia.

5. *Sullanorum agrorum.* Quos inimicis ademptos Sulla aut militibus largitus est, aut vili pretio proscriptos vendidit.

6. *Perdere.* Qui tanta invidia flagrant, ut quoquo modo agris iis liberari cupiant.

bunitium nomen horrebant[7], vestram vim metuebant[8], mentionem legis agrariæ pertimescebant : ii nunc etiam ultro rogabuntur atque orabuntur, ut agros partim publicos, partim plenos invidiæ, plenos periculi, quanti ipsi velint, decemviris tradant. Atque hoc carmen hic tribunus plebis non vobis, sed sibi intus canit[9]. Habet socerum[10], virum optimum, qui tantum agri in illis reipublicæ tenebris[11] occupavit, quantum concupivit. Huic subvenire vult succumbenti jam, oppresso, Sullanis oneribus gravi[12], sua lege, ut liceat illi invidiam deponere, pecuniam condere. Et vos non dubitatis[13], quin vectigalia vestra vendatis, plurimo majorum vestrorum sanguine et sudore quæsita, ut Sullanos possessores divitiis augeatis, periculo liberetis?

Nam ad hanc emptionem decemviralem duo genera agrorum[14] spectant, Quirites. Eorum unum, propter invidiam, domini fugiunt; alterum propter vastitatem. Sullanus ager, a certis hominibus latissime continuatus, tantam habet invidiam, ut veri[15] ac fortis tribuni plebis stridorem unum perferre non possit.

7. *Horrebant*. Ne lex agraria a tribunis pl. promulgaretur, de Sullanis assignationibus rescindendis.

8. *Metuebant*. Ne plebs, Sullanis inimica, legem agrariam juberet.

9. *Intus canit*. Hoc noo ad vestram, sed ad suam utilitatem confert. De proverbio hoc a Græcis ad Latinos traoslato, vide quæ molta diximus ad Verr. 1, 20.

10. *Socerum*. Valgium, cujus ergo legem conscriptam noo semel innuit.

11. *Tenebris*. Quum impune furari per caliginem illam reip. suffusam, ac tempora miserrima liceret.

12. *Sullanis oneribus gravi*. Multitudine agrorum, quos, victore Solla, ad libidinem occopavit, prægravato, atque invidia laboraoti.

13. *Et vos non dubitatis*. Quum legem oon pro vestris, sed pro domesticis otilitatibos ferat Rullus, vos adhoc dubitatis vectigalia vestra vendere, plurimo majorum sanguine et sodore quæsita, ut Sullanos possessores divitiis aogeatis, atque iuvidia omni liberetis.

14. *Duo agrorum genera*. Alii suut ita late cootiouati agri, ut invidiam pariant, alii ita pestilentes, ot vasti sint ac deserti.

15. *Veri*. Qui vere causam pl. tuetur.

Hic ager omnis, quoquo pretio [16] coemptus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur [17]. Alterum genus agrorum, propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum atque desertum, emetur ab [18] iis, qui eos vident sibi esse, si non vendiderint, relinquendos. Et nimirum istud est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu [19] : urbanam plebem nimium in republica posse; exhauriendam esse [20] : hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur.

XXVII. Vos vero, Quirites, si me audire vultis, retinete istam possessionem gratiæ [1], libertatis, suffragiorum, dignitatis [2], urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum : nisi forte mavultis, relictis his rebus, atque hac luce reipublicæ, in Sipontina [3] siccitate, aut in Salapinorum pestilentiæ finibus, Rullo duce, collocari. At [4] dicat, quos agros empturus sit; ostendat, et quid, et quibus daturus sit. Ut vero, quum omnes urbes, agros, ve-

16. *Quoquo pretio.* Etiam minimo.

17. *Ingenti pecunia inducetur.* Tamen majori semper pretio in tabulas referetur; nimio pluris constabit, quanti valet.

18. *Ab iis.* Ex iis possessoribus emetur.

19. *In senatu.* Quum de coloniis deducendis ageret.

20. *Exhauriendam esse.* Urbem ea plebe exonerandam esse. Quo verbo et inepte, et imprudenter usus erat Rullus. Conf. Catil. II, 4.

XXVII. 1. *Possessionem gratiæ.* Quam inire licet ab iis, de quibus magistratum petentibus in campo Martio suffragium fertis. — *Libertatis.* Nam dominatum occupare conantur decemviri. — *Suffragiorum.* Quorum jus eripere vobis vult Rullus. Vide supra cap. 11 init.

2. *Dignitatis.* Non modo dignitas, verum etiam majestas tribuitur populo romano.

3. *Sipontina.* Sipus, vel Sipontum, Apuliæ oppidum est ad mare, juxta Garganum montem. Salapia autem non longe a Siponto abest, de qua sic Vitruv. I, 4 : «Insidentes sunt paludes et non habent exitus profluentes, neque per flumina, neque per fossas, uti Pomptinæ; stando putrescunt et humores graves et pestilentes in his locis emittunt ».

4. *At dicat.* Lall. post Turnebum, *Aut dicat.* J. V. L.

ctigalia, regna vendiderit; tum arenam aliquam [5], aut paludes emat: id vos potestis, quæso, concedere?

Quamquam illud est egregium, quod hac lege ante omnia veneunt, ante pecuniæ coguntur et coacervantur, quam gleba una ematur. Deinde emi jubet; ab invito vetat. Quæro [6], si, qui velint vendere, non fuerint, quid pecunia fiet? Referre in ærarium lex vetat; exigi prohibet. Igitur pecuniam omnem decemviri tenebunt; vobis ager non emetur. Vectigalibus abalienatis, sociis vexatis, regibus atque omnibus gentibus exinanitis [7], illi pecunias habebunt, vos agros non habebitis. Facile, inquit, adducentur pecuniæ magnitudine, ut velint vendere. Ergo ea lex [8] est, qua nostra vendamus, quanti possimus; aliena emamus, quanti possessores velint.

Atque in hos agros, qui hac lege empti sint, colonias ab iis decemviris deduci jubet. Quid? omnisne ejusmodi locus est, ut nihil intersit reipublicæ, colonia deducatur in eum locum, necne? An est locus, qui coloniam postulet? [est plane: rectius, et [9]] quo in genere [10], sicut in ceteris reipublicæ partibus, est operæ pretium diligentiam majorum recordari: qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiæ, sed pro-

5. *Arenam aliquam.* Sterilem quamdam regionem. — *Paludes.* Pestilentes agros.

6. *Quæro.* Vos interrogo, si nemo occurrat, qui vendere velit, quid de pecunia fiet?

7. *Exinanitis.* Exhaustis a decemviris, qui eos fortunis et regnis spoliabunt.

8. *Ergo ea lex est.* Hanc ergo legem constituistis, ut minimo publica vendantur, magno privata emantur; ut non tam vobis quam possessoribus consulatur.

9. *Est plane : rectius, et.* Locus corruptus, quem sic Lauredanus emendavit, Lambino primum approbante, « est, qui plane recuset ?» Verum præstat ipsa codicum exhiberi menda, quam interpolationem aliorum.

10. *Quo genere.* Qua in re, ut in ceteris, majorum exempla sunt inspicienda.

pugnacula imperii [11] viderentur. Hi deducent colonias in eos agros, quos emerint. Etiamne si reipublicæ non expediat? ET IN QUÆ LOCA PRÆTEREA VIDEBITUR. Quid igitur est causæ, quin coloniam in Janiculum possint deducere, et suum præsidium in capite atque cervicibus vestris collocare [12]? Tu non definias, quot [13] colonias, in quæ loca, quo numero colonorum deduci velis? tu occupes locum, quem idoneum ad vim [14] tuam judicaris? compleas numero [15]? confirmes præsidio, quo velis? populi romani vectigalibus [16] atque omnibus copiis ipsum populum romanum coerceas? opprimas? redigas in istam decemviralem [17] ditionem ac potestatem?

XXVIII. Ut vero totam Italiam suis præsidiis obsidere atque occupare cogitet, quæso, Quirites, cognoscite. Permittit decemviris, ut in omnia [1] municipia, in omnes colonias totius Italiæ colonos deducant, quos velint; iisque colonis agrum dari jubet. Num obscure majores opes, quam libertas vestra pati potest, et majora præsidia quæruntur? num obscure regnum constituitur? num obscure libertas vestra tollitur? Nam, quum iidem [2] omnem pecuniam, maximam multitudinem, id est, totam Italiam, suis opibus ob-

11. *Propugnacula imperii.* Siculus Flaccus maritimas initio esse deductas colonias dicit ad tuendam Italiæ oram.

12. Al. addunt *possint.* J. V. L.

13. Græv. Lallem. *quo.* J. V. L.

14. *Ad vim tuam.* Ad opprimendam populi rom. libertatem, vimque ei faciendam.

15. *Numero.* Colonorum — *Præsidio.* Militum.

16. *Vectigalibus.* Hac tanta pecunia, quam ex vectigalium auctione coegeria.

17. *Decemviralem.* Qualem exercuerunt decemviri olim consulares, Appii collegæ.

XXVIII. 1. *In omnia municipia.* Gracchus enim colonos dedit municipiis, vel ad supplendum civium numerum, vel ad coercendos tumultus, qui subinde nascebantur.

2. *Quum iidem.* Quum decemviri immensam pecuniæ vim, magnam hominum multitudinem, quæ tota Italia continetur, obtinebunt; quum colonia istis, tamquam satellitibus populi rom. libertatem oppressam obsidebunt, qua ratione ea recuperabitur?

sidebunt; iidem vestram libertatem suis præsidiis et coloniis interclusam tenebunt : quæ spes tandem, quæ facultas recuperandæ vestræ libertatis relinquetur?

At enim [3] ager Campanus hac lege dividetur, orbis terræ pulcherrimus; et Capuam colonia deducetur, urbem amplissimam atque ornatissimam. Atqui [4] quid ad hæc possumus dicere? De commodo vestro prius dicam, Quirites; deinde ad amplitudinem et dignitatem revertar : ut, si quis [5] agri aut oppidi bonitate delectetur, ne quid exspectet; si quem rei dignitas commovet, ut huic simulatæ largitioni resistat.

Ac primum de oppido dicam, si quis est forte, quem Capua magis, quam Roma delectat. Quinque millia colonorum Capuam scribi jubet : ad hunc numerum [6] quingenos sibi singuli sument. Quæso, nolite vosmet ipsos [7] consolari [8]; vere et diligenter considerate. Num vobis, aut vestri similibus, integris [9], quietis, otiosis hominibus, in hoc numero locum fore putatis? Si est omnibus vobis, aut majori vestrum parti, quamquam me vester honos [10] vigilare dies atque noctes, et intentis oculis omnes reipublicæ partes [11] intueri jubet; tamen paullisper, si ita commo-

3. *At enim.* Verum, respondet Rullus, non omnes in pestilentia loca deducentur; lex nostra Campanum agrum dividi jubet.

4. *Atqui.* Lallem. *Atque.* J. V. L.

5. *Ut, si quis.* Ut ii quos agri fertilitas, aut Urbis pulchritudo pellicere posset, se hic habitaturos non sperent; ii autem qui honesti rationem habent, huic falsæ largitioni obsistant.

6. *Ad hunc numerum.* Ut hic numerus quinque millium conficiatur, unusquisque decemvir quingenos arbitratu suo colonos deliget.

7. Ernest. magis probaret *vosmet ipsi.* J. V. L.

8. *Consolari.* Nolite vos bona spe de prospero rei eventu pascere.

9. *Integris.* Probis. — *Otiosis.* Qui nihil mali moliantur, qui non turbas agant.

10. *Vester honos.* Hoc significat laborandum esse populo de honore potius quam de commodo; se tamen commodi quoque rationem habiturum.

11. *Reip. partes.* Ne quid resp. detrimenti capiat. — *Connivebo.* Velut oculis clausis dissimulabo et feram.

dum vestrum feret, connivebo. Sed si [12] quinque hominum millibus, ad vim, facinus, cædemque delectis, locus atque urbs, quæ bellum facere [13] atque instruere possit, quæritur; tamenne patiemini, vestro nomine [14] contra vos firmari opes? armari præsidia? urbes, agros, copias comparari? Nam agrum quidem Campanum, quem vobis ostentant, ipsi concupiverunt; deducent suos, quorum nomine ipsi teneant et fruantur; coement præterea; ista dena jugera continuabunt [15]. Nam, si dicent per legem id non licere; ne per Corneliam [16] quidem licet. At videmus, ut longinqua mittamus, agrum Prænestinum [17] a paucis possideri: neque istorum pecuniis [18] quidquam aliud deesse video, nisi ejusmodi fundos, quorum subsidio familiarum magnitudines, et Cumanorum ac Puteolanorum prædiorum sumptus [19] sustentare possint. Quod si vestrum commodum spectat; veniat, et coram mecum de agri Campani divisione disputet.

XXIX. Quæsivi ex eo kalendis jan. quibus hominibus, et quemadmodum illum agrum esset distributurus. Respondit, a Romilia tribu [1] se initium esse facturum. Primum, quæ est ista superbia [2] et contu-

12. *Sed si.* Sin autem non boni viri eligentur, sed homines ad audenda quæque prompti.

13. *Bellum facere.* Quod postea evenit, quum Cæsar, deducta Capuam colonia, ejus maxime opera in bello civili est usus, « et ad bellum instruendum, ut ait ipse Bell. Civ. I, et ad exercitus ornandos, et tectis ac sedibus suis recipiendos ».

14. *Vestro nomine.* Quasi vestris utilitatibus lege agraria consulatur.

15. *Continuabunt.* Aliis emptis jugeribus, quæ falso nomine obtinebunt.

16. *Per Corneliam.* Quæ a L. Cornelio Sulla dictatore lata, vetabat ne sibi divisos agros ullus venderet.

17. *Agrum Prænestinum.* Ea lege a Sulla divisum.

18. *Istorum pecuniis.* Nec quidquam decemvirorum divitiis deest, nisi terræ; quarum reditu, tantum domesticorum ac servorum numerum, et sumptus quos in villis suis edunt, alere ac sustinere possint.

19. *Sumptus.* Qui fiunt maximi, voluptatis causa, quum molibus mare ipsum fatigent.

XXIX. 1. Lall. e Festo, *Romulia.*

2. *Ista superbia.* Populus romanus

melia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur? ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes et jucunditas ostenditur? Aut, si hoc ab se dictum negat, et satisfacere omnibus vobis[3] cogitat: proferat[4]; in jugera[5] dena describat; a Suburana[6] usque ad Arniensem nomina vestra proponat. Si non modo dena jugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum intelligetis; tamenne vexari rempublicam, contemni majestatem populi romani, deludi[7] vosmet ipsos diutius a tribuno plebis patiemini?

Quod si posset[8] ager iste ad vos pervenire; nonne eum tamen in patrimonio vestro remanere malletis? Unumne fundum pulcherrimum populi romani, ca-

ita in xxxv tribus erat divisus, ut xxxi essent rusticæ, quæ cives omnes locupletes et fere ingenuos complectebantur; iv urbanæ, in quas transferri, teste Plinio, ignominiæ erat. Rusticas autem nunc tribus intelligere debemus rusticam plebem, quæ in agris, colendi causa, morabatur, urbanas vero urbanam plebem, quæ agrorum expers urbem incolebat ac forum terebat. Quamvis autem pluris urbanæ tribus fierent, secundum tamen locum in censu obtinebant; et superbia erat ordinem tribuum negligere quæ ab urbanis inchoabant; contumelia iis largiri agros, qui jam habent, dum ii quibus ista habendorum agrorum spes ostenditur, nihil habebunt.

3. *Omnibus vobis*. Et rusticis et urbanis.

4. *Proferat*. Libellum suum ostendat quibus et quomodo daturus sit.

5. *In jugera dena*. Ex decem jugerum modo agrum Campanum dividat; ita universam describat plebem, ut singulis dena in Campania assignentur jugera. Lamb. correxerat «in singulos jugera duodena». Vulgatæ standum.

6. *A Suburana*. A prima ex urbanis tribubus, ea nempe quæ ad Suburam habitat, ad ultimam ex rusticis tribubus quæ Arniensem regionem obtinet. Ultima autem ea erat, non tempore, sed locorum intervallo; abest enim longius ab Urbe Arniensis regio quam ulla alia, unde tribus nomen duxerint. Corrupte quidam «Narniensem» legunt. Vid. Drakenb. ad T. Liv. VI, 5, XXIX, 37; Sigon. de Antiq. Jur. civ. Rom. III, etc.

7. *Deludi*. Falsa agrorum ostentatione.

8. *Quod si posset*. Postquam fieri non posse ostendit orator tantam multitudinem in Campania coacervari, significat etiamsi fieri posset, tam pulchrum agrum a rep. non esse abalienandum.

put vestræ pecuniæ[9], pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium[10], horreum legionum, solatium annonæ[11], disperire patiemini? An obliti estis, Italico bello[12], amissis ceteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? An ignoratis, cetera illa magnifica[13] populi romani vectigalia, perlevi sæpe momento fortunæ, inclinatione temporis pendere? Quid nos Asiæ portus, quid Syriæ rura, quid omnia transmarina vectigalia juvabunt, tenuissima suspicione prædonum aut hostium injecta? At vero hoc agri Campani vectigal quum ejusmodi est, ut domi sit[14], et omnibus præsidiis oppidorum tegatur; tum neque bellis infestum, nec fructibus varium, nec cælo ac loco calamitosum esse solet. Majores nostri non solum id, quod a Campanis ceperant, non imminuerunt[15]; verum etiam, quod ei tenebant, quibus adimi jure non poterat, coemerunt. Qua de causa nec duo Gracchi[16], qui de plebis romanæ commodis plurimum cogitaverunt, nec L. Sulla, qui omnia sine ulla religione[17], quibus voluit, est dilargitus, agrum Campanum attingere ausus est. Rullus exstitit, qui ex ea possessione rempublicam demoveret, ex qua nec Gracchorum benignitas[18] eam, nec Sullæ dominatio dejecisset.

9. *Caput vestræ pecuniæ*. Præcipuam vectigalium vestrorum partem.

10. *Fundamentum vectigalium*. Quod ea regio numquam colonorum spes fallat, certique sit vectigalis.

11. *Solatium annonæ*. Unde Romæ caritas annonæ levetur.

12. *Italico bello*. Quod et Sociale et Marsicum dictum; quum Itali, promisso civitatis jure exclusi, gravissimum bellum Romanis intulerunt.

13. *Cetera illa magnifica... vectigalia*. Transmarina, quæ pluris quam Italica locantur.

14. *Ut domi sit*. Ut domestica, ut in Italia, ut suburbana sit provincia.

15. *Non imminuerunt*. Non diviserunt, non largiendo fregerunt.

16. *Duo Gracchi*. Qui leges agrarias tulerunt.

17. *Sine ulla religione*. Nullo metu, nullo respectu deterritus.

18. *Benignitas*. Hoc loco Gracchorum benignitatem appellat, quam apud

XXX. Quem agrum nunc prætereuntes vestrum esse dicitis, et quem per[1] iter qui faciunt, externi homines, vestrum esse audiunt: is quum erit divisus, neque erit, neque vester esse dicetur. At qui homines possidebunt? Primo quidem acres, ad vim prompti, ad seditionem parati, qui, simul ac decemviri concrepuerint[2], armati in cives, et expediti ad cædem esse possint. Deinde ad paucos, opibus et copiis affluentes, totum agrum Campanum perferri videbitis. Vobis interea, qui illas a majoribus pulcherrimas vectigalium sedes armis captas accepistis, gleba nulla de paternis atque avitis[3] possessionibus relinquetur; ac tantum intererit[4] inter vestram et privatorum diligentiam, quod, quum a majoribus nostris P. Lentulus[5], qui princeps senatus, in ea loca missus esset, ut privatos agros[6], qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coemeret, dicitur renuntiasse, nulla se pecunia fundum cujusdam emere po-

senatum largitionem appellavit, utroque loco convenienter audientium auribus serviens.

XXX. 1. Schutz. sine causa ulla vel auctoritate, addit *eum*, ut legatur, «quem per eum iter qui faciunt». Frustra Manutius ad h. l. cavillatur, tamquam ita dici non possit. *Per* autem eodem sensu sæpius usurpatur quo *propter*. Vid. Drakenb. ad Tit. Livium, XXVIII, 42, et Oudend. ad II de Niv. 57.

2. *Concrepuerint.* Signum minimo digitorum aut pedum pulsu dederint. Quod ad augendam invidiam est dictum: homines enim superbi servis imperantes interdum digitorum concrepitu voluntatem significabant. Sic Petron. VII: «Trimalchio, lautissimus homo digitos concrepuit; ad quod signum matellam spado ludenti supposuit». Ad quem locum vide Cl. Burmanni observationes.

3. *Paternis atque avitis.* Quas patres avique vestri, non privatim, sed publico vectigalium nomine obtinuerunt.

4. *Tantum intererit.* Adeo vos in hac re a privatorum diligentia et cura distabitis in re familiari tuenda.

5. *P. Lentulus.* P. Cornelius Lentulus avus fuit Lentuli, qui cum Catilina conjuravit, consul anno 591, princeps senatus non multo post secundum bellum Punicum, armatus Gracchum persequutus, et M'. Aquillium repetundarum accusavit. Manutium toto hoc loco memoria defecit, qui hunc ipsum Catilinæ conscium ait, quum multis aliis locis econtra dixerit.

6. Al. «ut e privatis a.» J. V. L.

tuisse, eumque, qui nollet vendere, ideo negasse se adduci posse, uti venderet, quod, quum plures fundos haberet, ex illo solo fundo numquam malum nuntium audisset[7]. Itane vero? privatum hæc causa commovit: populum romanum[8], ne agrum Campanum privatis gratis[9], Rullo rogante, tradat, non commovebit? Atqui idem[10] populus romanus de hoc vectigali potest dicere, quod ille de suo fundo dixisse dicitur. Asia multos annos vobis fructum Mithridatico bello non tulit; Hispaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit; Siciliæ civitatibus bello fugitivorum M'. Aquillius etiam mutuum frumentum dedit[11]. At ex hoc vectigali numquam malus nuntius auditus est. Cetera vectigalia belli difficultatibus[12] affliguntur: hoc vectigali etiam belli facultates sustentantur.

XXXI. Deinde[1] in hac assignatione agrorum ne illud quidem dici potest, quod in ceteris, agros desertos a plebe atque a cultura hominum liberorum esse non oportere.

Sic enim dico: si Campanus ager dividatur, exturbari et expelli plebem[2] ex agris, non constitui et collocari. Totus enim ager Campanus colitur et possi-

7. *Malum nuntium audisset.* Turpe ergo populo rom. ducendum eat minori uti providentia quam privati homines, qui ne minimam quidem hujus Campani agri partem vendere voluerunt, quod felici semper proventu esset, neque spes umquam agricolarum falleret.

8. Alii, « populus romanus ». J.V.L.

9. *Gratis.* Vult enim Rullus quinque colonorum millibus deductis agros illos, nullo ærario soluta pecunia, dividere.

10. *Atqui idem.* Et tamen eamdem in sententiam loqui potest populus rom. atque illi privati.

11. *Mutuum frumentum dedit.* Siciliæ bello servili vastatæ frumentum, quo sustentaretur, commodavit.

12. Al. *facultatibus.* J. V. L.

XXXI. 1. *Deinde.* Occurrit adversariorum rationi, qui dicebant oportere ut agri a liberis hominibus colerentur, et in desertas regiones deducerentur coloni; et ait hanc rationem in ceteris agris valere posse qui a cultura liberorum hominum sint deserti, in Campano non valere, qui a plebe optima et modestissima colatur.

2. *Plebem.* Nempe ex Romanis, aut colonis, aut veteranis constantem qui agrum hunc colendum redemerant.

detur a plebe, et a plebe[3] optima et modestissima: quod genus hominum optime moratum, optimorum et aratorum et militum, ab hoc plebicola[4] tribuno funditus ejicitur. Atque illi miseri, nati in illis agris et educati, glebis subigendis[5] exercitati, quo se subito conferant, non habebunt: his robustis, et valentibus, et audacibus decemvirum satellitibus agri Campani possessio tota tradetur; et, ut vos nunc de vestris majoribus prædicatis: Hunc agrum nobis majores nostri reliquerunt; sic vestri posteri de vobis prædicabunt: Hunc agrum patres nostri acceptum a patribus suis perdiderunt. Equidem existimo, si jam campus Martius dividatur, et unicuique vestrum, ubi consistat, bini pedes assignentur: tamen promiscue[6] toto, quam proprie parva frui parte malitis[7]. Quare, etiamsi ad vos esset singulos aliquid ex hoc agro perventurum[8], qui vobis ostenditur, aliis comparatur: tamen honestius eum vos universi, quam singuli possideretis. Nunc vero, quum ad vos nihil pertineat, sed paretur aliis, eripiatur vobis[9]: nonne acerrime, tamquam armato hosti, sic huic legi pro vestris agris resistetis? Adjungit Stellatem[10] campum agro Campano, et in eo duodena describit in sin-

3. Abest « et a plebe ». J. V. L.

4. *Plebicola*. Qui plebis romanæ amans ac studiosus videri vult.

5. *Glebis subigendis*. Quum ceteras artes ignorent, quibus victum parare possint; neque, ut decemvirorum satellites, ferro et seditionibus assueti.

6. *Promiscue*. Communiter, confuse cum aliis.

7. *Malitis*. Alii, « malletis ». Tres codd. Oxoniens. « maletis », quod probat Gœrenz. ad Ciceron. Academ. I, cap. 2. J. V. L.

8. *Perventurum*. Ex agro Campano, qui non vobis assignabitur, sed hominibus qui vos postea opprimant.

9. *Eripiatur vobis*. Quum vestrum sit patrimonium.

10. *Stellatem campum*. Qui Campaniæ vicinus ideo *campus* vocatur, quod esset sine montibus planities, quum in agro Campano montes essent. Cæsar postea eumdem hunc campum cum Campano agro suis divisit, ut videre est apud Cic. ad Att. II, 17, et Suet. in Cæs.

gulos homines jugera. Quasi vero paullum[11] differat ager Campanus, ac Stellatis.

Et multitudo, Quirites, quæritur, qua illa omnia oppida compleantur. Nam dixi antea, lege permitti, ut, quæ velint municipia, quas velint veteres colonias, colonis suis occupent. Calenum municipium complebunt; Teanum[12] opprimént; Atellam, Cumas, Neapolin, Pompeios, Nuceriam suis præsidiis devincient; Puteolos vero[13], qui nunc in sua potestate sunt, suo jure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventitiis copiis occupabunt.

XXXII. Tunc illud Campanæ vexillum[1] coloniæ, vehementer huic imperio timendum, Capuæ[2] a decemviris inferetur; tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quæretur. In id oppidum homines nefarii rempublicam nostram transferre conantur[3], quo in oppido majores vestri nullam omnino rempublicam esse voluerunt: qui tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere. Deleta Car-

11. *Paullum differat*. Quum Stellatis campus adeo a Campano agro bonitate discreparet, multo plura jugera erant unicuique attribuenda, ut pari portione fruerentur. De Stellate campo fuse doctissimus Peregrinius Camp. Felic. II, 33.

12. *Teanum*. Nempe Sidicinum, quod in Campania erat, ut ceteræ laudatæ h. l. urbes. De Teano altero, vid. pro Cluent. 9.

13. *Puteolos vero*. Urbem hanc Cicero pro Cœlio municipium appellat, unde patet eam municipali jure frui ac suos magistratus habere.

XXXII. 1. *Vexillum*. Illud in coloniam proficiscentes sequi solebant, duce ipso coloniæ præeunte. Cf. Phil. II, 40. Olim legebatur, *exsilium*. Lauredano emendatio hæc accepta referatur. J. V. L.

2. *Capuæ*. Olim « Capua ». Lamb. « Capuam ». Quum Capua propter urbis opes et opportunitates multopere Romanis esset timenda, si potentia nimium cresceret, auguratur Cicero coloniam sub vexillo in Capuam urbem deducendam imperio rom. fore periculosam.

3. *Transferre conantur*. Ut olim de transferenda Veios Roma deliberatum fuerat.

thago est, quod quum hominum copiis, tum ipsa natura ac loco, succincta portubus[4], armata muris, excurrere ex Africa, imminere ita[5] fructuosissimis insulis[6] populi romani videbatur. Corinthi[7] vestigium vix relictum est: erat enim posita in angustiis atque in faucibus Græciæ, sic, ut terra claustra locorum teneret, et duo maria[8], maxime navigationi diversa, pæne conjungeret, quum pertenui discrimine[9] separentur. Hæc, quæ procul erant a conspectu imperii, non solum afflixerunt, sed etiam, ne quando recreata exsurgere atque erigere se possent, funditus, ut dixi, sustulerunt. De Capua multum est et diu consultum; exstant literæ[10], Quirites, publicæ; sunt senatusconsulta complura. Statuerunt homines sapientes, si agrum Campanis ademissent, magistratus, senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent[11], imaginem reipublicæ nullam reliquissent, nihil fore, quod Capuam timeremus. Itaque hoc perscri-

4. *Succincta portubus.* Uno ad occidentem, altero ad orientem, quum tota urbs præter exiguum discrimen mari ambiretur. — *Armata muris.* Egregie muros Carthaginis describit Appianus de Bell. Punic. edit. Tollian. p. 95, et ex eo Lipsius Poliorc. III, 5.

5. Lambin. e conjectura Lauredan. et A. Augustini, *Italiæ et fruct.* J.V.L.

6. *Insulis.* Siciliæ et Sardiniæ, unde summi proventus ad rempublicam redibant.

7. *Corinthi.* Quæ lux Græciæ a L. Mummio omnino est deleta, nullam aliam ob causam quam ob loci opportunitatem. Eversionem autem hanc minime laudat Cicero de Off. I, 11.

8. *Duo maria.* Bimaris enim, ut vocat Horatius, Corinthi mœnia Ionio et Ægæo mari alluebantur. — *Navigationi diversa.* In partes maxime diversas navigationi opportuna. Quum altero ex Italia, Dalmatia et Epiro in Græciam; altero in Asiam et Græciæ insulas sit navigatio.

9. *Pertenui discrimine.* Ita ut sæpe de intercidendo isthmo agitatum sit, et Nero in hoc tentamine plurimos cives romanos consumpserit.

10. *Literæ.* Tabulæ publicæ, quæ ad rei memoriam scriptæ sunt. De consultatione vid. T. Liv. XXI, 16.

11. *Sustulissent.* Itaque Livius, XXIX: « Capua quidem sepulcrum et monumentum Campano populo data, extorri et ejecto ipso populo; superest urbs trunca sine senatu, sine plebe, sine magistratibus, prodigium relicta, crudelius habitanda quam si deleta foret ».

ptum in monumentis veteribus reperietis, ut esset urbs, quæ res eas, quibus ager Campanus coleretur, suppeditare [12] posset, ut esset locus comportandis condendisque fructibus, ut aratores, cultu agrorum defessi, urbis domiciliis uterentur, idcirco illa ædificia non esse deleta.

XXXIII. Videte, quantum intervallum sit interjectum inter majorum nostrorum consilia, et inter istorum hominum dementiam. Illi Capuam, receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani agri esse voluerunt: hi, expulsis aratoribus, effusis ac dissipatis fructibus vestris, eamdem Capuam sedem novæ reipublicæ constituunt, molem [1] contra veterem rempublicam comparant. Quod si majores nostri existimassent, quemquam in tam illustri imperio, et tam præclara populi romani disciplina, M. Bruti [2], aut P. Rulli similem futurum (hos enim nos duos adhuc videmus, qui hanc rempublicam Capuam totam transferre vellent), profecto nomen illius urbis non reliquissent. Verum arbitrabantur [3], Corintho et Carthagini, etiamsi senatum et magistratus sustulissent, agrumque civibus ademissent, tamen non defore, qui illa restituerent, atque qui ante omnia commutarent, quam nos audire possemus; hic vero, in oculis senatus populique romani,

12. *Suppeditare.* Uti Capua emporii tantum loco esset, ubi emerentur aratra ferramentaque omnia, quibus agricolæ utuntur.

XXXIII. 1. *Molem.* Tamquam munitionem aliquam ad oppugnandam Romam comparant.

2. Addimus prænomen, Manutii, Gruteri, Lallem. et aliorum exemplo. Desideratur in MSS. Pater fuisse Bruti, qui Cæsarem interfecit, conjicitur; is Marianus ac popularis, de hac populari coloniæ deductione tribunus plebis an. U. 670 legem tulit; in bello civili a Cn. Pompeio est interfectus. Vid. infra c. 34.

3. *Arbitrabantur.* Putabant majores nostri, si integra superessent æmularum civitatum Corinthi et Carthaginis mœnia, fore ut nonnulli locorum intervallo abutentes, ea restituerent; itaque ea omnino delevere.

nihil posse exsistere, quod non ante exstingui atque opprimi posset, quam plane exortum ac natum esset. Neque vero ea res fefellit homines, divina mente et consilio præditos. Nam post Q. Fulvium, Q. Fabium consules, quibus consulibus[4] Capua devicta atque capta est, nihil est in ea urbe contra hanc rempublicam, non dico factum, sed omnino excogitatum. Multa postea bella gesta cum regibus, Philippo[5], Antiocho, Persa, Pseudophilippo[6], Aristonico, Mithridate, et ceteris; multa præterea bella gravia Carthaginiensium, Corinthium, Numantinum; multæ in hac republica seditiones domesticæ, quas prætermitto; bella cum sociis, Fregellanum[7], Marsicum, quibus omnibus domesticis externisque bellis Capua non modo non obfuit; sed opportunissimam se nobis præbuit et ad bellum instruendum, et ad exercitus ornandos[8], et tectis ac sedibus suis recipiendos. Homines non inerant in urbe, qui malis concionibus, turbulentis senatusconsultis, iniquis imperiis rempublicam miscerent, et rerum novarum causam aliquam quærerent : neque enim concionandi potestas erat cuiquam, nec consilii capiundi publici[9]. Non gloriæ cupiditate efferebantur, propterea quod, ubi honos

4. *Quibus consulibus*. Dissentit a Livio, qui XXV, 14, a Q. Fulvio non consule, sed proconsule, biennio ante, captam Capuam scribit. Vid. Periz. Animad. Histor. p. 309.

5. *Philippo*. Macedoniæ rege, de quo Flaminius triumphavit : Antiocho, Syriæ, de quo L. Scipio Africani majoris frater : Persa Philippi filio, de quo L. Paullus.

6. *Pseudophilippo*. Qui Andriscus vocabatur, et Macedoniæ regnum occupaverat, a Q. Metello victus : Aristonicus Attali filius ex pellice, a M'. Aquillio : Mithridates rex Ponti, a Sulla, Muræna, Lucullo et Pompeio, quorum duo priores antea, Lucullus hoc anno, Pompeius triennio post triumphavit.

7. *Fregellanum*. Fregellæ a Romanis quum defecissent, a L. Opimio prætore captæ et eversæ.

8. *Ornandos*. Armis et recte instruendos.

9. *Consilii capiundi publici*. Quia Capuæ et magistratus, et senatus, et populus erant sublati.

publice non est, ibi gloriæ cupiditas esse non potest. Non contentione, non ambitione discordes: nihil enim supererat, de quo certarent; nihil, quod contra peterent [10]; nihil, ubi dissiderent. Itaque illam Campanam arrogantiam, atque intolerandam ferociam, ratione et consilio majores nostri ad inertissimum et desidiosissimum otium perduxerunt. Sic et crudelitatis infamiam effugerunt [11], quod urbem ex Italia pulcherrimam non sustulerunt, et multum in posterum providerunt, quod, nervis urbis omnibus exsectis, urbem ipsam solutam ac debilitatam [12] reliquerunt.

XXXIV. Hæc consilia majorum M. Bruto, ut antea dixi, reprehendenda [1], et P. Rullo visa sunt: neque te, P. Rulle, omina illa M. Bruti atque auspicia [2] a simili furore deterrent. Nam et ipse, qui deduxit [3], et qui magistratum Capuæ, ea lege creati [4], ceperunt, et qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum [5] pœnas pertulerunt. Et quoniam Bruti, atque temporis illius feci mentionem, commemorabo id,

10. *C. peterent.* De competitoribus dicitur eumdem honorem petentibus.

11. *Effugerunt.* Quamquam illa satis atrox ultio videtur, quæ populum universum civitate multat, magistratibus truncat, et omnino, ut nunc vulgo dicitur, civili morte afficit.

12. *Debilitatam.* De iis dicitur, qui aut morbo, aut casu alicujus membri usum perdiderunt.

XXXIV. 1. *Reprehendenda.* Quis de colonis Capuam deducendis legem tulerat.

2. *Auspicia.* Nec times ne malam pestem oppetas, ut Brutus ille, qui acerbam mortem bello civili oppetiit.

3. *Deduxit.* Colonia demum a Bruto Capuam deducta videtur, quo tempore, Sulla in Mithridaticum bellum intento, per Italiam Mariani invaluerant. Quam coloniam verisimile est a Sulla labefactatam, simul ac, Marianis devictis, colonos suos Capuam, veteribus utique expulsis, immittere cogitavit.

4. MSS corrupte, « et Leocranti ». Emendatio est a P. Manutio. Græv. et Lallem. « ab illo creati ». Ferratius malebat « et Tarenti ».

5. *Impiorum.* Quasi de patria, qui colonos et magistratus Capuæ esse voluerint, impie cogitarint.

quod egomet vidi, quum venissem Capuam, coloniam deductam L. Considio et Sext. Saltio (quemadmodum ipsi loquebantur) prætoribus[6]: ut intelligatis, quantam locus ipse afferat superbiam; quæ paucis diebus, quibus illo colonia deducta fuit, perspici atque intelligi potuit. Nam primum, id quod dixi, quum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se prætores appellari volebant. Quibus primus annus hanc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse consulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores, non cum bacillis[7], sed, ut hic prætoribus anteeunt, cum fascibus duobus. Erant hostiæ majores[8] in foro constitutæ, quæ ab his prætoribus de tribunali, sicut a nobis consulibus, de consilii sententia probatæ[9], ad præconem[10] et ad tibicinem immolabantur. Deinde patres[11] conscripti vocabantur. Jam vero vultum Considii videre, ferendum vix erat. Quem hominem vegrandi macie[12] torridum[13], Romæ contemptum atque abjectum videbamus, nunc Capuæ Campano supercilio ac regio spiritu quum videremus, Magios, Blossios[14] mihi vi-

6. *Prætoribus.* Hæc ad invidiam in Campanos excitandam valent, qui magistratus, quos ceteri coloni duumviros, ipsi prætores appellarent, tamquam prætorum rom. æmulos.

7. Cod. Erf. « baculis », J. V. L.

8. *Hostiæ majores.* Eas minoribus oppositas, ut taurum consules Romæ immolare solebant. Cf. Alexander ab Alexandro, III, 12; IV, 19.

9. *Probatæ.* A pontificibus; quæ hostiæ immolabantur postquam ab his Capuanis prætoribus probatæ fuerant, non secus ac Romæ fieri solet. Olim « probatis ».

10. *Ad præconem.* Qui favere linguis juberet. — *Ad tibicinem.* Qui divinæ rei præcineret.

11. *Patres conscripti.* Invidiose; quum id nomen ad rom. senatores pertineat.

12. *Macie.* Adeo macilentum ac siccum. B. Weisk. mallet « facie ». Male, quod h. l. sequenti arrogantiæ macies illa opponatur.

13. *Torridum.* Puteanus maluisset « horridum ». Frustra. J. V. L.

14. *Magios, Blossios.* Veteres Campanos, qui nobilitate olim Capuæ florebant. Magius bello Punico secundo dissuasor fuit Capuæ Hannibali tradendæ. T. Liv. XXIII, 7, etc. Blossius

debar illos videre, ac Jubellios. Jam vero qui metus erat [15] tunicatorum illorum? et in Albana, et Seplasia [16], quæ concursatio percunctantium, quid prætor edixisset? ubi cœnaret? quid enuntiasset? Nos autem, hinc Roma qui veneramus, jam non hospites, sed peregrini atque advenæ nominabamur.

XXXV. Hæc [1] qui prospexerint, majores nostros dico, Quirites, non eos in deorum immortalium numero venerandos a nobis et colendos putatis? Quid enim viderunt? hoc, quod nunc vos, quæso, perspicite atque cognoscite. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quæ ab ipsa natura loci [2], et a vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur et vivimus. Carthaginienses, fraudulenti [3] et mendaces, non genere, sed natura loci, quod, propter portus suos, multis et variis mercatorum et advenarum sermonibus, ad studium fallendi, studio quæstus vocabantur. Ligures, montani, duri atque agrestes [4]: docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa cultura et magno labore quæsitum. Campani, semper superbi [5] bonitate agrorum,

autem prætor erat, quum Capua cum Pœnis fœdus iniit. De Jubellio Taurea vide T. Liv. XXVI, 15.

15. *Qui metus erat.* Quanta verecundia plebs eos salutabat.

16. *Albana, et Seplasia.* Fora Capuæ fuerunt, in quibus unguentarii maxime versabantur, et ex omnibus urbis partibus otiosi conveniebant. Cf. Cluver. Ital. Antiq. IV.

XXXV. 1. *Hæc.* Majores nostri, qui futurum prospexerunt, ut Campanis moribus magistratus quilibet corrumperetur.

2. *Ab ipsa natura loci.* Sui mores populis non tam genere veniunt, quam soli ipsius natura, agendi ratione, et iis rebus quibuscum educamur et vivere solemus. In eamdem sententiam Curtius, VIII, 9: « Ingenia hominum ubique locorum situs format ». Ad quem locum vide quæ notavit doctissimus Freinshemius.

3. *Fraudulenti.* De Punica perfidia, cujus famam ut victores, multum sane amplificaverunt Romani. Vide Plaut. in Pœnulo de Hannone.

4. *Agrestes.* Illa Ligurum pars, quæ in montibus degit, labori et asperrimæ vitæ assueta ferebatur. Unde Virgilius, Georg. II, de Italia : « Hæc genus acre virum Marsos, pubemque Sabellam, Assuetumque malo Ligurem ».

5. *Semper superbi.* Ut assiduus la-

et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia, atque omnium rerum affluentia, primum illa nata sunt[6]: arrogantia, quæ a majoribus nostris alterum Capua consulem postulavit; deinde ea luxuries, quæ ipsum Hannibalem, armis etiam tum invictum, voluptate vicit[7].

Huc isti decemviri quum numerum colonorum[8] ex lege Rulli deduxerint; centum decuriones[9], decem augures, sex pontifices constituerint: quos illorum animos, quos impetus, quam ferociam fore putatis? Romam in montibus positam et convallibus, cœnaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis[10], præ sua Capua, planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt atque contemnent; agros vero, Vaticanum, et Pupiniam[11], cum suis opimis[12] atque uberibus campis conferendos scilicet putabunt[13]. Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac, per risum ac per jocum,

bor, terræque ac cæli asperitas Ligurum mores efferavit, sic agri bonitas et fructuum multitudo superbiam Campanis addidit: nam, ut ait Poeta, «Secundas fortunas decent superbiæ». Cf. Val. Max. IX, 5.

6. *Primum illa nata sunt: arrogantia.* Melius, «illa nata sunt: primum arrogantia». Schütz. «nata fuit arrog.» Paullo infra loco *quæ* Lallem. *qua*. J. V. L.

7. *Voluptate vicit.* De Campanis Hannibalis hibernis, quibus exercitus ejus elanguit, multa dabunt Liv. pass. et multi alii.

8. *Colonorum.* Lauredanus e conjectura, «ↀ colon.» J. V. L.

9. *Centum decuriones.* Decuriones erant, qui decem equitibus in turma præerant; et quum deducerentur initio militares coloniæ, inde factus est coloniarum senatus, quod honestior esset ordo. Numerus autem hic legitimus, et in plerisque coloniis ac municipiis usitatus videtur.

10. *Angustissimis semitis.* Qualis Roma ad incendium usque Neronis mansit, ut ex Tacito videre est XV.

11. *Vaticanum et Pupiniam.* Vaticanus collis juxta Romam situs agrum habuit exilem ac sterilissimum. Pupinia autem sub Urbe posita exilis erat et arenosi soli, ut testantur Val. Max. et Columella, qui M. Attilium Regulum dicunt agrum septem jugerum habuisse in Pupinia, quasi in sterili solo.

12. *Opimis.* Al. *optimis*. J. V. L.

13. *Putabunt.* Ironice, ut ex particula «scilicet» judicatur. Male olim, «non putab.»

contendent : Labicos, Fidenas[14], Collatiam, ipsum hercle Lanuvium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceria comparabunt. Quibus illi rebus elati et inflati, fortasse non continuo, sed certe, si paullum assumpserint vestustatis[15] ac roboris, non continebuntur: progredientur longius, efferentur. Singularis homo privatus, nisi magna sapientia præditus, vix facile sese regionibus[16] officii, magnis in fortunis et copiis, continet : nedum isti, ab Rullo et Rulli similibus conquisiti[17] atque electi coloni, Capuæ, in domicilio superbiæ, atque in sedibus luxuriæ collocati, non statim conquisituri sint aliquid sceleris[18] et flagitii. Imo vero etiam hoc magis, quam illi veteres germanique[19] Campani, quod in vetere fortuna illos natos et educatos, nimiæ tamen[20] rerum omnium copiæ depravabant; hi, ex summa egestate in eamdem rerum abundantiam traducti, non solum copia, verum etiam insolentia[21] commovebuntur.

XXXVI. Hæc tu, P. Rulle, M. Bruti sceleris[1] vestigia, quam monumenta[2] majorum sapientiæ sequi maluisti : hæc tu cum istis tuis auctoribus[3] excogi-

14. *Labicos, Fidenas.* Vici erant sub Urbe, pæne deserti.

15. *Assumpserint vetustatis.* Si inveteraverint; si eorum vires dies auxerit.

16. *Regionibus.* Officii finibus.

17. *Conquisiti.* Quos ministros audaciæ decemviri habeant. — *Electi.* Ut virum a viro electum dixeris.

18. *Sceleris.* Quod ceteros præ superbia contemnant. — *Flagitii.* Quod eos luxuria ad nequitiam et libidines impellet.

19. *Germani.* Veri et indigenæ; non ut coloni adscriptitii et insitivi.

20. *Tamen.* Quamvis illi fortunæ assuevissent, et in illis copiis nati et educati fuissent.

21. *Insolentia.* Quod harum copiarum insolentes sunt; quod his opibus non insueverint.

XXXVI. 1. *M. Bruti sceleris.* Qui contra majorum instituta coloniam Capuam deduxerat.

2. *Monumenta.* Magnifice h. l. sapientiæ majorum monumenta nefariis tribuni vestigiis opponuntur.

3. *Auctoribus.* Rullus auctores et suasores legis habebat ceteros plebis tribunos, qui legem suadebant aperte.

tasti, ut vetera vectigalia venderetis, et expleretis[4] nova; ut urbi Capuam ad certamen dignitatis opponeretis; ut sub vestrum jus, jurisdictionem, potestatem, urbes, nationes, provincias, liberos populos, reges, terrarum denique orbem subjungeretis; ut, quum omnem pecuniam ex ærario exhausissetis, ex vectigalibus redegissetis, ab omnibus regibus, gentibus, imperatoribus nostris coegissetis, tamen omnes vobis pecunias ad nutum vestrum penderent; ut iidem partim invidiosos agros[5] a Sullanis possessoribus, partim desertos ac pestilentes a vestris necessariis, a vobismet ipsis emptos, quanti velletis, populo romano induceretis[6]; ut omnia municipia coloniasque Italiæ novis colonis occuparetis; ut quibuscumque in locis vobis videretur, ac quam multis videretur, colonias collocaretis; ut omnem rempublicam vestris militibus[7], vestris urbibus, vestris præsidiis cingeretis, atque oppressam teneretis; ut ipsum Cn. Pom-

Accedebant Rullo alii quoque auctores taciti, homines potentes, ut Crassus et Cæsar, qui Rullum maxime instruebant, et maxime ad hujus perferendæ legis voluntatem incubuerant; quum ipsi non dubitarent, quin decemviratum essent adepturi. Hos omnes tangit Cicero cap. 24, nominibus tantum parcens, quos tota oratione regnum affectare ostendit. Olim, «actoribus», i. e. sociis Rulli, qui ejus nomine illa exsequuntur. Novam autem lectionem ex Manut. et Lallem. MSS ac Garatonii auctoritate sumus secuti, ut ad sensum magis facientem, et ad Ciceronis cogitata magis accommodatam.

4. *Expleretis.* Rullus dum vetera vectigalia, ut agrum Campanum, vendebat, idem ut illam ærarii lacunam expleret, imponi pergrande vectigal agris publicis jubebat; unde tota vertebatur respublica. Quum autem verbum hoc «expleretis» obscurum videatur, conjecit Lauredan. «expilaretis»; quod multi probant, quamvis adnotet Ernest. expilari ærarium, non vectigal. Alii aliter reposuere «exciperetis», «exhauriretis», «exigeretis», «exploraretis, etc.»

5. *Ut iidem partim invidiosos agros.* Ob latitudinem possessionum et acquirendi modum.

6. *Induceretis.* Quam magno velletis pretio, populo romano venditum æstimaretis.

7. *Vestris militibus.* Iis colonis robustis ac ferocibus, quibus vos satellitibus ad opprimendam libertatem utamini.

peium, cujus præsidio sæpissime populus romanus contra acerrimos hostes et contra improbissimos cives victor exstitit, proscribere[8], atque horum conspectu privare possetis; ut nihil auro[9] et argento violari, nihil numero et suffragiis declarari, nihil vi ac manu perfringi posset, quod non vos oppressum atque ereptum teneretis; ut volitaretis interea per gentes, per regna omnia, cum imperio summo[10], cum judicio infinito, cum omni pecunia; ut veniretis in castra Cn. Pompeii, atque ipsa castra[11], si commodum vobis esset, venderetis; ut interea magistratus reliquos, legibus omnibus soluti, sine metu judiciorum, sine periculo, petere possetis; ut nemo ad populum romanum vos adducere[12], nemo producere, non senatus cogere, non consul coercere, non tribunus plebis retinere posset.

Hæc ego vos concupiisse pro vestra stultitia atque intemperantia non miror; sperasse, me consule, assequi posse, demiror. Nam quum omnium consulum[13] gravis in republica custodienda cura ac diligentia debet esse, tum eorum maxime, qui non in cunabulis, sed in campo sunt consules facti. Nulli

8. *Proscribere.* Si custos libertatis obstiterit Pompeius, pro illa sua infinita judiciorum licentia in exsilium pellere poterunt, et Sullano exemplo proscribere.

9. *Ut nihil auro.* Ut quidquid auro emi potest, numero et suffragiis confici, vi ac manu perfringi, vos bonis civibus eripiatis.

10. *Cum imperio summo.* Hæc inverso ordine ad supra dicta referuntur; ut imperio hoc summo, omnia vi perfringatis; judicio infinito, omnia, vel invitis civibus, conficiatis; omni pecunia, quæque ematis.

11. *Ipsa castra.* Quum manubias imperatoris Pompeii in ejus castris sint vendituri.

12. *Vos adducere.* In disquisitionem vocare, in judicium adducere.— *Producere.* In concionem et ad populum vocare.

13. *Quum omnium consulum gravis in rep. custod. cura ac diligent.* Quamvis illud sit omnium consulum officium, cavere ne quid detrimenti capiat resp. tamen illud præcipue diligentius impletur ab iis qui populi voluntate, non majorum splendore ac gratia, ad consulatum sunt provocati.

populo romano pro me majores mei spoponderunt; mihi creditum est; a me petere, quod debeo, me ipsum appellare [14] debetis. Quemadmodum, quum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; sic, si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me a vobis deprecentur [15].

XXXVII. Quare, modo ut vita suppetat [1] (quamquam ego sum is, qui eam possim ab istorum scelere insidiisque defendere), polliceor hoc [2] vobis, Quirites, bona fide : rempublicam vigilanti homini, non timido; diligenti, non ignavo commisistis. Ego is consul [3], qui concionem metuam? qui tribunos plebis perhorrescam? qui sæpe et sine causa tumultuer? qui timeam, ne mihi in carcere habitandum sit, si tribunus plebis duci jussisset? Ego nondum vestris armis armatus, insignibusque amplissimis ornatus, imperio, auctoritate, non horrui in hunc locum progredi, vobisque auctoribus improbitati hominis resistere : nunc

14. *Quod debeo, me ipsum appellare debetis.* Appellantur creditores a debitoribus, quum ab iis debitum flagitatur.

15. *Deprecentur.* Quæ mihi a vobis veniam petant, et culpæ excusationem, propter majorum merita, deposcant.

XXXVII. 1. *Modo ut vita suppetat.* Utinam modo vita mihi supersit; dummodo vita servetur.—Sic Ernest. Lallem. Aliter Grævius. Magna varietas in MSS. J. V. L.

2. *Polliceor hoc.* Illud vobis ex animi sententia, et sine dolo spondeo. Manca et perturbata hæc putat B. Weisk. quod sequi debuisset «vos commisisse», quamvis vulgata lectio latinis sit omnino probata auribus.

3. *Ego is consul.* Hæc et quæ sequuntur Ciceronis non esse, neque ad rem pertinere P. Manutius existimat. Nos, cur ex Ciceronis ingenio profecta non videantur, non assequimur, et optime certe ad antecedentia confirmanda valent. Cicero postquam dixit forti ac diligenti consuli mandatam rerum publicarum curam, jam illud confirmat : Num ille sum, qui concionum tumultum reformidem; qui inani metu conturber ac commovear; qui metuam ne me in vincula duci jubeat tribunus? quod tribunis plebis licuisse satis multa historiæ rom. exempla docent. Nondum consulare imperium eram adeptus, quum non dubitavi in vestrum conspectum procedere, legemque Manilium contra istorum hominum improbitatem suadere : nunc autem verear ne resp. meo consolari imperio armata, ab istis seditiosis vinci possit?

verear, ne respublica [4], tantis munita præsidiis, ab istis vinci, aut opprimi possit? Si antea timuissem, hac concione, hoc populo, certe non vererer. Quis enim umquam tam secunda concione legem agrariam suasit, quam ego dissuasi? si hoc dissuadere est [5], ac non disturbare ac pervertere. Ex quo [6] intelligi, Quirites, potest, nihil esse tam populare, quam id, quod ego vobis in hunc annum consul popularis affero, pacem, tranquillitatem, otium. Quæ nobis designatis timebatis, ea ne accidere possent, consilio meo ac ratione provisa sunt : non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueritis; verum etiam istos, quibus otiosi [7] negotium facessimus, otiosissimos reddam. Etenim illis honores, potestates, divitiæ, ex tumultu atque ex dissensionibus civium comparari solent : vos, quorum gratia in suffragiis consistit, libertas in legibus, honos in judiciis et æquitate magistratus [8], et res familiares in pace, omni ratione otium tenere debetis. Nam, si ii, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem; sub ipso otio [9], quo vos fortunam regitis, si hunc statum, quem habetis, esse meliorem non

4. Male hæc nonnulli mutant de Lambini sententia. J. V. L.

5. *Si hoc dissuadere est.* « Hujusmodi verbis, inquit B. Weisk. ineptus et stulte arrogans orator orationem laudet : mihi videntur a calumniatore addita ». Verum hæc non ad inanem ingenii ostentationem, sed ad facta ipsa argumentis confirmata et comprobata referuntur.

6. *Ex quo.* Simpliciter connectit, ut *ergo*, *igitur*, et similia. Sic pro Marcell. cap. 5.

7. *Quibus otiosi.* Ego ad otium redigam istos homines, quibus nostra tranquillitas ac quies, molestia et damnum videtur.— Absurde hæc multi pervertunt, dum corrigere putant. J. V. L.

8. *Æquitate magistratus:* Magistratuum vestrorum æquitate.

9. *Sub i. otio.* Prior hujus paragraphi pars corrupta maxime videtur; unde vix eruatur sensus : Vos in hoc otio, cujus in umbra ipsam fortunam regitis, si conditionem hanc quietam tumultu et rebus novis potiorem esse persuasum habetis, illud jam otium diligenter servate, non quasi pecunia aut alia ratione quæsitum esset, sed quasi vestro sanguine vos emissetis.

ignoratis, non ut quæsitum [10], sed vita partum otium tenueritis. Quod ego et concordia, quam mihi constitui cum collega [11], invitissimis iis hominibus, quos in consulatu inimicos esse et animis, et corporis actibus, providi [12]; omnibus prospexi sane, et revocavi: idem tribunis plebis denuntiavi, quid turbulenti, me consule, conflarent [13]. Summum et firmissimum est illud communibus fortunis præsidium, Quirites, ut, quales vos hodierno die maxima concione mihi pro salute vestra præbuistis, tales reliquis temporibus reipublicæ præbeatis. Pro certo polliceor hoc vobis, atque confirmo, me esse perfecturum, ut jam [14] tandem illi, qui honori inviderunt meo, tamen vos universos in consule deligendo plurimum vidisse fateantur.

10. Mendosa et desperata lectio, ut plura ex sequentibus. J. V. L.

11. *Collega.* Antonio, qui Hybrida dicebatur, qui ipse alienus non erat ab iis qui rebus novis studebant.

12. *Providi.* Ne hoc otium vestrum vobis adimeretur.

13. *Conflarent.* Tribunis pl. prænuntiavi quid seditiosi homines molirentur.

14. *Ut jam tandem.* Ut illi qui me hominem novum hoc honore indignum censuerunt, iidem pop. rom. judicium maxime comprobent, quum incredibilem ejus in tuenda repub. diligentiam perspexerint.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO TERTIA

DE LEGE AGRARIA

AD POPULUM

ARGUMENTUM.

P. Servilius Rullus quum se, legemque suam acerrime a consule M. Cicerone, secundis populi auribus, oppugnatam esse superiori oratione sentiret, in concionem, ut coram consule disceptaret, venire non est ausus, sed absentem eum haud ita multo post apud populum criminatus est, quod, Sullanorum gratia qui latissimos agros ex privatorum spoliis continuatos possidebant, ipse agrariæ legi et commodis plebis obsisteret. Quæ quum Cicero accepisset, dignam rem esse ratus, quam in concione refelleret, ea advocata hanc orationem habuit, in qua se nemini, nisi reipublicæ, Rullum autem Sullanis et maxime socero suo Valgio, proscriptorum agris ditissimo, consulere: et quoniam Ciceronem Sullanis favere dixerat Rullus, iis autem faveri non poterat, nisi eos tribuni plebis agris depellere tentarent, ostendit orator tantum abesse ut lege agraria Sullanis agri adimantur, ut ii contra confirmentur ac sanciantur; quod quadragesimo legis capite cavebatur: « Quæ post C. Marium, Cn. Papirium consules (hoc est, a primo Sullæ dictatoris anno) publice data, assignata, vendita, concessa, possessa sunt, omnia eo jure sint, ut quæ optimo jure privata sint ». Quam legis partem ita exagitat orator, ut Rullum multo audacius et acerbius quam ipsum Sullam fecisse demonstret, quippe qui dictator proscriptorum bona arbitrio quidem vendebat aut dabat, sed nulla in futurum lege possessioni cavebat; Rullus autem ea possideri eodem jure ac titulo quo avita et patria bona velit, et hac ratione metum omnem Sullanis possessoribus adimat.

Itaque in exordio calumniam refutat, qua tribuni plebis animos auresque populi compleverant, quum dicerent Ciceronem gratificantem Sullanarum assignationum possessoribus agrariæ legi et commodis plebis obsistere, cap. 1. Itaque docet Rulli lege nemini Sullanum agrum adimi, 2. Sed potius id agi, ut Sullani agri meliore jure sint, quam ii quos quisque hereditate acceptos possideat; præterea Rullum aliud genus donationis inducere, nec solum Sullanas possessiones sancire, verum etiam novas assignationes instituere, in primis Valgii soceri sui commodis inservire, 3.

Postremo ostendit se non passurum populum romanum, de suis possessionibus, se consule demoveri; præsertim quum plebi nihil Rulli lege quæratur, sed potius libertas ac tranquillitas populi in summum discrimen adducatur.

Ceterum quæsitum est utrum brevis hæc oratio in Rullum, quæ nunc tertia nominatur, ultima fuerit, an Cicero quartam etiam dixerit. Ipse enim ad Att. lib. II, epist. 1, de orationibus in consulatu habitis ita scribit: «Oratiunculas autem et quas postulas, et plures etiam mittam; quoniam quidem ea, quæ nos scribimus, adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Facit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare ut meæ quoque essent orationes quæ consulares nominarentur. Quarum una est in senatu kal. jan.; altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quinta de proscriptorum filiis; sexta quum provinciam in concione deposui; septima qua Catilinam emisi; octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges involgarunt; decima in senatu, nonis decembr. Sunt præterea duæ breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariæ. Hoc tantum σῶμα curabo ut habeas.» Hic non erat quod Corradus suspicaretur, Ciceronem per hæc ἀποσπασμάτια legis agrariæ fortassis oratiunculas adversus legem agrariam a L. Flavio trib. pl. promulgatam intelligi voluisse, quarum mentionem facit ad Att. I, 19. Quum enim Cicero illa ἀποσπασμάτια ad orationes consulares referat, eaque cum ceteris eodem σώματι comprehenderit, dubium esse non potest, quin breves hæ orationes adversus Rulli legem agrariam habitæ sint. Itaque prima earum est illa, quæ nunc tertia nominatur; altera vero periit. Atque in extremo tertiæ orationis capite Rullum ejusque collegas provocat, ut doceant, num ipse quem possessorem defendat, quum legi eorum agrariæ resistat; totamque orationem hisce verbis concludit: «Veniant coram et quoniam me in vestram concionem, vobis flagitantibus, convocaverunt, disserant». Itaque sive Rullus a Cicerone lacessitus aliquid contra dixerit, sive ausus non sit in concione Ciceronem refutare, probabile est, eum iterum contra Rullum ad populum dixisse, eumque coegisse,

ut illam suam legem agrariam abjiceret, neque eam ad populum ferre auderet. Etenim ipse videtur L. Cæcilio, qui fuit Rulli in tribunatu collega, ut ejus legi intercederet persuasisse. Nam in orat. pro Sulla, 23, « Ex illo tempore, inquit, L. Cæcilius multa e republica egit; agrariæ legi, quæ tota a me reprehensa et abjecta est, intercessorem fore professus est ». Quibus ex verbis intelligitur, Rullum ne ausum quidem esse legem ad populum ferre; et quod Plinius Hist. Nat. VII, 30, ubi Ciceronem laudat, his verbis utitur: «Te dicente, legem agrariam, hoc est, alimenta sua abdicaverunt tribus », id jam Manutius non ad suffragia in comitiis, sed tantum ad significationem voluntatis in concione factam referendum esse, vere judicavit.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

DE LEGE AGRARIA,

CONTRA

P. SERVILIUM RULLUM AD POPULUM,

ORATIO TERTIA.

ORATIO SEPTIMADECIMA.

I. Commodius fecissent tribuni plebis[1], Quirites, si, quæ apud vos de me deferunt[2], ea coram potius, me præsente, dixissent : nam et æquitatem vestræ disceptationis[3], et consuetudinem superiorum, et jus suæ potestatis[4] retinuissent. Sed quoniam adhuc præsens certamen contentionemque fugerunt; nunc, si videtur eis, in meam concionem[5] prodeant, et, quo pro-

I. 1. *Tribuni plebis.* Rullus scilicet et nonnulli ejus collegæ, legis agrariæ subscriptores et adstipulatores.

2. Grut. mallet « differunt »; Ernest. scribit, nulla idonea causa, « detulerunt ». J. V. L.

3. *Æquitatem vestræ disceptationis.* In vestri judicii æquitate fidem habuissent; æquitatem hanc servassent, quæ causam omnem ab utraque parte coram vobis disceptari jubet : quæ jam nulla est, quum alter absentem alterum accusat.

4. *Jus suæ potestatis.* Quam prope imminuerunt, quum consulem coram et publice compellare et ex adverso disceptare non sunt ausi, quamquam sic olim agere solebant tribuni.

5. *In meam concionem.* Quam ego consul advocavi.

vocati a me venire noluerunt, revocati[6] saltem revertantur.

Video quosdam[7], Quirites, strepitu significare nescio quid, et non eosdem vultus, quos proxima[8] mea concione præbuerunt, in hanc concionem mihi retulisse. Quare a vobis, qui nihil de me credidistis[9], ut eam voluntatem, quam semper habuistis erga me, retineatis, peto; a vobis autem, quos leviter immutatos esse sentio, parvam exigui temporis usuram[10] bonæ de me opinionis postulo, ut eam, si, quæ dixero, vobis probaro[11], perpetuo retineatis; sin aliter, hoc ipso in loco depositam atque abjectam relinquatis. Completi sunt animi auresque vestræ, Quirites, me gratificantem[12] septem tyrannis, ceterisque Sullanarum assignationum[13] possessoribus, agrariæ legi et commodis vestris obsistere. Hæc si qui crediderunt, illud prius crediderint necesse est, hac lege agraria, quæ promulgata sit, adimi Sullanos agros[14], vobisque

6. *Revocati.* Si eum qui eos in certamen provocavit et lacessivit, non sequuntur; saltem illi respondeant, quem modo provocaverunt et lacessiverunt.

7. *Video quosdam.* Apparet nonnullos tribunorum criminatione commotos haud ita Ciceroni faventi et grato animo ad concionem venisse, et loquenti oratori obstrepere cœpisse.

8. *Proxima.* Superiori, de qua dicebat: « quis umquam tam secunda concione legem agrariam suasit, quam ego dissuasi? »

9. *Credidistis.* Qui iis quæ a tribunis contra me dicta sunt, fidem non adhibuistis.

10. *Usuram.* Usum exigui temporis peto, quo bonam, quam de me concepistis, opinionem retineatis, ut eam perpetuo de me servetis, si ea, quæ dixero, ut probetis, effecero.

11. Al. *probabo*. J. V. L.

12. *Gratificantem.* Quam privatæ utilitatis suspicionem jam a se in ultimo Manilianæ orationis capite amolitus erat. — *Septem tyrannis.* Eo nempe nomine tribuni pl. septem homines significaverant, qui Sullanis possessionibus maxime locupletati, summa invidia laborabant. Illos fuisse suspicatur Turnebus, duos Lucullos, Crassum, Metellum, Hortensium, Philippum et Catulum, qui tempore proscriptionum multa prædia occupaverant, quibus ne Rulli lege expellerentur, summopere metuebant.

13. *Assignationum.* Agrorum a Sulla colono cuique assignatorum.

14. *Sullanos agros.* Quos Sulla

dividi, aut denique minui privatorum possessiones[15], ut in eas vos deducamini. Si ostendo, non modo non adimi cuiquam glebam de Sullanis agris, sed etiam genus id agrorum certo capite legis[16] impudentissime confirmari atque sanciri; si doceo, agris his, qui a Sulla sunt dati, sic diligenter Rullum sua lege consulere, ut facile appareat, eam legem, non a vestrorum commodorum patrono, sed a Valgii[17] genero esse conscriptam: num quid est causæ[18], Quirites, quin illa criminatione, qua in me absentem usus est, non solum meam, sed etiam vestram[19] diligentiam prudentiamque despexerit?

II. Caput est legis XL[1], de quo ego consulto, Quirites, neque apud vos ante feci mentionem, ne aut refricare obductam jam reipublicæ cicatricem viderer, aut aliquid, alienissimo tempore[2], novæ dissensionis commovere. Neque vero nunc ideo disputabo, quod hunc statum[3] reipublicæ non magnopere defendendum putem; præsertim, qui otii et concordiæ

proscriptos et publicatos, non tamen diviserat; verum quidam occupaverant, aut donatos possidebant.

15. *Possessiones.* Agros si non adimi, saltem imminui.

16. *Certo capite legis.* Quadragesimo. — *Impudentissime.* Quum aperte contra quam dicit, agat; et Valgio socero suo palam consulat.

17. *A Valgii genero.* Rullum non, quatenus tribunus plebis, sed ut generum Valgii hanc legem conscripsisse.

18. *Num quid est causæ.* Quid impedit quin credatis vestram in hac re diligentiam ab eo fuisse contemptam. *Num quid est causæ, nulla est causa*, inquit Grævius, elegans est idiotismus, quo utebantur Romani significantes, nihil intercedere, quominus hoc credant faciantve. Sic Terent. Phorm. II, 1; Plaut. Cas. V, 4, etc.

19. *Vestram diligentiam.* In verbis legis suæ considerandis.

II. 1. *Caput est legis* XL. Titulum affert capitis legis Serviliæ, quo Sullanas possessiones confirmari ait; quod cur non in priore oratione commemoraverit duas fuisse causas dicit, unam, ne dolorem Sullanæ victoriæ et crudelitatis revocaret, alteram, ne si id impugnaret, quo Sullanæ assignationes confirmabantur, novæ dissensionis auctor esset.

2. *Alienissimo tempore.* Quum tribunitia lege et seditiosorum, quos supra notavit, futuris consiliis turbatur resp.

3. *Hunc statum.* A Sulla relictum, et propter tempora servandum.

patronum me in hunc annum reipublicæ professus sim : sed ut doceam Rullum, posthac in his saltem tacere [4] rebus, in quibus de se et de suis factis taceri velit. Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus [5], interrex, de Sulla tulit, UT OMNIA, QUÆCUMQUE ILLE FECISSET, ESSENT RATA. Nam quum ceteris in civitatibus, tyrannis institutis, leges omnes exstinguantur atque tollantur, hic reipublicæ tyrannum lege constituit [6]. Est invidiosa lex, sicut dixi : verumtamen habet excusationem. Non enim videtur hominis lex esse, sed temporis. Quid, si est hæc multo impudentior? Nam Valeria lege Corneliisque legibus eripitur [7], quum datur; conjungitur impudens gratificatio cum acerba injuria : sed tamen [8] habet in his legibus spem nonnullam ille, cui ademptus est [9]; aliquem scrupulum, cui datus est. Rulli cautio est hæc, QUÆ POST C. MARIUM, CN. PAPIRIUM, CONSULES [10]. Quam procul a suspi-

4. *Tacere.* Prudentiæ Rulli esse, si de reliquis tacendum sibi non ducit, ea certe alteri non objicere, quæ sibi objici possint, et occasionem de se in malam partem loquendi præbeant.

5. *L. Flaccus, interrex.* Ille interrex factus, ut comitia rogandis consulibus haberet, cæsis Mario juniore et Carbone, Sullam dictatorem dixit ad remp. constituendam et componendam, et ei quam amplissimum imperium lege sua attribuit, nempe ut dictator, quem vellet civium, indicta causa, impune posset occidere.

6. *Lege constituit.* Quum deberet lege tyrannum potius tollere. — *Invidiosa.* Quæ in omnium odium incurrit.

7. *Eripitur, quum datur.* Dum alter spoliatur, alter locupletatur; alter alterius spoliis ditescit. Gruter. malit ex nonnullis MSStis « eripitur cui datur ». Grævius ex Erfurt. et Pithæano codice qui habent « erip. civi datur », Ciceronem scripsisse putat « erip. civi, civi datur ». Vulgatam servat Schütz. Sed ita ut omissum « ager » a librariis arbitretur. Certe paullo infra verbum hoc est reponendum.

8. *Sed tamen.* Sperant enim alii se suaque esse recuperaturos, quibus ager ademptus est; et diffidunt alii, cui datus est, se perpetuo possessuros; et metuunt ne Sullæ acta olim rescindantur.

9. *Ademptus est.* Verbum « ager » excidisse videtur. Malit Puteanus « ademptum est.... datum est ».

10. *Consules.* C. Marius et Cn. Papirius Carbo consulatum an. U. 672

cione fugit, quod eos consules, qui adversarii Sullæ maxime fuerunt, potissimum nominavit? Si enim Sullam dictatorem nominasset, perspicuum fore et invidiosum [11] arbitratus est. Sed quem vestrum tam tardo ingenio fore putavit, cui post eos consules, Sullam dictatorem fuisse, in mentem venire non posset? Quid ergo ait Marianus tribunus [12] plebis, qui nos Sullanos in invidiam rapit? QUÆ POST MARIUM ET CARBONEM, CONSULES, AGRI [13], ÆDIFICIA, LACUS, STAGNA, LOCA, POSSESSIONES (cælum et mare [14] prætermisit, cetera complexus est), PUBLICE DATA [15], ASSIGNATA, VENDITA, CONCESSA SUNT. A quo, Rulle? post Marium et Carbonem consules, quis assignavit? quis dedit? quis concessit [16], præter Sullam? EA OMNIA EO JURE SINT. Quo jure? labefactat videlicet [17] nescio quid. Nimium acer, nimium vehemens tribunus plebis Sullana rescindit. UT QUÆ OPTIMO JURE PRIVATA [18] SINT. Etiamne meliore, quam paterna et avita? meliore. At hoc [19] Valeria lex non dicit; Corneliæ leges non

ante Sullam dictatorem gesserunt; ita ut Sullanas possessiones omnes sanciret Rullus, qui ea tantum moveret quæ antea facta erant.

11. *Invidiosum*. Plenum invidiæ fore putavit, si aperte possessiones et assignationes Sullanas confirmaret: id ergo clam et obscure fecit, ut fraus lateret.

12. *Marianus tribunus*. Ironice: qui verbo *Mario*, reipsa Sullæ et Sullanis faveat.

13. Sic e MSS Turneb. et Franc. Græv. Lallem. Beck. alii. Prisci editores habent *agros*. J. V. L.

14. *Mare prætermisit*. Quod hic ridens dixit Cicero, serio fertur dixisse Drusus, teste Floro, III, 17: « Nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi quis aut cælum dividere vellet, aut lutum ».

15. DATA. Quæ a Sulla publice dono data quibusdam erant. — ASSIGNATA. Colonis per assignationes attributa.

16. Addendum censebat Puteanus, « quis dedit? quis vendidit? » ut paria paribus referrentur. J. V. L.

17. *Labefactat videlicet*. Nempe aliquid commovet et concutit, ut tandem Sullanas possessiones subvertat. Ironice.

18. PRIVATA SINT. Eadem juris conditione habeantur publice a Sulla data bona, ac patrimonia quæ a privatis optimo jure possidentur.

19. *At hoc*. Quum interrogatus Rullus respondere cogatur Sullanas

sanciunt; Sulla ipse non postulat. Si isti agri [20] partem aliquam juris, aliquam similitudinem propriæ possessionis, aliquam spem diuturnitatis attingunt: nemo est tam imprudens [21] istorum, quin agi secum præclare arbitretur. Tu vero, Rulle, quid quæris? quod habent, ut habeant? Quis vetat? Ut privatum? At ita latum est [22], ut melior tui soceri fundus Hirpinus sit, sive ager Hirpinus (totum enim possidet), quam meus paternus avitusque fundus Arpinas. Id enim caves. Optimo enim jure [23] ea sunt profecto prædia, quæ optima conditione sunt. Libera [24] meliore jure sunt, quam serva: capite hoc omnia, quæ serviebant [25], non servient. Soluta meliore in causa sunt, quam obligata: eodem capite obligata [26] omnia, si modo Sullana sunt, liberabuntur [27]. Immunia commodiore conditione sunt, quam illa, quæ pensitant [28]: ego

possessiones meliore fore quam paterna bona conditione, quod legibus Valeria et Cornelia non jubebatur; ex eo illas leges multo Servilia modestiores esse concludit orator.

20. *Si isti agri.* Si istis Sullanis agris aliqua legitimæ possessionis umbra attribuatur, qua nitantur, qui eos possident, ut proprietas et dominium aliqua ex parte ad eos pertinere videatur.

21. Al. « impudens », quod nuper Garatonius defendit. J. V. L.

22. *At ita latum est.* Verum in lege tua ita tulisti, ut non tantum privatum, sed etiam optima conditione habeant.

23. *Optimo jure.* Ea quæ optimo jure possidentur, certe optimam habent conditionem; quum autem liberorum prædiorum et immunium melior sit conditio quam eorum, quæ certis servitutibus obligata sunt; ex hoc tuæ legis capite, quæcumque ex Sullanis possessionibus serviebant, jam liberæ erunt, et hoc optimo jure fruentur, quod paternis et avitis prædiis quibusdam denegatur, quæ certis conditionibus possunt obligari.

24. *Libera.* Ea sunt quæ nihil cuiquam debent. — *Soluta.* Quæ nemini ulla juris specie obligata sunt, ita ut possessor ea, cui velit, relinquere atque pro arbitrio alienare possit. — *Immunia.* Quæ nihil pensitant.

25. *Serviebant.* Servitutem viæ, actus, et aliarum rerum debebant.

26. *Obligata.* Oppignerata.

27. Rescripsit Ernest. pro « liberantur ». Deinde pro verbis, « a municipio », omnino vere libri vett. « mancipio ». Sic habent quoque multi MSS, inter quos Oxon. quatuor; et id jam Gulielmius restituendum censuerat. J. V. L.

28. *Pensitant.* Quam agri vectigales, qui ærario aliquid pendunt.

Tusculanis pro aqua Crabra[29] vectigal pendam, quia mancipio[30] fundum accepi; si a Sulla mihi datus esset, Rulli lege non penderem.

III. Video vos, Quirites, sicuti res ipsa cogit, commoveri[1] vel legis, vel orationis impudentia : legis, quæ jus melius Sullanis prædiis constituat, quam paternis; orationis, quæ ejusmodi causa[2] insimulare quemquam audeat, rationes Sullæ nimium vehementer defendere. At si illa solum sanciret, quæ a Sulla essent data, tacerem; modo ipse se Sullanum esse confiteretur. Sed non modo illis cavet, verum etiam aliud quoddam genus donationis[3] inducit; et is, qui a me Sullanas possessiones defendi criminatur, non eas solum sancit, verum ipse novas[4] assignationes

29. *Aqua Crabra.* Aquæductus erat, qui a Tusculo Romam fluebat; et cujus usum Tusculani quotannis vectigali redimebant. De fonte hoc ad Tironem agit ad Div. XVI, 18 : « De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ, tamen velim scire ». Et Frontinus de Aquæduct. 9: « Præter caput Juliæ transfluit aqua, quæ vocatur Crabra. Hanc Agrippa emisit, seu quia ejus usum improbaverat, seu quia Tusculanis possessoribus relinquendam credebat. Ea namque est, quam omnes villæ tractus ejus per viam in dies modulosque certos dispensatam accipiunt ».

30. *Mancipio.* Sic exhibentibus plerisque codd. loco « a municipio » reposuimus. Genus emptionis inter privatos jure civili firmissimum usitata formula *mancipio accipere* optime designatur, de qua Varronis, Plauti locos apud Alcandr. ad Caium, Inst. 1, 6, § 23, in re tam manifesta laudare necesse non est. Recte autem *mancipio accipere* opponitur *publice datis*, etc. Sed etiam *publice venditis*, quæ Rullus omnia firmabat. Quantum aquæ Crabræ fundo deberetur, et vicissim quantum vectigalis, expressum erat et cautum *in lege mancipii*, ut in aliis fiebat ejusmodi rebus. De servitutibus locus est de Orat. I, 39.

III. 1. *Commoveri.* Concio, mutata sententia, fremuit et stupuit; quod orator vidit.

2. *Ejusmodi causa.* Cujusmodi ea est, quam Rullus suscepit, quæ quum Sullæ acta confirmet maxime, impudentissime Rullus eam suspicionem impingit Ciceroni. Quæ oratio eo nomine insimulare quemquam audeat, quod rationes Sullæ nimium vehementer defendat, quum huic ipsi causæ ea sit omnino subeunda suspicio.

3. *Donationis.* Eos agros, quos Sulla non dedit, sed quidam in illa reip. caligine occuparunt, et possederunt, confirmat et sancit. Donationem appellat, quod agros illos eis sua lege Rullus donet.

4. *Novas assignationes.* Quod quæ

instituit, et repentinus Sulla nobis exoritur. Nam attendite, quantas concessiones agrorum hic noster objurgator uno verbo facere conetur. QUÆ DATA, DONATA, CONCESSA, VENDITA. Patior; audio. Quid deinde? POSSESSA. Hæc tribunus plebis [5] promulgare ausus est, ut, quod quisque post Marium et Carbonem consules possidet [6], id eo jure teneret, quo qui [7] optimo privatum? Etiamne si vi ejecit [8]? etiamne si clam, si precario venit in possessionem? Ergo hac lege jus civile [9], causæ possessionum, prætorum interdicta [10] tollentur. Non mediocris res, neque parvum sub hoc verbo furtum [11], Quirites, latet. Sunt enim multi agri lege Cornelia publicati [12], nec cuiquam assignati, neque venditi, qui a paucis hominibus impudentissime possidentur. His cavet, hos defendit, hos privatos facit [13]: hos, inquam, agros, quos Sulla nemini dedit, Rullus non vobis assignare vult, sed eis condonare, qui possident. Causam quæro, cur ea, quæ majores vobis in Italia, Sicilia, duabus Hispaniis,

Sulla non dedit, ipse quum lege confirmat, possessori assignare videtur.

5. *Tribunus pl.* Quem majores præsidem libertatis ac custodem esse voluerunt.

6. Ernest. legendum putabat *possideret*, vel *possederit*. J. V. L.

7. *Qui*. Nempe possidet. Est a Turnebo; nam olim abfuit. J. V. L.

8. *Si vi ejecit.* Exceptiones tres sunt, quæ justæ possessioni officiunt, de quibus interdictis prætoriis cavetur: « uti nunc possidetis eum fundum, quo de agitur, quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, ita possidestis, adversus ea vim fieri veto ».

9. *Jus civile.* Quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, magistratuum decretis et prudentum auctoritate. — *Causæ possessionum.* Lites et controversiæ possessionum: nam si satis est possidere quomodocumque, omnes possessionum causæ tolluntur.

10. *Prætorum interdicta.* Eæ formæ erant et verborum conceptiones, quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut prohibebat; quod tum maxime fiebat, quum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur.

11. *Furtum.* Non parva fraus, nec exiguus dolus.

12. *Assignati.* Sullani nonnulli, dum agri quidam a Sulla publicati donarentur, donec assignarentur, non exspectarunt, sed ultro invaserunt; quales Volaterrani et Aretini agri fuere.

13. *Hos privatos facit.* Tamquam privatos optimo jure possideri vult.

Macedonia, Asia quæsiverunt, venire patiamini, quum ea, quæ vestra sunt [14], condonari possessoribus [15] eadem lege videatis.

IV. Jam totam legem intelligetis, quum ad paucorum dominationem [1] scripta sit, tum [2] ad Sullanæ assignationis rationes esse accommodatissimam. Nam socer hujus vir multum bonus est [3]; neque ego nunc de illius bonitate, sed de generi impudentia disputo. Ille enim, quod habet, retinere vult, neque se Sullanum esse dissimulat. Hic, ut ipse habeat, quod non habet, quæ dubia sunt [4], per vos sancire vult; et quum plus appetat, quam ipse Sulla [5], quibus ego rebus resisto, Sullanas res defendere criminor [6]. Habet agros nonnullos, inquit, socer meus desertos atque longinquos : vendet eos mea lege, quanti [7] volet. Habet incertos, ac nullo jure possessos : confirmabuntur optimo jure. Habet publicos : reddam privatos [8]. Denique eos fundos, quos in agro Casinati

14. *Quæ vestra sunt.* Quum ea Sulla nemini assignaverit, aut vendiderit, sed publicaverit; publica autem populi sunt.

15. *Possessoribus.* Paucis hominibus impudentissime nec ullo jure possidentibus.

IV. 1. *Paucorum dominationem.* Qui ad decemviratum adspirant.

2. Addidit *tum* Gruterus e MSS et edd. vett. Sine causa idonea delevit Grævius. J. V. L.

3. *Vir multum bonus est.* Simpliciter agit qui bona per reip. tumultum occupata sibi confirmari velit. Novo dicendi genere Valgium illudit, quem multum bonum, id est, εὐήθη vocat; ita ut per hanc ironiam ejus stulta nequitia magis illuceat.

4. *Quæ dubia sunt.* Sullana, quorum certa possessio non est, utpote quæ ab unius libidine nata sit, sæpiusque ne a Sulla quidem fuerit comprobata. — *Per vos.* Vestris suffragiis.

5. *Quam ipse Sulla.* Qui non ea meliore esse jure quam paterna jussit.

6. *Criminor.* Et quum ejus plusquam Sullam referentibus consiliis resisto, Sullana edicta defendere accusor! Alii legunt « criminatur ». Verum Priscianus, XII : « Quædam eadem voce utrumque significant, i. e. actionem et passionem, ut osculor te et osculor a te, criminor te et criminor a te ».

7. *Quanti volet.* Ement enim decemviri, in quorum numero erit Valgii gener Rullus, et inducent populo rom. quanti volent.

8. *Reddam privatos.* Publicos habet campos, quos nullo jure occupavit;

optimos et fructuosissimos continuavit [9], quum usque eo vicinos proscriberet, quoad oculis conformando [10] ex multis prædiis unam fundi regionem formamque perfecerit; quos nunc cum aliquo metu [11] tenet, sine ulla cura possidebit.

Et quoniam, qua de causa [12], et quorum causa ille hoc promulgarit, ostendi; doceat ipse, num ego quem possessorem defendam, quum agrariæ legi resisto. Silvam Scantiam vendis; respublica possidet: defendo[13]. Campanum agrum dividis [14]; vos estis in possessione[15]: non cedo[16]. Deinde Italiæ, Siciliæ, ceterarumque provinciarum possessiones[17], venales ac proscriptas hac lege video; vestra sunt prædia, vestræ possessiones: resistam atque repugnabo; neque patiar, a quoquam populum romanum de suis possessionibus, me consule, demoveri [18]; præsertim quum vobis ni-

lege mea efficiam ut eodem jure quo privati possideantur.

9. *Continuavit.* Multos fundos, quos habebat Valgius, vicinos proscribendo continentes reddidit. Neminem autem fugit, a Sulla non tantum multos proscriptos, verum etiam Sullanis jus idem concessum, ut quorum vellent agros occupare, eorum nomina in proscriptionis tabulas referrent; quod occiso Roscio Amerino fecisse Chrysogonum supra vidimus.

10. *Conformando.* Olim, « confirmando ». J. V. L.

11. *Cum aliquo metu.* Propter invidiam possessionis injustæ.

12. *Qua de causa.* Ut Sullana confirmet. — *Quorum causa.* Soceri sui.

13. *Defendo.* Contradico, prohibeo, resisto.

14. *Camp. a. dividis.* Qui est circum Capuam, Capuæ territorium: non enim tam late patet, quam Campania.

15. *Vos estis in possessione.* Vos possidetis: ut pro Cæcina: « In possessione bonorum quum esset, et sextulam suam nimium exaggeraret ».

16. *Non cedo.* Respicere fortasse potuit ad ea, quæ ceduntur in jure.

17. *Possessiones.* Populi romani agri late patentes, sive publici ut hic, sive privati, possessiones plerumque dicuntur.

18. *Dimoveri.* Melius *demoveri*, ut deturbari, dejici, depelli de possessione. Animadverti autem sæpe *dimoveri* pro *demoveri* scribi solere. Deduci etiam eodem modo de possessione dicitur: quod solemnitate quadam juris fiebat, quum is, qui in possessione erat, ab adversario, qui possessionem petebat, de fundo, de quo agebatur, deducebatur, ut pro Cæcina scribitur. Edit. 1483 *demoveri*.

hil quæratur [19]. Hoc enim vos in errore versari [20] diutius non oportet. Num quis vestrum [21] ad vim, ad facinus, ad cædem accommodatus est? Nemo. Atqui ei generi hominum, mihi credite, Campanus ager [22], et præclara illa Capua servatur; exercitus [23] contra vos, contra libertatem vestram [24], contra Cn. [25] Pompeium constituitur; contra hanc urbem, Capua; contra vos, manus hominum audacissimorum [26]; contra Cn. Pom-

19. *Vobis nihil quæratur.* Quom non vestra quæratur utilitas; quum non vobis, sed hominibus facinorosis agros sint divisuri.

20. *Hoc enim vos errore versari.* Ut assignationes speretis. — *Hoc enim vos errore versari diutius non oportet.* Sine præpositione edidit Gruter. ex auctoritate Pall. Cujac. imo et veterrimæ edit. vulgata hactenus *in errore;* minus recte; certe non necessario: nam *versari* est ludificari et irrideri; ut ostendit jam pridem in Plautinis Quæstionibus Gulielmius noster. — Verum est *in* quoque non exstare in Francii et Pithœi codicibus. Sed procul dubio excidit ea particula, quam cum Victorio, Manutio, Lambino, aliisque retinui. Nam licet *versari* nonnumquam accipiatur pro ludificari, et *versari* apud Ciceronem dicantur illi, qui dubii æstuant, et nesciunt, quo se vertant; *versari* tamen *errore* nusquam legitur, sed semper, et toties «versari in errore». Paruerunt Grævio recentiores. Prior Ven. «Hoc enim vos errore versare»: altera Gruterianam plane lectionem habet.

21. *Num quis vestrum.* His tantum quæritur qui ad scelera omnia sint parati, e quorum numero vos non estis.

22. *Campanus ager.* Ejus spe plebs romana valde capiebatur, et cum sibi dividi optabat, cui ejus rei spem adimit Cicero.

23. *Exercitus contra vos.* Id est, integrum populum.

24. *Contra libertatem vestram.* Colonos illos bellum Romæ Capua illaturos supra significavit. — *Contra libertatem vestram.* Libertate autem nihil carius est liberis populis, ac proinde populo romano ejus amittendæ metum injicit.

25. *Contra Cn. Pompeium.* Qui carissimus populo rom. optimatibus tum formidolosos, tum invisus erat.

26. *Hominum audacissimorum.* Ad cædem, facinora, seditionem promptissimorum. Etiam *audacia* in bonam partem sæpe dicitur. Virgilius: «audax quos rumpere Pallas Sacra vetat». Et apud Sallust. «Audacia in bello, ubi pax evenerat, æquitate, seque remque publicam tractabant». Qua in significatione ab eodem scriptore *ingenium* ponitur. «Sin libertas, et bella magis placent, decernite digna nomine, et augete ingenium viris fortibus». Dicitur ab eodem quoque «ingenium in prompto habere». Sed et *promptus*, fortis, strenuus, audax dicitur. Sallustius: «Maxime vellem, patres conscripti, rempublicam quietam esse, aut in periculis et promptissimo quoque defendi!» Et interdum *audacia*, aviditas audacter alic-

peium, decem duces comparantur. Veniant [27] coram, et, quoniam me in vestram concionem, vobis flagitantibus [28], convocaverunt, disserant [29].

num invadens. Plautus Capt. « Atque ædepol propter avaritiam atque audaciam ».

27. *Veniant coram.* Extremo iterum provocat adversarios, ut respondeant, quæ fiducia causæ veritatem ostendit. Supra autem dixit : « Nunc si videtur eis, in meam concionem prodeant ».

28. *Vobis flagitantibus convocaverunt.* Verbum *convocare* apte dicitur de multis : nescio an etiam de uno, adnotat Gulielmius : malim igitur « vobis fl. consulem vocaverunt » ; quod valde sit hic grave, et tamquam in bono lumine positum verbum. Error nasci potuit compendio scripturæ, « con. vocarunt », sane facile. — Referri potest ad plures tribunos plebis, qui simul Tullium vocarunt : esse quoque potest summo studio et contentione vocare. Vide Ernest. de voce *concurrere*, et Græv. ad cap. 16 pro Quintio.

29. *Disserant.* Jam ea quæ eis objeci, diluant ac defendant.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO C. RABIRIO
AD QUIRITES

22.

ARGUMENTUM.

L. Apuleius Saturninus quum esset quæstor Ostiensis, ab eo rei frumentariæ procuratio translata est ad principem senatus et civitatis M. Scaurum. Quam ignominiam ægerrime ferens, dolorem suum magna contentione animi persequebatur. (Cic. pro Sext. cap. 17.) Itaque quum primum tribunus plebis anno U. C. 651 Marii partibus inservire cœpisset, legem de majestate tulit. Tribunatu defunctum Q. Cæcilius Metellus censor senatu movere voluit, ob vitæ dedecora, dissentiente autem collega hoc efficere non potuit. Apuleius hanc injuriam ulturus anno Urb. 652, tribunatum iterum petiit. Adversariorum tamen studiis effectum est, ut novem jam tribunis creatis extremo loco A. Nonius Suffenas competitor ei præferretur. Hac repulsa accepta, Saturninus Mario consule, et prætore designato Glaucia faventibus, factionem armatorum juvenum in Nonium e comitiis redeuntem immittit, qui profugientem in caupona quadam assequuti confoderunt. Postero die summo mane, antequam frequens populus conveniret in comitium, Apuleius Saturninus iterum tribunus plebis creatur. In hoc secundo tribunatu an. U. 653 primum legem agrariam tulit, ut Gallicus ager, e quo Marius Cimbros expulerat, populo romano divideretur, et ut veteranis in Africa centena jugera dividerentur. Deinde legem promulgavit de coloniis in Siciliam, Achaiam, Macedoniamque deducendis, qua lege simul hoc Mario consuli detulit, ut in singulas colonias ternos cives romanos facere posset. Priori legi adjecta erat clausula, ut si plebs eam scivisset, senatus intra quintum diem in eam juraret. Lex non sine tumultu ac seditione perfertur. Quo facto Marius consul ad senatum refert de jurejurando, et quum prævideret senatum hoc recusaturum, ipse simulavit se ei assentiri, et se sua sponte juraturum esse negavit. Quinto autem die post Marius, senatu propere coacto, ait se plebem timere studiose legi faventem; itaque se jurare velle in legem, hac tamen cum exceptione, quatenus lex sit legitima (ἐμόσειν, ᾗ νόμος ἐςὶ, τῷδε πεισθήσεσθαι τῷ νόμῳ. Appian. de Bell. Civ. I, 30); facile autem postea ostendi posse non esse

legem, quæ per vim et Jove tonante præter morem majorum lata sit. His dictis Marius surgit, et ad ædem Saturni pergit, ibique primus ipse cum amicis jurejurando se obligat. Idem ceteri omnes senatores faciunt. Solus Metellus in legem jurare noluit, ac propterea exsulatum abire coactus est. Saturninus vero ut tertium tribunus plebis crearetur effecit, simulque curavit, ut L. Equitium Firmanum, quem Gracchi filium esse mentiebatur, hominem libertinum collegam nancisceretur. Quum autem comitia consularia haberentur, velletque Glauciam prætorem, seditionum socium, consulem creari, C. Memmium, competitorem, quem M. Antonius cos. des. collegam habiturus videbatur, interficiendum curavit; ac præterea cum factione sua alia consilia iniit, quæ ad seditiones in urbe ciendas spectabant. Tum SCto facto, viderent consules ne quid respublica detrimenti caperet, Marius, quamvis invitus, ipse convocatis ad arma optimatibus ad eum opprimendum ducem se præbuit. Saturninus cum Glaucia, Saufeio et Q. Labieno foro pulsus Capitolium occupavit. Ubi obsessi fide accepta se consuli dediderunt. Is ab irritata plebe eos defensurus in curia inclusit, quasi eos ad legitimum supplicium servare vellet. Plebs vero hunc prætextum et simulationem esse rata, tectum curiæ revulsit, et Apuleium Saturninum, cum omnibus suis, quos inter erat etiam Q. Labienus, tegulis injectis interemit. Ejus igitur ex fratre nepos T. Attius Labienus XXXVI annis post C. Rabirium perduellionis reum fecit, Saturninum trib. pl. sacrosanctum ab eo interfectum esse criminatus anno U. C. 690, Cicerone et Antonio coss.

Senatus autem auctoritas illa accusatione non leviter tentabatur, quod de ejus consulto, quo armati consules Saturninum interfecerant, judicium fieri videbatur. Ac Rabirius quidem cædem se fecisse pernegabat; et interfectum Saturninum a servo demonstrabat libertate postea donato; verum tribuni plebis, adnitente maxime Julio Cæsare, qui ex senatus invidia crescere studebat, illam lucro apponebant occasionem ut senatorii ordinis amplitudinem ac dignitatem convellerent, sibique omnium rerum licentiam præmunirent. Ita enim futurum erat, ut, iis qui postea novis rebus studerent, senatus decreta in disquisitionem vocare liceret. Ergo quum senatus id indigne ferebat, tum innoxium hominem et ætate provectum paucorum cupiditati

condonatum plerique dolebant, simulque civitatis dignitatem in crimen et invidiam vocari, indignabantur.

Ac primum quidem res acta est apud duumviros, ut erat olim in crimine perduellionis constitutum, non tamen more antiquo a populo creatos, sed a prætore sorte datos, C. Julium Cæsarem et Lucium Cæsarem. Suetonius in Julio, cap. 12, C. Julium Cæsarem ipsum ait subornasse qui C. Rabirio perduellionis diem diceret, eumque sorte, judicem in reum ductum, tam cupide condemnasse, ut ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit.

Quum igitur Rabirius a duumviris ad populum provocasset, defenderunt eum Q. Hortensius, et post eum Cicero consul, ab accusatore in semihoræ spatium inclusus; qui, quo vehementius populi animos in Rabirium accenderet, Saturnini imaginem pro rostris proposuerat. Et apud populum fortasse damnatus esset Rabirius, quum multitudo nec patronos audire, nec quod contra patriæ morem ac leges factum esset, vellet attendere, nisi Metellus Celer augur et prætor vexillum de Janiculo detraxisset, quod more majorum hanc vim habuit, ut comitia centuriata dirimerentur, nec illo die quidquam decerni posset. Labienus autem, etsi judicium hoc modo interruptum instaurare poterat, tamen abjecit accusationem, nec postea Rabirio molestus fuit. Sic ille tum hoc periculo solutus discessit.

Exordium orationis Cicero petit a causis, quæ eum ad Rabirium defendendum permoverint; easque partim in amicitiæ vetustate, in dignitate hominis, et ratione humanitatis, partim in officio consulis salutem reipublicæ tuendi sitas esse demonstrat. Unius enim hominis innocentis senectutem, infirmitatem, solitudinem hac accusatione idcirco tentatam esse, ut nihil posthac auctoritas senatus, consulare imperium et consensio bonorum contra perniciem civitatis valeret. Itaque laborem in defendendo Rabirio præcipue suum esse, studium vero ejus conservandi commune sibi cum populo esse debere declarat, cap. 1, 2.

Sequitur brevis depulsio aliorum criminum Rabirio objectorum, quæ quum prorsus vana et futilia sint, longam orationem non desiderent. Itaque respondendum non esse de locis religiosis et lucis, quos accusator a Rabirio violatos esse dixerat, nec de peculatu facto, de tabulario incenso, de sororis filio necato,

de servis alienis retentis, aut de civibus romanis verberatis, denique de impudicitia reo objecta, 3.

In refutando crimine perduellionis primum orator se ipsum defendit, quod judicium perduellionis a se sublatum esse Labienus fuerat criminatus, 4, 5.

Deinde Saturninum negat a Rabirio interfectum esse, quod quum jam satis esset ab Hortensio demonstratum, ipse in eo versatur, ut ostendat jure occidi Saturninum potuisse, et confiteatur interficiendi ejus causa una cum plurimis clarissimis viris, honestissimis et optimis civibus, Rabirium arma cepisse, 6-11. Hujus argumentationis extrema pars una cum tota orationis conclusione olim desiderabatur. Nunc vero clarissimi Niebuhr diligentia effectum est, ut ex magna parte damnum illud sartum sit, et nobilissimam ac pulcherrimam perorationem legentibus possimus proponere, qua orator, illas vulnerum quæ pro patria fortissime pugnans accepit cicatrices populo ostendit, oratque ut eum qui pro patria nullum umquam mortis periculum fugit, in patria mori patiatur, 12, 13.

B. G. NIEBUHR

AD RECENS ERUTAM SESQUIPAGINAM RABIRIANÆ ORATIONIS

PRÆFATIO.

Oratio pro C. Rabirio ex earum numero est quas in unico quodam antiquissimo codice, a cognitione hominum remotas, usque ad literarum instaurationem delituisse dixi: atque eodem volumine præterea orationis pro Q. Roscio fragmentum comprehensum fuisse, diserte testantur codices plurimi et nonnullæ inter editiones prisci ævi, in quibus, ubi Rabiriana abrumpitur, subscriptum est: exsecta esse ex vetustissimo codice folia duo, cum quibus hujus orationis finis et orationis pro Q. Roscio principium interciderit: quæ adnotatio, cum aliis ejusdem indolis, deinde, per incredibilem editorum negligentiam, abjecta fuit. Atque in eo quidem viros minime malos, qui hæc adnotarent, opinio fefellit, quod, quæcumque in utraque oratione desunt, ubi se in codice contigerant, duobus foliis contineri potuisse crediderunt; quæ vix unum quaternionem, præter illa folia, capere potuisse arbitror: præsertim quia, quo antiquiores codices sunt, eo rarior grandiorque eorum scriptura est: atque ita se in illo vetustissimo, quem vocant, codice rem habuisse, ex lacuna colligitur quæ in media oratione est; unius paginæ, ut iidem libri indicant, interitu orta; quo loco sane non ita multum deest. Jure autem summam illi codici antiquitatem tribui, ex orthographia quam in hac oratione codices primæque editiones servant, conficitur; quæ illam, quam in his membranis conspicimus, antiquitate superat: nisi quod synalœphen verbi substantivi ignorat, quæ tamen per inscitiam obliterari potuit. Atque ita emendate scriptus erat, ut in hac quidem oratione, etiam post indoctos librarios et temerarios editores, perpaucis locis aliquid ad emendationem requiratur. Sane vero etiam in hac parte schedæ nostræ, admodum negligenter scriptæ,

ad illius præstantiam non accedunt. Neque tamen illud asserere ausim, librum incolumi re romana scriptum Petrarchæ aut Poggii ætate adhuc exstitisse : quum fieri potuerit, ut alium sequuti sint librarii, v vel vi sæculis antea ex ejusmodi libro transcriptum, in quo illa de exsectis foliis adnotatio exstaret. Nam Florentinus quidem Varronis de Lingua Latina librorum codex, ceterorum omnium fons et parens, seculo ix vel x scriptus est : atque in eo, ubicumque lacunæ comparent, adnotatum est «in exemplo paginam unam pluresve exsectas fuisse».

Jam, quum hæc oratio in codice parente eam quæ pro Q. Roscio est, præcedat, dicendum erit, aut nihil sequutum esse eum qui hoc ordine orationes disposuit, aut certe neque causarum genera, quarum una vel maxime publica, altera privata omnino est, neque tempora, qui orationem ab adolescente dictam post eam collocaret quæ in consulatu habita est. Quo magis autem repugno ne casum et fortuitam perturbationem regnare concedam, ubi ordo et concinnitas ab humanæ mentis indole requiri videatur, eo attentius animum adverti in membranis Vaticanis, post explicitam pro Rabirio, incipere orationem pro Sex. Roscio, prius etiam quam illam pro Q. Comœdo a Cicerone dictam. Hinc igitur concludebam, orationes Ciceronis, eas certe quæ non majora per se corpora efficiebant, quales sunt Verrinæ et Philippicæ, antiquitus ex literarum serie dispositas fuisse : qui ordo in diversis editionibus paullum discrepare potuit, ita ut in una quidem oratio pro Q. Roscio ante eam pro Sexto, in alia vero Amerini defensio ante orationem pro Comœdo collocaretur. Firmatur hæc conjectura vel maxime confusione, de qua supra loquutus sum, alicujus partis orationis pro Flacco cum Fonteiana : eumdemque ordinem sequuti sunt in Plautinis fabulis : neque ab illo alienum est monumentum nobile quod olim in villa Albaniorum exstabat, tabulam dico, ubi tragœdiarum Euripidearum ex literarum ordine dispositus index exhibebatur, cujus pars non exigua supererat : ejus autem rei ratio Winkelmannum latuit (opp. II, p. 304). Quum igitur hæc conjectura magna veri specie blandiretur, de eo cogitare cœpi, quod, si orationes Ciceronianas olim ita dispositas fuisse nobis fingimus, atque ex superstitum numero illas separamus quæ per se libros integros efficiunt, quas supra indicavi; deinde eas quæ præ aliis in rhetorum et grammaticorum scholis celebrabantur et interpretabantur,

quales sunt orationes Catilinariæ, pro Cluentio, pro lege Manilia, pro Archia, pro Milone, pro Ligario, pro Marcello, pro Dejotaro : illas denique quæ ad rempublicam a Cicerone gestam ejusque exsilium pertinent, quum genuinas, tum suppositas : quæ ab historiæ Ciceronisque studiosis in unum corpus composita fuisse videntur : pro Sulla, antequam iret in exsilium, post reditum duas, pro domo, de haruspicum responsis, pro Sestio et in Vatinium, pro Plancio, invectivas Sallustianas, Catilinarias spurias, quæ raro in libris typis expressis occurrunt : his, inquam, segregatis, jam reliquæ sunt : pro Cæcina, pro Cœlio, pro Cornelio Balbo, pro Flacco, pro Fonteio, pro Muræna, in Pisonem, de provinciis consularibus, pro Quintio, pro C. Rabirio Postumo, pro C. Rabirio ad Quirites, pro Q. Roscio, pro Sex. Roscio, in P. Rullum de lege agraria tres. Mitto fragmentum Fonteianæ, cujus ratio jam exposita est : at, quicumque hunc indiculum inspicit, animadvertet, præter orationes pro Flacco et pro Muræna, omnium ceterarum titulos, si orationes Ciceronianas secundum literas dispositas fuisse cogitat, hunc ordinem respicere; tres primas ad literam C, reliquas ad P. Q. R. pertinere. Hujus autem rei ratio tunc expeditur, si ponimus, ex collectione ingenti, quæ plurimis voluminibus comprehensa fuerit, unum superfuisse quod tres illas contineret quæ ad C literam pertineant, duo aut tria in quo reliquæ ex ordine dispositæ fuerint. Atque primæ quidem tres integræ sunt : ceterarum pars major lacerato codice mutilæ. Jam vero has posteriorum literarum orationes non in uno volumine exstitisse, inde præsertim colligo, quod optimus ille Erfurtensis codex nonnullas ex earum numero habet, alias non item : quum autem in illis, quæ ei cum italicis libris communes sunt, eamdem originem in universum ita prodat, ut ea minime dubia sit, servavit tamen commata, quæ, propter ὁμοιοτέλευτον omissa, ab italicis omnibus absunt. Itaque suspicor illud volumen in quo Rabiriana et Roscianæ cum aliis exstarent, docto illi, prout tempora ferebant, homini, qui in Thuringico codice corpus, quod ad vitam publicam Ciceronis spectare dixi, nonnullis aliis locupletaret, non innotuisse : illud in Italia aut exstitisse, aut huc allatum fuisse; ceterarum apographum festinatius factum Italos accepisse.

Ubi desinit hujus orationis pars edita, periodus abrumpitur, quam Lambinus supplemento explere conatus, sensum quidem

haud dubie assequutus est, a verbis aberravit. Etenim in stolida illa, sed tamen multis locis ex laciniis Ciceronianis consuta oratione, «antequam iret in exsilium», quam repudiare prudentum fuit, at legere eam deberent, quod hodie vix quisquam facit, hæc exstant: «Si C. Mario auxilio fuistis quod in clivo Capitolino fecerat cædem civium improborum... ut sæpe multorum in periculis fecistis, sic nunc in meis miseriis divinum aliquod auxilium ostendite»: unde minime dubium est ultimum incisum ita redintegrandum esse: «quod in clivo Capitolino improborum civium CÆDEM FECERAT».

Qui ad hanc orationem, Suetoniumque et Dionem Cassium, de judicii genere dixerunt, in quo Rabirius a Cicerone defensus est, omnes, Dione auctore (XXXVII, cap. 27, 28, p. 129, ed. Reim.) statuunt, damnatum perduellionis judicio a duumviris C. Rabirium ad populum provocasse, cujus comitiis per prudentiam Q. Metelli diremptis, T. Labienum, qui alio judicio accusare potuisset, actionem abjecisse. Itaque ad populum provocatione certantem a Cicerone defensum esse autumant: et profecto, si Dionis testimonio standum est, aliter se res habere nequit. Atque ego certe is minime sum qui de hujus scriptoris, prudentis et diligentis viri, fide detrahere soleam; sed hac quidem in re eum errasse, atque aut numquam perduellionis judicium in Rabirium a populo habitum esse, aut, siquidem illius periculum callido consilio depulsum fuerit, Labienum eidem reo multam irrogasse, ex hac ipsa oratione perspicue intelligitur. Scilicet Ciceronis defensio, ut ipse disertis verbis docet (cap. 3), ad «multæ irrogationem» pertinet, cui propria erant tot alia crimina ab accusatore in reum collata, a perduellione maxime aliena: et tantum abest, ut de hoc judicio cogitari possit, ut Cicero Labienum querentem inducat (ibid. c. 1), «istud a consule in causa Rabirii sublatum esse»; ipse glorietur, «se carnificem de foro, crucem de campo sustulisse». Neque in omni defensione, ac præcipue quidem in perorationis parte quam Vaticanenses schedæ servarunt, de carcere et de cruce, sed de exsilio rei, si condemnetur, cogitat. Quare persuasum habeo, licet contrarium tradat Dio, fecisse Labienum idem quod ab accusatoribus P. Clodii, qui classem populi romani ad Drepana amiserat, factum esse, interpres Ciceronis ad orationem in Clodium et Curionem docet (V, 4): indicio valde memorabili, et quod rem clari

exempli multo accuratius quam ceteri veterum auctorum loci illustrat. Nam Pullium (*P. Villium* suspicor scribendum esse) et Fundanium, tribunos plebis, tradit, dicta die perduellionis, quum imber comitia diremisset, postea P. Clodio multam irrogasse cxx millium æris; quo judicio a populo damnatus est. Verum hoc ita disputo, ut minime dubitem, Rabirium ad populum provocasse, lex enim jubebat (Livius, I, cap. 26): sed ex illa Ciceronis gloriatione et tribuni querela concludo, consulis senatusque auctoritate abolitum fuisse quod duumviri, contra legem a prætore dati, judicaverant; imo præclarum illud Q. Metelli facinus ad judicium de multa referendum esse omnino arbitrarer, nisi absolutum esse Rabirium populi suffragiis Suetonius innueret; servatumque sua virtute, non ereptum alius cujusdam ope, optimum civem, Cicero ipse indicaret (in Pisonem, cap. 2).

Itaque, ut error, qui super hac re invaluit, penitus tollatur, inscribendam orationem *ad Quirites*, non *pro perduellionis reo*, suadeo; quamquam hunc titulum antiquissimum esse non negem.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PRO C. RABIRIO,
PERDUELLIONIS REO,
AD QUIRITES
ORATIO.

ORATIO OCTAVADECIMA.

I. Etsi, Quirites[1], non est meæ[2] consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam, propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi; tamen in hac defensione capitis[3], famæ, fortunarumque omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur esse officii mei[4]; propterea

I. 1. *Quirites.* In campo Martio ad populum hæc oratio habita est comitiis centuriatis, aut in concione, quæ comitia antecessit.

2. *Non est meæ consuetudinis.* Quamvis Cicero sibi non usitatum esse dicat, earum rerum rationem reddere quibus impulsus causam aliquam susceperit, tamen illud sæpius fecit, ut pro Roscio Amer. et in Verrem fuit animadvertere; neque illud sane minimi erat ad fidem judicibus faciendam momenti justissimas proponere causas rei defendendi.

3. *Capitis.* Vitæ civilis. Poterat etiam vita hoc uno crimine adimi.

4. *Officii mei.* Quæ mihi causa sit hujus defensionis.

quod, quæ justissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri.

Nam me quum[5] amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis[6], tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo, ad C. Rabirium defendendum est adhortata : tum vero, ut id studiosissime facerem, salus reipublicæ[7], consulare officium[8], consulatus denique ipse, mihi una vobiscum cum salute reipublicæ commendatus, coegit. Non enim C. Rabirium culpa delicti[9], non invidia, vitæque[10] turpitudo, non denique veteres, justæ, gravesque inimicitiæ civium, in discrimen capitis vocaverunt : sed ut illud summum auxilium majestatis[11] atque imperii, quod nobis a majoribus est traditum, de republica tolleretur; ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare imperium[12], nihil consensio bonorum contra pestem ac perniciem civitatis valeret; idcirco in his rebus

5. *Quum*. Sch. maluit *tum*. J. V. L.

6. *Dignitas hominis*. Utpote senatoris. — *Ratio humanitatis*, quæ omnes ad sublevandam hominum calamitatem debet impellere. — *Consuetudo*. Qui semper reos defendere soleo, nullum fere accusavi.

7. *Salus reip*. Quæ agitur in hac causa; homines enim improbi senatus auctoritatem convellere, qua nititur salus reip. conantur.

8. *Consulare officium*. Consulis enim est tueri consulare imperium, quo Saturninus interfectus fuerat. — *Consulatus*. Cujus mihi jus defendendum est, ne quid ei decedat.

9. *Culpa delicti*. Rabirius non suo, sed reip. nomine in discrimen capitis venit, quod consuli paruerit et remp. salvam esse voluerit.

10. *Non invidia, vitæque*. Al. codd. « non invidia vitiaque »; al. « non invidis vitæ, non deu. » Quod multi secuti sunt. J. V. L.

11. *Summum auxilium majestatis*. Senatusconsultum illud significat, quod summis reip. temporibus fieri solebat, ut viderent consules ne quid resp. detrimenti caperet. « Ea, inquit Sallustius, potestas per senatum more romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, domi militiæque imperium atque judicium summum habere ». SCtum hoc genus contra Saturninum C. Mario, L. Valerio coss. fuerat factum.

12. *Consulare imperium*. Quod ex illo SCto pendebat. — *Consensio bonorum*. Qui consulum imperio et senatus voluntati parentes Saturninum nefaria molientem oppresserunt.

evertendis [13], unius hominis senectus [14], infirmitas, solitudoque tentata est. Quamobrem, si est boni consulis, quum cuncta auxilia reipublicæ labefactari [15] convellique videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem [16] posteriorem salute communi ducere; est etiam bonorum et fortium civium, quales vos omnibus reipublicæ temporibus exstitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia reipublicæ, summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium, putare [17]; ea qui sequutus sit, laude potius et honore, quam pœna et supplicio dignum judicare.

Quamobrem labor in hoc defendendo, præcipue meus est; studium vero conservandi hominis, commune mihi vobiscum esse debebit.

II. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam [1] rem nullam majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque a tribuno plebis susceptam, neque a consule defensam, neque ad populum romanum esse delatam.

13. *In his rebus evertendis.* Glossam hanc verbi *idcirco* habuere Ernest. et Schütz. Verum *idcirco* ad eorum voluntatem, sequentia autem verba ad rationes quibus usi sunt, refertur.

14. *Senectus.* Quum sit ætate senex Rabirius, opibus infirmus, a propinquis nudus, ideo eum aggrediuntur, ut illo oppugnato ad majora jam grassentur, resque omnes simul evertant.

15. *Labefactari.* Ab hominibus seditiosis, ut tunc a Saturnino.

16. *Suam salutem.* Callide suspicionem injicit insidiarum a Labieno accusatore.

17. *Putare.* Credere omnem exsequendi vim penes consules, omnem deliberandi usum penes senatum esse.

II. 1. *Post hominum memoriam.* Quum per cccc et amplius annos plurimas causas tribuni pl. susceperint, et ad populum rom. detulerint, easque consules defenderint, qui persæpe seditiosis tribunorum plebis clamoribus obstiterunt, hæc tamen præteritarum omnium gravissima est, quia Rabirio damnato, nemo in posterum reperietur, qui senatum contra seditiosos velit defendere. Quod tunc temporis eo erat periculosius, quod jam nefaria consilia Catilina in patriam moliebatur.

Agitur enim nihil aliud in hac causa, Quirites, quam ut nullum sit posthac in republica publicum consilium[2], nulla bonorum consensio contra improborum furorem et audaciam, nullum extremis reipublicæ temporibus perfugium et præsidium salutis.

Quæ quum ita sint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Jove Optimo Maximo[3], ceterisque diis deabusque immortalibus, quorum ope et auxilio multo magis hæc respublica, quam ratione hominum et consilio gubernatur, pacem ac veniam peto; precorque ab iis, ut hodiernum diem et ad hujus salutem conservandam, et ad rempublicam constituendam[4], illuxisse patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum potestas proxime[5] ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi[6] atque innocentissimi, et[7] salus reipublicæ, vestris manibus suffragiisque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in reipublicæ salute sapientiam, quam soletis.

Nunc, quoniam, T. Labiene[8], diligentiæ meæ temporis angustiis obstitisti[9], meque ex comparato et

2. *Publicum consilium*. Ne valeat senatus auctoritas. — *Bonorum*. Optimatum et sensuum sequentium.

3. *Ab Jove Optimo Max*. Hanc deos præfandi rationem, quamvis Romanis usitatam, a Demosthene sumpsisse videtur, qui ad exordii finem pro Corona, iterum deos quod bonum felixque sit, appellat.

4. *Constituendam*. Conservandam, cujus reip. salus in hoc judicio agitur.

5. Cod. Franc. *maxime*. J. V. L.

6. *Miserrimi*. Cujus infortuniis vestra misericordia, innocentiæ justitia debetur.

7. Aberat *et*. Addidit Ern. ex ed. Juntina. J. V. L.

8. *T. Labiene*. Hic tribunus pl. Cicerone consule diem dixit Rabirio; idem postea Cæsaris auspiciis in Gallia militavit.

9. *Obstitisti*. Labienus reo semihoram ad defensionem præscripserat. — *Ex comparato*. Pro spatio illo defensionis, quod mihi jam constitueram et comparaveram.

constituto spatio defensionis, in semihoræ curriculum[10] coegisti, parebitur et, quod iniquissimum est, accusatoris conditioni[11], et, quod miserrimum, inimici potestati. Quamquam in hac præscriptione semihoræ patroni mihi partes reliquisti, consulis ademisti[12]: propterea quod ad defendendum propemodum satis erit hoc mihi temporis, ad conquerendum[13] parum. Nisi forte[14] de locis religiosis ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti, pluribus verbis tibi respondendum putas : quo in crimine nihil est umquam abs te dictum, nisi a C. Macro[15] objectum esse crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror, meminisse te, quid objecerit C. Rabirio Macer inimicus; oblitum esse, quid æqui et jurati judices judicarint.

III. An de peculatu facto[1], an de tabulario[2] incenso, longa oratio est exprimenda[3]? quo in crimine propinquus C. Rabirii judicio clarissimo C. Curius[4], pro virtute sua, est honestissime liberatus; ipse vero Ra-

10. Editio princeps, *circulum*, quod Lamb. uno codice defendit. J. V. L.

11. *Accusatoris conditioni*. Legi ab accusatore impositæ, et ab inimico dictæ.

12. *Consulis ademisti*. Neque enim, ut consul, reip. nomine conqueri potero.

13. *Verum*, quod vulgo additur, abest duobus codd. Oxon. J. V. L.

14. *Nisi forte*. Significat ideo se a Labieno intra arctissimos fines circumscriptum, ne ad omnia ea, quæ objecisset, posset respondere.

15. *A C. Macro*. Qui Rabirium jam antea de violatis lucis accusavisse videtur. Fuere duo hoc nomine appellati, quorum alter in Bruto honestissime memoratur, alter de repetundis a Cicerone prætore accusatus, damnationem voluntaria morte vitavit. Cf. ad Att. I, 7.

III. 1. *De peculatu facto*. Apparet in illo tumultu, illaque perturbatione Apuleiæ seditionis factum peculatum, direpto ærario, fuisse, cui crimini affinis visus sit Rabirius.

2. *Tabulario incenso*. Quum id Rabirio objiceretur, nondum patebat quis hunc actorum publicorum locum incendisset : postea Q. Sosius eques rom. se fecisse confessus est.

3. Manut. Lamb. Lallem. *expromenda*. J. V. L.

4. *C. Curium*. Ille Rabiriam hujus uxorem in matrimonio habuit. Sic vocatur in orat. pro Rabir. Post. c. 2, 17, probantque Hottomannus, Ursinus, etc. Vulg. «C. Curtius». J. V. L.

birius non modo in judicium horum criminum, sed ne in tenuissimam quidem suspicionem verbo est umquam vocatus. An de sororis filio [5] diligentius respondendum est? quem ab hoc necatum esse dixisti, quum ad judicii moram familiaris funeris excusatio quæreretur. Quid enim est tam verisimile, quam cariorem huic sororis maritum, quam sororis filium fuisse? atque ita cariorem, ut alter [6] vita crudelissime privaretur, quum alteri ad prolationem judicii biduum quæreretur? An de servis alienis contra legem Fabiam [7] retentis, aut de civibus romanis contra legem Porciam [8] verberatis, aut necatis plura dicenda sunt, quum tanto studio C. Rabirius totius Apuliæ, singulari voluntate Campaniæ [9] vicinitatis ornetur [10]? quumque ad ejus propulsandum periculum non modo homines, sed prope regiones ipsæ concurrerint [11], aliquanto etiam latius excitatæ, quam ipsius vicinitatis nomen ac termini postulabant? Nam quid ego ad id longam orationem comparem, quod est in eadem multæ irrogatione [12] perscriptum, hunc nec suæ, nec

5. *De sororis filio.* Quem interfectum ab Rabirio accusator dicebat, ut, dum ei funus duceretur, maritus sororis Q. Curius dilatione aliqua in judicio uteretur. Usu enim apud Romanos venerat, ut qui funus familiare duceret, justave mortuo faceret, is nec in jus, nec in judicium vocaretur. Vid. Ulpian. II, de in jus vocandis.

6. *Alter.* Filius sororis. — *Alteri.* Marito sororis.

7. *Legem Fabiam.* De plagiariis, qua cavebatur, ne quis servum alienum, invito vel insciente domino, celaret, vinctum haberet, emeret sciens dolo malo.

8. *Legem Porciam.* A M. Porcio Catone latam, ne quis magistratus civem rom. virgis cæderet, aut necaret. De lege hac frequentior occurrit mentio in Verr. V, pass.

9. *Campaniæ.* Erat, ut ex hoc loco intelligi potest, Rabirius Campanus; aut certe fundos in Campania, domum etiam Neapoli habebat. Cicero ad Atticum: « Domum Rabirianam Neapoli, quam tu dimensam et exædificatam animo habebas, Fonteius emit ».

10. *Ornetur.* Sæpius jam dictum de solemnibus illis legationibus, quæ illustres reos laudarent.

11. Al. « convenerint ». J. V. L.

12. *Multæ irrogatione.* Scilicet accusator multam Rabirio irrogandam etiam eo nomine censebat, quod alienos servos retinuisset, in quos stupra

alienæ pudicitiæ pepercisse? Quin etiam suspicor, eo mihi semihoram a Labieno præstitutam esse, ut ne plura de pudicitia dicerem[13]. Ergo ad hæc crimina, quæ patroni diligentiam desiderant, intelligis mihi semihoram istam nimium longam[14] fuisse: illam alteram partem[15] de nece Saturnini, nimis exiguam atque angustam esse voluisti; quæ non oratoris ingenium, sed consulis auxilium[16] implorat et flagitat.

Nam de perduellionis[17] judicio, quod a me sublatum esse criminari soles, meum crimen est, non Rabirii. Quod utinam, Quirites, ego id[18] aut primus[19], aut solus ex hac republica sustulissem! utinam, quod ille crimen esse vult, proprium testimonium meæ laudis esset! Quid enim optari potest, quod ego mallem, quam me in consulatu meo carnificem de foro,

exerceret. Eadem multæ irrogatio plura complectebatur, de lucis violatis, de peculatu facto, etc. ut in hoc capite animadversum est.

13. *De pudicitia dicerem.* Eo scilicet nomine male audiebat Labienus. Salse his verbis adversarium figit, impudicitiæ sibi conscium.

14. *Nimium longam.* Quum a me jam momento temporis et verbo uno sint confutata.

15. *Illam alteram partem.* Duas partes accusatio complectebatur: unam quæ Rabirio multam propter supra objecta crimina; alteram quæ mortem, propter interfectum Saturninum, irrogabat.

16. *Consulis auxilium.* Quum consulare imperium, quo est interfectus Saturninus, consul ipse defendere debeam; et me consulem accusaveris, quod perduellionis judicium sustulerim.

17. *Perduellionis.* Apud veteres proprie parricidium erat, h. e. ut est apud Plutarchum in Numa, cædes hominis liberi, quam quis sciens fecit. Postea *perduellionis crimen*, illud dictum est, quo quis libertatem populi romani violavit, tamquam affectato regno, tribuno pl. pulsato aut interfecto, cive rom. indicta causa, virgis cæso, etc. De illius judicii habendi ratione confer ad calc. prim. volum. Excursum de rom. judic. publ. Porro in hac causa pleraque nobilitas enixissime contenderat, ne judicium istud exerceretur; qua etiam in re studium suum, ut opinor, consul apertissime erat professus; unde tribunus pl. eum in invidiam vocat, quasi judicium illud, libertatis rom. et tribunitiæ potestatis arcem, sustulerit.

18. Beck. voculam hanc, ut redundantem, sustulit; quod Schütz. improbat; allato exemplo Terent. Phorm. I, 3, 5.

19. *Aut primus.* Sustulit enim ante Ciceronem M. Porcius Cato, sustulit C. Gracchus.

crucem de campo sustulisse? Sed ista laus primum est majorum nostrorum, Quirites, qui, expulsis regibus, nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiæ[20] retinuerunt; deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt.

IV. Quamobrem uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? tune, qui civibus romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere; qui in campo Martio, comitiis centuriatis[1], auspicato in loco[2], crucem ad civium supplicium defigi et constitui[3] jubes? an ego, qui funestari concionem contagione carnificis[4] veto; qui expiandum forum populi romani ab illis nefarii sceleris[5] vestigiis esse dico; qui castam concionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnium civium romanorum, integrum jus libertatis defendo servari oportere? Popularis vero tribunus plebis, custos defensorque juris et libertatis[6]! Porcia lex virgas[7] ab omnium civium romanorum corpore amovit: hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit[8]: Labie-

20. *Crudelitatis regiæ.* Hujus enim judicii et supplicii auctor Tullus Hostilius rex fuit. Tit. Liv. I, 26.

IV. 1. *Comitiis centuriatis.* Non enim de capite civis rom. aliis comitiis, quam centuriatis, cum populo agi licebat.

2. *Auspicato in loco.* Comitia auspiciis consularibus, adhibitis auguribus consecrabantur; quem locum crux funestatura erat.

3. Cod. Pith. *destitui*, quod placuit Grævio. Verbum quidem exquisitum et bene latinum, Ernest. judice, sed minus proprium in hac re, quam alterum. J. V. L.

4. *Contagione carnificis.* Ne carnifex impurus, aut etiam ejus aspectus quemquam polluat.

5. *Nefarii sceleris.* Quod est, si civis rom. servili more necetur.

6. *Libertatis.* Quæ civem verberari vetat.

7. *Virgas.* Illis utebantur lictores; flagella autem solus habebat carnifex, quibus in servos animadverteret.

8. *Lictori eripuit.* Ne lictor cives vinciret, cavit; ille eos carnifici sus-

nus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium romanorum injussu vestro judicaretur : hic popularis a duumviris[9], injussu vestro, non judicari de cive romano, sed indicta causa[10] civem romanum capitis condemnari coegit. Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi[11], tu horum libertatis, tu cujusquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo suppliciis inusitatis, sed etiam verborum inaudita[12] crudelitate, violare libertatem hujus populi, tentare mansuetudinem[13], commutare disciplinam conatus es? Namque hæc tua, quæ te hominem clementem popularemque delectant, I, LICTOR, COLLIGA MANUS; quæ[14] non modo hujus libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii, sed Tarquinii, superbissimi atque crudelissimi regis. Ista sunt cruciatus carmina[15], quæ tu, homo lenis ac popularis, libentissime commemoras, CAPUT OBNUBITO, ARBORI INFELICI[16] SUSPENDITO; quæ verba, Quirites, jampri-

pendendos tradidit, cujus vel ipsum nomen invisissimum Romanis erat, quique extra urbis muros habitabat, ne illam funestaret.

9. *Duumviri.* Ii sunt, qui ex instituto Tulli Hostilii perduellis judicandi causa constituebantur. Cujus atrocis judicii ea erat formula : « Duumviri perduellionem judicent. Si a duumviris provocarit, provocatione certato. Si vincent, caput obnubito; infelici arbori reste suspendito. Verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium ». Vid. Misc. Obs. Amst. X, p. 267.

10. *Indicta causa.* Causam enim dicere non videtur, in quem judicium contra leges exercetur, ut in Rabirium, non creatis a populo duumviris, sed a prætore, sine jussu populi, sorte ductis.

11. Schütz. transposuit hæc verba post *tu horum libertatis.* J. V. L.

12. *Inaudita crudelitate.* Propter hæc verba : « I lictor, colliga manus, etc. » Quæ hominum memoria jam erant obliterata.

13. *Tentare mansuetudinem.* Mites illius mores corrumpere, dum illius oculos tam atroci spectaculo, aures tam immanibus verbis assuefacis.

14. Ernest. Schütz. alii, dum hoc verbum delent, atque infra *sed* ante *Tarquinii*, hæc omnia mutant et pervertunt. J. V. L.

15. *Carmina.* Sic Livius : « Lex horrendi carminis erat ». Ita enim certa verborum formula ac conceptio significatur.

16. *Arbori infelici.* Ferali cruci.

dem in hac republica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis[17] oppressa sunt.

V. An vero, si actio ista popularis esset, et, si ullam partem æquitatis haberet aut juris, C. Gracchus eam reliquisset[1]? Scilicet tibi graviorem dolorem patrui tui mors[2] attulit, quam C. Graccho fratris; et tibi acerbior ejus patrui mors est, quem numquam vidisti, quam illi ejus fratris, quicum concordissime vixerat; et similis viri[3] tu ulcisceris patrui mortem, atque ille persequeretur fratris sui, si ista ratione agere voluisset; et par desiderium sui reliquit apud populum romanum Labienus iste, patruus vester, quisquis fuit, ac Tib. Gracchus reliquerat? An pietas tua major, quam Gracchi? an animus? an consilium? an opes? an auctoritas? an eloquentia? quæ si in illo minima fuissent, tamen præ tuis facultatibus[4] maxima putarentur. Quum vero his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum intervallum tandem inter te atque illum interjectum putas? Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in ejus concione carnifex consisteret: quem non modo foro, sed etiam cælo hoc ac spiritu censoriæ[5] leges, atque urbis domicilio carere voluerunt. Hic se popularem dicere audet, me alienum a commodis vestris;

17. *Luce libertatis*. Quæ munita est adversus hæc supplicia.

V. 1. *Eam reliquisset*. Annon Scipionem Nasicam perduellionis postulasset C. Gracchus, qui maxime popularis fuit, quum ejus frater tribunus pl. cæsus esset, si quæstionem istam perduellionis legitimam putasset?

2. *Patrui tui mors*. Cum Saturnino interfecti.

3. Unus cod. Oxon. habet *similis juri*; unde Beck. legendum conj. *simili jure*; quæ verba Schützius admisit. J.V. L. —Vulgatæ sensus est: Patruus cujus mortem ulcisci quæris, similis sane erat illius fratris cujus interfectores C. Gracchus esset persequutus, si illo perduellionis judicio agere voluisset!

4. *Facultatibus*. Iis rebus quæ in te sunt. Verbum hoc temere Ernestio fuit suspectum.

5. *Censoriæ leges*. A Catone Censore latæ, et ejus gravitate plenæ.

quum iste omnes et suppliciorum et verborum acerbitates, non ex memoria vestra ac patrum vestrorum, sed ex annalium[6] monumentis, atque ex regum commentariis conquisierit : ego omnibus meis opibus, omnibus consiliis, omnibus dictis atque factis repugnarim et restiterim crudelitati! Nisi forte hanc conditionem[7] vobis esse vultis, quam servi, si libertatis spem propositam non haberent, ferre nullo modo possent. Misera est ignominia judiciorum publicorum, misera multatio bonorum, miserum exsilium; sed tamen in omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis. Mors denique si proponitur, in libertate moriamur[8]; carnifex vero, et obductio[9] capitis, et nomen ipsum crucis, absit non modo a corpore[10] civium romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum, non solum eventus atque perpessio, sed etiam conditio[11], exspectatio, mentio ipsa denique, indigna cive romano atque homine libero est. An vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu, dominorum benignitas una vindicta[12] liberabit[13] : nos a

6. *Annalium.* Cicero, de Orat. II, 12, Annales appellari scribit res singulorum annorum literis mandatas. In illis maximi quæque momenti facta conscribebat summus pontifex. — *Regum commentarii.* Tabulæ erant in quibus acta regum perscripta in tabulario publico asservabantur. Illi autem primi perduellionis judicium ac supplicium instituebant.

7. *Hanc conditionem.* Ut corpora carnifici obnoxia habeatis.

8. Male Ernest. *morimur.* J. V. L.

9. Al. *obnuptio*, quod Mureto placuit, Var. Lect. VIII, 9. J. V. L.

10. *A corpore.* Non modo non suspendantur cives rom. sed tam servile supplicium ne cogitent, videant, audiant.

11. *Conditio.* Illud fieri posse : ea conditione quisque vivat, ut in eum cadere illud supplicium possit. Muretus legi voluit « condictio », quod locum non habet.

12. *Vindicta.* Una manumissione. Quum liberandi ad prætorem servi adducerentur, lictor ejus capiti virgam seu vindictam imponebat, his verbis : « Hunc hominem liberum esse aio ». Simul dominus hæc dicebat : « Abito quo voles, nihil te moror ».

13. Edd. pr. *liberavit*, confusione

verberibus, ab unco[14], a crucis denique terrore, neque res gestæ, neque acta ætas, neque nostri honores vindicabunt?

Quamobrem fateor[15], atque etiam, T. Labiene, profiteor, et præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunitia actione, sed regia, meo consilio, virtute, auctoritate esse depulsum. Qua tu in actione quamquam omnia exempla majorum[16], omnes leges, omnem auctoritatem senatus[17], omnes religiones, atque auspiciorum publica jura[18], neglexisti; tamen a me hæc, in hoc tam exiguo meo tempore, non audies: liberum tempus nobis dabitur ad istam disceptationem. Nunc de Saturnini crimine, ac de clarissimi patrui tui morte dicemus.

VI. Arguis, occisum esse a C. Rabirio L. Saturninum: et id C. Rabirius multorum testimoniis, Q. Hortensio[1] copiosissime defendente, antea falsum esse docuit. Ego autem, si mihi esset integrum[2], susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer. Utinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem

usitatissima. Emendavit P. Manutius.

14. *Ab unco.* Qui eorum impingebatur gutturi, qui ad supplicium trahebantur: ita fustis incurvus appellabatur. Si enim nullus magistratus comitia edicere voluisset, frustra Rabirius appellabat.

15. *Fateor.* Quum Rabirius duumvirum judicio, non a populo creatorum, damnatus esset, populum appellavit, ut causa iterum centuriatis comitiis cognosceretur. Edixit itaque Cicero consul comitia in gratiam Rabirii; et illius patrocinium suscepit. Illud est unde gloriatur se Labieni actionem infregisse et ad leges retraxisse.

16. *Exempla majorum.* Apud quos nemo umquam sic egit.

17. *Auctoritatem senatus.* Qui olim judicarat hostem Saturninum, majestatemque imperii servandam consulibus permiserat.

18. *Auspiciorum publica jura.* Quæ mala esse, ut reor, Labieno erant nuntiata. Quæ causa fuit cur paullo post comitia solverentur.

VI. 1. *Q. Hortensio.* Hortensius causam Rabirii apud duumviros egerat: ejus orationis duo tantum verba « cicatricum mearum » servavit Charis. ed. Putsch. p. 100. Quibus verbis apparet eodem momento usum Hortensium, quo usus est Cic. in peroratione.

2. *Esset integrum.* Nisi jam ante ostendisset Hortensius non a Rabirio Saturninum interfectum.

hoc prædicare, C. Rabirii manu L. Saturninum, hostem populi romani[3], interfectum! — Nihil me clamor iste commovet[4], sed consolatur, quum indicat esse quosdam cives imperitos, sed non multos. Numquam, mihi credite, populus romanus hic, qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quanto jam levior est acclamatio! quin continetis[5] vocem, indicem stultitiæ vestræ, testem paucitatis! — Libenter, inquam, confiterer, si vere possem[6], aut etiam, si mihi esset integrum, C. Rabirii manu L. Saturninum esse occisum; et id facinus pulcherrimum esse arbitrarer: sed, quoniam id facere non possum, confitebor id, quod ad laudem[7] minus valebit, ad crimen non minus. Confiteor, interficiendi Saturnini causa, C. Rabirium arma cepisse. Quid est, Labiene? quam a me graviorem confessionem, aut quod in hunc majus crimen exspectas? Nisi vero interesse aliquid putas inter eum, qui hominem occidit, et eum, qui cum telo[8] occidendi hominis causa fuit. Si interfici Saturninum nefas fuit, arma sumpta esse contra Saturninum sine scelere non possunt; si arma jure

3. *Hostem pop. rom.* Sic enim senatus judicaverat.

4. *Clamor iste commovet.* Oborta acclamatio est populi, cui, pro potestate magistratus quem gerebat, fortiter et magna fiducia resistit. Significat Quintilianus, XI, 3, supra modum et vocis humanæ naturam verba hæc pronuntiasse oratorem, quibus acerbissime nonnullos objurgaret. Magnam quidem inde constantiæ laudem meretur Cicero, quod minaces plebeculæ obmurmurationes non metuerit, imo etiam fortissime contempserit.

5. Quintil. laudat, XI, 3, « quin compescitis vocem istam, indicem stultitiæ, testem paucitatis ». J. V. L.

6. *Si vere possem.* Si sine mendacio facere possem; et nisi jam omnino Hortensius hunc a Rabirio non interfectum ostendisset.

7. *Ad laudem.* Ad decus Rabirii. — *Ad crimen.* Ad agnoscendum illud quod Rabirio objicis.

8. *Cum telo.* Nam lege Cornelia de sicariis non tantum tenetur, qui hominem interfecit, sed etiam qui hominis interficiendi causa, cum telo ambulavit.

sumpta concedis, interfectum jure concedas necesse est.

*Paucula desunt, ut quibusdam videtur**.

VII. Fit senatusconsultum [1], ut C. Marius, L. Valerius, consules, adhiberent tribunos plebis et prætores, quos eis videretur; operamque darent, ut imperium populi romani, majestasque conservaretur. Adhibent omnes tribunos plebis præter Saturninum, omnes [2] prætores præter Glauciam [3] : qui rempublicam salvam esse vellent [4], arma capere, et se sequi jubent. Parent omnes : ex ædificiis [5] armamentariisque publicis arma populo romano, C. Mario consule distribuente, dantur. Hic jam, ut omittam cetera, de te ipso, Labiene, quæro : quum Saturninus Capitolium teneret armatus, esset una C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille [6] ex compedibus atque ergastulo Gracchus; addam, quoniam ita vis [7], eodem Q. La-

* Schütz. h. l. deesse putat principium narrationis de turbis a Saturnino excitatis, postquam Memmium competitorem Glanciæ in consulatu interficiendum curaverat. Et in Pall. duobus integram deficere paginam in codice vetusto adnotatur. Sunt autem nonnulli, qui nihil deesse putent, Ciceronemque semihora circumscriptum transitioni parum attendisse, quum res inter se satis cohærerent.

VII. 1. *Fit senatusconsultum.* Arma jure sumpta in Saturninum probat senatusconsulti auctoritate, quo summa potestas consulibus permissa est. Hujus autem decreti auctoritatem primum senatus in C. Gracchum usurpaverat; inde tribuni jus istud senatui non esse concedendum contendebant.

2. *Omnes*, quod abest a codd. auctore Turnebo, addiderunt Lambin. Olivet. Lallem. etc. J. V. L.

3. *Glauciam.* C. Servilius Glaucia, tum prætor cum Saturnino sentiens, una est interfectus.

4. *Salvum esse vellent.* Hac voce in magnis periculis ad audendum quum properato opus erat, multitudinem incitabant consules, quod spatium delectus habendi non erat.

5. *Ex ædificiis.* Cod. Oxon. *ædibus sacris.* J. V. L.

6. *Ille.* Is L. Equitius olim servus erat, a Saturnino subornatus, qui se occisi Gracchi filium mentiretur: una cum Saturnino est interfectus. Confer Appian. I de Bell. Civ. Flor. III, 16; Val. Max. IX, 7 et 16.

7. *Quoniam ita vis.* Quando in illo numero fuisse patruum vis tuum;

bienum, patruum tuum; in foro autem C. Marius, et L. Valerius Flaccus, consules, post cunctus senatus, atque ille senatus, quem etiam vos ipsi, qui hos patres conscriptos, qui nunc sunt, in invidiam vocatis, quo facilius de hoc senatu detrahere possitis, laudare consuevistis; quum equester ordo: at quorum equitum [8], dii immortales! patrum nostrorum, atque ejus ætatis, quæ tum magnam partem reipublicæ, atque omnem dignitatem judiciorum [9] tenebat; quum omnes omnium ordinum homines, qui in salute reipublicæ salutem suam repositam esse arbitrabantur, arma cepissent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? De te ipso, inquam, Labiene, quæro: quum ad arma consules ex senatusconsulto vocavissent; quum armatus M. Æmilius [10], princeps senatus, in comitio constitisset, qui, quum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat; quum denique Q. Scævola, confectus senectute, præpeditus morbo, mancus, et membris omnibus captus ac debilis, hastili nixus, et animi vim [11], et infirmitatem corporis ostenderet; quum L. Metellus, Serv. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus, omnes-

quod nemo scit propter hominis obscuritatem.

8. *Quorum equitum*. Olim, « equitum romanorum ». J. V. L.

9. *Dignitatem judiciorum*. Saturnini enim tempore judicia lege Sempronia solus equester ordo administrabat: quæ postquam eis adempta ad solos senatores rediere, tandem lege Aurelia inter utrumque ordinem ac ærarii tribunos fuere communicata.

10. *M. Æmilius*. Scaurus, cujus constantiam et gravitatem Cicero sæpius laudat: unus accusavit Sallustius.

11. *Animi vim*. Ad hanc verborum magnificentiam accedit Herodianus, Severi vit. III, 46: Ἐπαγγέλλει τὴν εἰς Βρεττανίαν ἔξοδον, πρεσβύτης τε ἤδη ὤν, καὶ ὑπὸ τῆς ἀρθρίτιδος νόσου κάμνων· ἀλλὰ τὰ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ἔῤῥωτο ὑπὲρ πάντα νεανίαν. Ultra progressus est Bossuetius in elatissima illa Condæi principis oratione: « Trois fois il fut repoussé par le valeureux comte de Fontaines, qu'on voyait porté dans sa chaise, et malgré ses infirmités, montrer qu'une ame guerrière est maîtresse du corps qu'elle anime ».

que, qui tum erant, consulares, pro salute communi arma cepissent; quum omnes prætores, cuncta nobilitas ac juventus accurreret, Cn. et L.[12] Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Drusus; quum omnes Octavii, Metelli, Julii, Cassii, Catones, Pompeii; quum L. Philippus, L. Scipio, quum M. Lepidus, quum D. Brutus, quum hic ipse P. Servilius, quo tu imperatore[13], Labiene, meruisti; quum hic Q. Catulus, admodum tum adolescens, quum hic C. Curio[14], quum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent: quid tandem C. Rabirium facere convenit? Utrum inclusum atque abditum latere in occulto, atque ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere? an in Capitolium pergere, atque ibi se cum tuo patruo, et ceteris, ad mortem, propter vitæ turpitudinem[15], confugientibus, congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scævola, cum bonis denique omnibus coire, non modo salutis, verum etiam periculi societatem?

VIII. Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? quum ignaviæ ratio te in fugam atque in latebras impelleret[1]; improbitas et furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret; consules ad patriæ salutem ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem[2], quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parere potissimum velles? Patruus, inquit,

12. Olim *C. et L. Domitii.* Sequimur Pighium ad ann. 652. J. V. L.

13. *Quo tu imperatore.* P. Servilius in Cilicia bellum gessit, deque ea triumphavit, captis maximis ejus regionis urbibus. Ceteri, quorum nomina aut ante aut post leguntur, notiores sunt, quam ut quidquam sit addendum.

14. *C. Curio.* Pater ejus, qui civili bello pro Cæsare pugnans periit.

15. *Turpitudinem.* Propter probra et dedecora sceleratæ et improbæ vitæ.

VIII. 1. *Impelleret.* Ernest. malit *compelleret.* J. V. L.

2. *Quam tandem auctoritatem.* Quem auctorem sequi malles, Saturninumne, an consules, an ignaviam?— *Sectam sequi.* A partibus stare.

meus cum Saturnino fuit. Quid? pater quicum[3]? quid? propinqui vestri, equites romani? quid? omnis præfectura[4], regio, vicinitas vestra? quid? ager[5] Picenus universus, utrum tribunitium furorem, an consularem auctoritatem sequutus est? Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruo prædicas, neminem umquam adhuc de sese esse confessum: nemo est, inquam, inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modo honestate, sed etiam simulatione honestatis relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur. At fuit vester patruus[6]. Fuerit; et fuerit nulla desperatione[7] rerum suarum, nullis domesticis vulneribus coactus; induxerit eum L. Saturnini familiaritas, ut amicitiam patriæ præponeret: idcircone oportuit C. Rabirium desciscere a repupublica? non comparere in illa armata multitudine bonorum? consulum voci[8] atque imperio non obedire? Atqui videmus, hæc in rerum natura tria fuisse: ut aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere, mortis erat instar turpissimæ; cum Saturnino esse, furoris et sceleris: virtus, et honestas, et pudor[9] cum consulibus esse cogebat. Hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum iis fuerit C. Rabirius,

3. *Quicum.* Fuitne cum Saturnino?

4. *Præfectura.* Hoc nomine quædam in Italia civitates vocabantur, in quibus jus dicebatur, ac quædam reip. forma erat, nec tamen magistratus suos habebant, sed in eas præfecti quotannis, qui jus dicerent, ab Urbe mittebantur. In agro Piceno hanc fuisse Reatinam præfecturam conjicitur, quia infra de Piceno agitur.

5. *Ager Picenus.* Qui Romam ad comitia convenerat, quo tempore est interfectus Saturninus.

6. *Vester patruus.* Nempe Labieni et ejus fratrum.

7. *Nulla desperatione.* Fuerit volo ei nulla domestica causa cur desperatis suis rebus, nova foverit; non ære alieno oppressus sit, nec publicam ruinam cum sua miscere voluerit.

8. *Consulum voci.* Ad arma vocantium, qui rempublicam salvam esse vellent.

9. *Pudor.* Decorum illud quod a turpibus deterret, ad honesta vocat et officia conservat.

quos amentissimus [10] fuisset, si oppugnasset; turpissimus, si reliquisset?

IX. At C. Decianus [1], de quo tu sæpe commemoras, quia, quum hominem omnibus insignem notis turpitudinis, P. Furium, accusaret summo studio bonorum omnium, queri est ausus in concione de morte Saturnini, condemnatus est; et Sext. [2] Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suæ, condemnatus est. Statuerunt equites romani illo judicio, improbum civem esse, et non retinendum [3] in civitate, qui hominis, hostilem in modum seditiosi, imagine aut mortem ejus honestaret, aut desideria imperitorum misericordia commoveret, aut suam significaret [4] imitandæ improbitatis voluntatem. Itaque mihi mirum videtur, unde hanc tu, Labiene, imaginem, quam habes [5], inveneris. Nam Sext. Titio damnato, qui istam habere auderet, inventus est nemo. Quod tu si audisses, aut si per ætatem scire potuisses; numquam profecto istam imaginem, quæ, domi posita, pestem atque exsilium [6] Sext. Titio attulisset, in Rostra atque in concionem attulisses; nec tuas umquam rationes [7] ad eos scopulos appulisses, ad quos Sext. Titii afflictam navem, et in quibus C. De-

10. *Amentissimus.* Amentiæ enim erat ac furoris senatus imperio obsistere, cum Saturnino bonos oppugnare.

IX. 1. *C. Decianus.* « Hic P. Furium inquinatissimæ vitæ, ut scribit Valerius, VIII, 1, hominem quum pro Rostris accusaret, quia in quadam parte actionis de morte L. Saturnini queri ausus erat, nec reum condemnavit, et insuper ei pœnas adjectas pependit ».

2. *Sext. Titius.* « Homo fuit, inquit Cicero, satis loquax sane et satis acutus; sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quædam nasceretur, cui saltationi nomen *Titius* esset ».

3. *Non retinendum.* Lege Porcia damnati in exsilium abibant.

4. *Significaret.* Ostenderet se ejus facta imitari velle.

5. *Habes.* Imaginem L. Saturnini Labienus in concione protulerat. — Cod. Franc. « tu habes ». J. V. L.

6. *Exsilium.* Manut. memorat lectionem *exitium*. J. V. L.

7. *Rationes.* P. Pithœus conjiciebat *rates*, ut melius conveniret *navi Titii*. Nimis ingeniose. J. V. L.

ciani naufragium fortunarum videres. Sed in his rebus omnibus imprudentia laberis : causam enim suscepisti antiquiorem memoria tua[8]; quæ causa ante mortua est, quam tu natus esses : qua in[9] causa tute profecto fuisses, si per ætatem esse potuisses, eam causam in judicium vocas. An non intelligis, primum quos homines, et quales viros mortuos summi sceleris[10] arguas? deinde quot ex iis, qui vivunt, eodem crimine in summum capitis periculum arcessas? Nam si C. Rabirius fraudem capitalem[11] admisit, quod arma contra L. Saturninum tulit, huic quidem afferet aliquam deprecationem[12] periculi ætas illa, qua tum fuit : Q. vero Catulum[13], patrem hujus, in quo summa sapientia, eximia virtus, singularis humanitas fuit; M. Scaurum, illa gravitate, illo consilio, illa prudentia; duos Mucios[14], L. Crassum, M. Antonium, qui tum extra urbem[15] cum præsidio fuit; quorum in hac civitate longe maxima consilia atque ingenia fuerunt; ceteros pari dignitate præditos, custodes gubernatoresque reipublicæ, quemadmodum mortuos defendemus? Quid de illis honestissimis viris atque optimis civibus, equitibus romanis, dicemus, qui tum una cum senatu salutem reipublicæ defenderunt? quid de tribunis ærariis,

8. *Memoria tua*. Ætate tua.

9. *Qua in causa*. Et quam causam tu ipse defendisses, nempe consulum et senatus contra Saturninum, hanc tu nunc accusas?

10. *Summi sceleris*. Perduellionis.

11. *Fraudem capitalem*. Crimen, quod capite sit luendum.

12. *Deprecationem*. Depulsionem. — *Ætas*. Significat Rabirium admodum adolescentem ea ætate fuisse, qua interfectus est Saturninus.

13. *Q. Catulum*. Qui mori a Mario coactus filium Q. Catulum reliquerat, a quo pater patriæ Cicero, oppressa conjuratione, est vocatus.

14. *Duos Mucios*. Q. Mucium Scævolam augurem Lælii generum, et Q. Mucium Scævolam pontificem P. filium.

15. *Qui tum extra urbem cum præsidio fuit*. Ad urbis portas cum armis stabat Antonius, ne quid foris moveretur.

ceterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt?

X. Sed quid ego de iis omnibus, qui consulari imperio paruerunt, loquor? de ipsorum consulum fama quid futurum est? L. Flaccum [1], hominem quum semper in republica, tum in magistratibus gerendis, in sacerdotio cærimoniisque, quibus præerat, diligentissimum, nefarii sceleris ac parricidii mortuum condemnabimus? adjungemus ad hanc labem [2] ignominiamque mortis, etiam C. Marii nomen? C. Marium, quem vere patrem patriæ [3], parentem, inquam, vestræ libertatis, atque hujusce reipublicæ possumus dicere, sceleris ac parricidii nefarii mortuum condemnabimus? Etenim, si C. Rabirio, quod iit ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putavit; quod tandem excogitabitur in eum supplicium, qui vocavit [4]? Ac, si fides Saturnino data est [5], quod abs te sæpissime dicitur: non eam C. Rabirius, sed C. Marius dedit; idemque violavit, si in fide non stetit. Quæ fides, Labiene, qui potuit sine senatusconsulto dari? Adeone hospes hujusce urbis, adeone ignarus es disciplinæ consuetudinisque nostræ, ut hæc nescias? ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare?

X. 1. *L. Flaccum.* L. Valerius Flaccus Marii in consulatu collega, flamen erat et in pontificum collegio; non autem pontifex max. ut Manutio placuit; quem gradum tunc obtinebat Q. Mucius Scævola.

2. Gruter. *legem* recepit ex ed. Lambiniana secunda majoris formæ, ubi error videtur ab operis profectus.

3. *Patrem patriæ.* Hunc ita Cicero appellat; ut populo gratum faceret, pro quo Marius contra senatum ac nobilitatem pugnaverat. Ceterum eo nomine dignus videri potuit Marius, quum scilicet Cimbricam tempestatem ab Italia depulit.

4. *Vocavit.* Nempe ad arma. Male cod. Franc. *necavit*. J. V. L.

5. *Data est.* Consules fidem publicam Glauciæ et Saturnino dederant, fore ut cum eis non vi, sed jure ageretur. Conf. Plutarch. in Mar. c. 30; Flor. III, 16, et Auct. de Vir. Ill. cap. 73.

Quid jam ista C. Mario, inquit, nocere possunt, quoniam sensu et vita caret [6]? Itane vero? tantis in laboribus C. Marius periculisque vixisset, si nihil longius, quam vitæ termini postulabant, spe atque animo de se et gloria sua cogitasset? At credo, quum innumerabiles hostium copias in Italia fudisset, atque obsidione rempublicam liberasset, omnia sua secum una moritura arbitrabatur. Non est ita, Quirites: neque quisquam nostrum in reipublicæ periculis cum laude ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur. Itaque quum multis aliis de causis virorum bonorum mentes divinæ mihi atque æternæ videntur esse, tum maxime, quod optimi et sapientissimi cujusque animus ita præsentit [7] in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur. Quapropter equidem et C. Marii, et ceterorum virorum sapientissimorum ac fortissimorum civium mentes, quæ mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem [8] et sanctimoniam demigrasse, testor, me pro illorum fama, gloria, memoria, non secus ac pro patriis fanis [9] atque delubris propugnandum putare: ac, si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenue caperem, quam illi pro communi salute ceperunt. Etenim, Quirites, exiguum nobis

6. *Sensu et vita caret.* Quod illa tempestate multos esse sciebat qui corpore exstincto exstincta omnia arbitrarentur, Cicero desperatæ huic opinioni, ut consul et sapiens obsistit. Percrebuerat enim hæc Epicuri sententia, quæ corruptis animis favebat, ita ut ipse Cæsar hanc in senatu profiteri non dubitaret.

7. *Præsentit in posterum.* Posteritatis quadam præsensione et spe ducitur. Sic in Tuscul. prim. « nescio quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis altissimisque ingeniis et existit maxime et apparet facillime ». Confer etiam eloquentissimas voces pro Arch. c. 11.

8. *Ad deorum religionem.* Post hanc vitam deorum numero adscribi; divinis honoribus consecrari. — Prava Lambini conjectura, « regionem ».

9. *Patriis fanis.* Ernestius malebat *sacris*. J. V. L.

vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ.

XI. Quare, si eos, qui jam de vita decesserunt, ornabimus, justiorem nobis mortis conditionem relinquemus[1]. Sed, si illos, Labiene, quos jam videre non possumus, negligis; ne his quidem, quos[2] vides, consuli putas oportere? Neminem esse dico ex iis omnibus, qui illo die Romæ fuerint, quem tu diem in judicium vocas, pubesque[3] tum fuerit, quin arma ceperit, quin consules sequutus sit. Omnes ii, quorum tu ex ætate[4] conjecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis, C. Rabirii nomine, citantur.

At occidit Saturninum Rabirius. Utinam fecisset! non supplicium deprecarer, sed præmium postularem. Etenim, si Scævæ[5], servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data est : quod equiti romano præmium dari par fuisset? et, si C. Marius, quod fistulas[6], quibus aqua suppeditabatur Jovis Optimi Maximi templis ac sedibus, præcidi imperarat, quod in clivo Capitolino improborum civium [7].....

XI. 1. *Relinquemus.* Meliore conditione utemur; nec mortui ignominiæ obnoxii erimus. Utcumque enim in aliorum manes consuluerimus, exemplum posteri sequentur.

2. *Ne his quidem, quos vides.* Qui adhuc vivunt, eidemque crimini affines sunt.

3. *Pubes.* Ad pubertatem pervenerit, armaque ferre potuerit.

4. *Ex ætate.* Quos conjicere potes tum fuisse puberes, et qui consules sunt sequuti.

5. *Scævæ.* De servo hoc qui, adjuvante Rabirio, Saturninum interfecit, vide Pigh. ad ann. 653.

6. *Fistulas.* Marius, ut siti Saturninum ac conscios oppugnaret, tubos, quibus aqua in Capitolium ducebatur, præcidi jusserat. Vid. Flor. III, 16.

7. Niebuhr, ex orat. spuria, « Antequam iret in exsilium », restituit « cædem fecerat ». Sensus autem mancæ illius periodi conjicitur : Si nemo fuit qui Marium impie fecisse argueret, quod prope Jovis Opt. Max. sedem temeraverat, et Capitolium cæde infecerat, etc.

*Desunt pauca.**

..... XII..... aret[1]. Itaque non senatus in ea causa[2] cognoscenda, me agente, diligentior aut inclementior[3] fuit, quam vos universi, quum orbis terræ distributionem, atque illum ipsum agrum Campanum, animis, manibus, vocibus repudiavistis[4]. Idem ego,

* Pauciora nunc desunt, quam ante nos. Incipit fragmentum novum.

XII. 1. *Aret.* Etsi omnium Ciceronis defensionum brevissima hæc fuit, semihoræ spatio circumscripta, tamen non pauca intercidisse videntur inter hujus fragmenti initium et ea quæ in hactenus editis ultima sunt. Amisso igitur nexu, quum id quoque perobscurum sit de qua re orator egerit in illa sectione, cujus ultima tantum periodus legitur, multo magis difficile est perspicere quale fuerit istud vocabulum quo præcedens periodus terminabatur, cujus hæ duæ syllabæ supersunt. Non tamen propterea omni conjectura probabili destituimur: et, si illa, quam proxima adnotatione exponam, vera est, suspicari licet verbum, inter pauca illa primæ conjugationis quærendum quæ *o* pura finiuntur, *dilaniare* esse, ut sensus integri membri ejusmodi fuerit: Senatum hoc egisse ne carnifex corpus civis romani dilaniaret. Nieb.

2. *Causa.* In his schedis in ista parisque rationis vocibus unum *s* scribitur. Quæ autem hæc causa intelligenda est? Secundum ea quæ paullo ante disputavi, de perduellionis judicio sermonem esse arbitror, quod a senatu rescissum fuerit: de lege Servilia agraria, cujus mentio mox sequitur, certe non cogitandum est, de qua quum senatus consuleret, causam non cognoscebat. Nieb.

3. *Diligentior aut inclementior.* Duplex hujus loci restituendi ratio adhiberi possit, quum ea quam secutus sum, ut pro *diligenter*, *diligentior* rescriberem, præsertim qui viderem in Footeianæ codice basilicæ Vat. similiter erratum fuisse; tum alia longe violentior, ut post vocem *diligenter*, quasi a negligente librario omissa insererentur *aut severior*, vel simile quiddam. Sane *diligentia* est *agentis* (ad Div. I, 5, *a nobis agentur omnia diligenter*): ac præcipue quidem senatoris et consulis qui referat: at illa non minus propria est *cognitionis causarum* (*causas diligenter penitusque cognoscere:* de Orat. II, 24): quod autem sequitur *inclementior*, non ad causæ cognitionem, sed ad senatum refertur. Atque *inclementius* egisse videri poterat senatus, licet crudeli actioni tribunitiæ adversaretur, dum senatusconsulto duumvirorum damnationem aboleret, tribunum in ordinem redigeret: quid? quod ipsa legis Serviliæ repudiatio hoc loco *inclemens* dicitur. Nieb.

4. *Repudiavistis.* Plicata agglutinataque pagina præter primas duas hujus versus literas, ceteræ perierunt: ita tamen ut ex literis DI nonnihil supersit. Nieb.

quod is, qui auctor hujus judicii est [5], clamo, prædico, denuntio : nullus est reliquus rex, nulla gens, nulla natio, quam pertimescatis; nullum adventitium, nullum extraneum malum est, quod insinuare [6] in hanc rempublicam possit. Si immortalem hanc civitatem esse vultis, si æternum imperium, si gloriam sempiternam manere [7]; nobis a nostris cupiditatibus, a turbulentis hominibus atque novarum rerum cupi-

5. *Est.* Hoc quoque vocabulum omissum est negligentia librarii, qui supra, v. 7, *cum* geminaverat. Utrum autem *est* an *'st* scribendum sit, non definio. — *Reliqus.* Ita scribi solitum fuisse in vetustissimis codicibus Ciceronianis, illis hujus ipsius orationis libris firmatur qui sæculo XV admodum diligenter transcripti fuerunt; neque multum abit quod vetustissimus Cluentianæ Laurentianus habet *relicum :* quin nulla fere est oratio cujus exemplaria ex valde antiquis proxime orta superaint, ubi hæc scriptio in uno alterove libro non inveniatur. Sic etiam fragmentum Livianum *propincum :* quod idem, ubi in aliis rebus hæ schedæ recentiorem orthographiam habent, cum illis conspirat; quippe ubi similiter *omnes* pro *omnis* scribatur. Ac disertum habemus testem sua ætate hanc scriptionem in usu fuisse Velium Longum p. 2222, 2223, quamquam aliud exemplum ponat, *equs* scilicet : ubi unum *u* auribus sufficere concedit, verum propter rationem duo exigit. Huc porro illud quoque pertinet quod, Quintiliano teste, *cum*, adverbium temporis, *qum* scribebant. Nam *o* post *u* in eadem syllaba, ubi posterioribus *u* geminare placuit, tunc scribebant antiqui, quum syllaba a digamma incipiebat : *servos, primitivos.* — *Malum 'st.* De hac synalœpha dixi ad Fonteianam. Illud his fragmentis proprium est, quod hæc figura puncto post mediam literam *t* apposito indicatur, quo Donatus, p. 1742, mediam distinctionem significari ait. NIEB.

6. *Quod insinuare.* Ita scripsi, omisso pronomine *se*, quia id facere ex usu Ciceronis liceret : de quo vide Grævium ad Verr. III, s. 2, 68 : quo tamen loco longe præstantior illa codicum familia, ad quam Nannianus, Fabricianus, Car. Stephani et Lagom. 42 pertinent, voculam illam inserunt. Hic autem numeri literarum ratio habenda erat, ne octo literæ adderentur. Is numerus in singulis versibus numquam XII minor invenitur, neque major XVIII : itaque, desecta parte paginæ, id videndum est ne ad explendas versuum extremitates plures literas addamus quam hæc ratio fert. De breviore versu ne nimia solliciti simus : sunt enim inæquales. Denique animadvertendum est in summa pagina unam duasve literas amplius quam in ima abscissas esse. Ut igitur demonstrem contra hanc rationem a me factum non esse, sufficit ea colligere quæ in hac columna siglis scripta restituta fuerunt : v. 4, RP. pro *rempublicam ;* v. 10, ATQ. pro *atque ;* denique v. 19, REMP. pro *rempublicam.* NIEB.

7. *Manere.* Hanc vocem posui potius quam ut *esse* quod supra locum sibi vindicavit, iterarem. NIEB.

dis, ab intestinis malis, a domesticis consiliis [8] cavendum est. Hisce autem malis magnum præsidium vobis majores vestri reliquerunt, vocem illam [9] consulis, qui rempublicam salvam esse vult. Huic voci favete, Quirites [10], neque vestro judicio abstuleritis mihi rem-

8. *Ab intestinis malis, a domesticis consiliis.* Integer versus in plicatura obliteratus fuit, quomodo autem is suppleretur, id a restauratione versus sequentis (13) pendebat. Ubi quum literæ CO apparerent, occurrebat, fieri posse ut scriptum fuisset vel *conjuratis*, vel *cœtibus*, vel *consiliis*: quorum quod primum est elegissem, tunc autem in superiore versu rescripsissem *a seditiosis tr. pl.* nisi octo literæ in fine additæ, inter quas *u*, quæ duarum spatium implet, nimiæ visæ essent. Itaque in ultimo vocabulo acquievi, quo posito præcedentis versus supplementum vix aliter constitui poterit. Habebam autem ante oculos quæ prorsus similia Cicero ante paucos menses dixerat in senatu, tribunos compellans, quæque post Catilinæ discessum in concione memoravit: adv. Rullum, I, c. 9: « Nullum externum periculum est, non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est; inclusum malum, intestinum ac domesticum est ». In Catilinam, II, c. 5: « Nulla est natio quam pertimescamus: nullus rex, qui bellum populo romano facere possit: omnia sunt externa pacata: domesticum bellum manet: intus insidiæ sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis ». — *Vocem.* Cæsar Bell. Civ. I, 7: « Quotiescumque sit decretum, darent magistratus operam, ne quid RP. detrimenti caperet: qua voce et quo SC. populus romanus ad arma sit vocatus ». Nieb.

9. *Vocem illam.* Auctoritatem illam consulis, qui, quum in discrimine versatur resp. ut Valerius et Marius consules (sup. c. 7), advocare cives potest: « qui rempublicam salvam esse volunt, arma capiant, et nos sequantur ». Inde postquam de illa a consule adhibenda diligentia hæc generatim dixit, jam de se ipse loquitur, civesque hortatur ut huic voci suæ faveant, quæ est vox consulis, quem magistratum Romanis præsidio esse et eos admonere de periculis suis majores voluerunt.

10. *Favete, Quirites.* Nisi spatii angustiæ obstare visæ essent, longe prætulissem ita hunc locum supplere ut scriberem « favere debetis, Quirites »; raro enim Cicero, quum concionem alloquitur, imperativo utitur: scilicet, ne majestatem populi parum colere videretur. Ita, ut unum ex plurimis exemplum afferam, in hac ipsa oratione, c. 2: « Sic enim existimare debetis, Quirites ». Ac sane si hæc vox, *Quirites*, omitti posse ullo modo mihi videretur, hoc elegissem, quum ultimus versus sæpe longius quam ceteri excurrere soleat. Eadem ratione, ne imperare videatur, paullo post optativo utitur: hæc enim indoles est futuri exacti, quando pro imperativo ponitur, licet dissentiant auctores quos sequuntur Charisius, p. 229, at Diomedes, p. 353. Qui futuri exacti usus quum apud priscos valde usitatus esset (ut illud Ennii est: « Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis »), serius fere exolevit; in defectivis tamen, re cogente, remansit. Neque,

publicam [11], neque eripueritis reipublicæ spem libertatis, spem salutis, spem dignitatis [12].

Quid facerem, si T. Labienus cædem civium fecisset, ut L. Saturninus, si carcerem refregisset, si Capitolium cum armatis [13] occupavisset? Facerem id, quod C. Marius fecit; ad senatum referrem, vos ad rempublicam defendendam cohortarer, armatus ipse vobiscum armato obsisterem. Nunc quoniam armorum suspicio nulla est, tela non video, non vis, non cædes, non Capitolii atque arcis obsessio est, sed accusatio perniciosa, judicium acerbum, res tota a tribuno plebis suscepta [14] contra rempublicam, non

si cui placuerit in hoc loco rescribere, « huic voci faveritis », ego quidem repugnaverim. *Quirites* per siglam Q. R. scribebatur; quæ in codicibus optimæ indolis haud raro obvia, in notarum libris desiderari videtur: sed apud Magnonem pro *queres* (quod Putschius *quæres* fecit) *Quirites* rescribendum esse, vix dubium esse potest. Nieb.

11. *Rempublicam.* Hoc supplementum, nota REMP. scriptum, spatium postulat, quod amplius quatuor vel quinque literis non patitur, ex quibus una sequens vocabulum inchoare debet: ac nulla quidem de ejus veritate restaret dubitatio, si locutione *rempublicam auferre* usum fuisse Ciceronem indicare possem. Verum enimvero quum sincerissimæ sint illæ: « rempublicam permittere, tenere, recuperare » (de Sullana nobilitate), ubi vocis *reipublicæ* eadem vis est quam imperii et potestatis, de ea sollicitus non sum: quamquam fieri potest ut meliora ab aliis inveniantur. Mox *reipublicæ* per siglam RP. scriptum fuisse necesse est: nam *P. R.* locum hic habere non crediderim. Nieb.

12. *Dignitatis.* In Rullum, I, 6: « ut vobis non modo dignitatis retinendæ, sed ne libertatis quidem recuperandæ spes relinquatur ». Ac ne quis aliam vocem ad supplementum quærat, propterea quod hæc dichoreum exhibet, ejus rei neque exempla apud Ciceronem desunt, neque præceptum, quum doceat (Orat. 63): « Dichoreum non quidem sua sponte vitiosum esse in clausulis, sed quum semper sit idem: per se enim præclare cadere, etc. » Cf. Diomedem, II, p. 467. Proximo versu, qui primus novæ sectionis est, septem literæ admittebantur, propterea quia primæ ad lævam evagantur. Mox quæ confeci duorum versuum supplementa, ea vero nulla confirmatione egent. Nieb.

13. *Cum armatis.* Supplementum. Versus illi vix in codice apparent, e quo hæc eruas: *quid facerem* si T. Labie*nus cædem* civium *feciss*et, ut L. Satur*ninus*, si carcerem re*fregiss*et, si Capitoli*um cum armatis occupa*visset? Facerem i*d quod* C. Marius *fecit*, *a*d senatum re*ferrem*, vos ad rempublicam *def*endendam co*hort*arer, armatus *ipse*, vobiscum ar*mato* obsisterem. *Nunc* quoniam, etc.

14. *Suscepta.* Membranæ barbare

vos ad arma vocandos mihi esse [15], sed ad suffragia cohortandos contra oppugnationem vestræ majestatis[16] putavi. Itaque nunc vos omnes oro atque obtestor, hortorque. Non ita mos est[17], consulem, quum [18] est...

..... XIII..... timet [1] : qui hasce [2] ore adverso pro

susceptam. Paullo post *vestra* deleri debuit. Nieb.

15. Conjectura. J. V. L.

16. *Vestræ majestatis.* Quæ tribunorum falsis criminationibus ac seditiosis concionibus oppugnatur. Cui loco facem præfert Tacitus Ann. I, 72: « Legem majestatis reduxerat (Tiberius), cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant; si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republica, majestatem populi romani minuisset: facta arguebantur, dicta impune erant ».

17. *Non ita mos est.* Et hoc loco oratorem excusat, quod patroni partes ageret, dum consulis numeribus fungeretur.

18. *Consulem, quum*, etc. Ambiguum videri potest utrum in hoc versu COS an EOS, CUM an EUM, scriptum fuerit. COS autem si scriptum fuit, ut equidem plane arbitror, hanc siglam, qua omnes casus vocabuli *Consul* exprimuntur, hoc quidem loco accusativum exprimere vix dubium est. Atque, ne quis emendatione adhibita proximum fragmentum cum hoc conjungi posse sibi persuadeat, moneo, primam vocem, *timet*, ultimam columnæ esse, quod proxime sequenti exæquatum fuisse necesse est, sex versus implenti. Nieb.

XIII. 1. *Timet.* Prima litera evanuit : ultima vix comparet : attamen lectio indubia est. Nieb.

2. *Qui hasce.* Caietanus Melior, Neapolitanus, qui novam editionem fragmenti Liviani cum Juvenatii commentariis in urbe patria curavit, ut ei super additamenta quæ a Juvenatio expresserat, alias dotes præ romana adderet, quinque paucorum versuum fragmenta ex diversis codicis locis petita collegit, quæ omnia pro Ciceronianis venditavit, clamans, « ultro loquentem se prodere M. Tullium ». In illis hic quoque locus legitur, a verbis *qui hasce* usque ad illa *hostium loco movere :* atque hunc quidem ad Ciceronianam orationem pertinere, membranæ ipsæ, versa pagina, grandibus et conspicuis literis docebant, quod ille retienit. In ceteris vero prodigiose erravit, quæ omnia Senecæ sunt, atque infra a me in Annæanis fragmentis indicabuntur; fieri autem potuisse ut ea a viro minime indocto pro Ciceronianis haberentur, id satis mirari non possum. Nam quod sectatores credulos nactus est, qui sibi adhuc acutius cernere visi sunt, eaque omnia, locum dico ex peroratione in causa capitis senatoris populi romani, veterani militis, illosque de amicitia ex frigidis L. Senecæ nugis, ad orationis pro Q. Comœdo initium retulerunt, id quidem flagitiosum ac ridendum est. In his igitur pauois versibus quædam recte emendavit ille, quædam male exhibuit : illud, quum pro *accipit*, *accepit*, pro UOLIUS quod in obliterata scriptura exstare videtur, fuit autem fortasse UOLTUS, *volnus* legendum esse indicat : hoc, quum INURI nullo sensu pro PRORP, *adverso* pro *adverso*, *commovere* pro *loco movere* exhibet. Nieb.

republica cicatrices[3] ac notas virtutis accepit[4], is, ne quod accipiat famæ vulnus, pertimescit[5]: quem nunquam incursiones[6] hostium loco movere potuerunt, is nunc impetum civium, cui necessario cedendum est, perhorrescit. Neque a vobis jam bene vivendi, sed honeste moriendi facultatem petit; neque[7] tam ut domo sua fruatur, quam ne patrio sepulcro privetur, laborat. Nihil aliud jam vos orat atque obsecrat, nisi uti ne se legitimo funere, et domestica[8] morte privetis; ut eum, qui pro patria nullum unquam mortis periculum fugit, in patria mori patiamini.

Dixi ad id tempus, quod mihi a tribuno plebis præstitutum est: a vobis peto[9] quæsoque, ut[10] hanc meam defensionem pro amici periculo fidelem, pro reipublicæ salute consularem putetis.

3. *Cicatrices.* Inter paucissima Q. Hortensii monumenta, quæ aut ille scripta reliquit, aut a posteris lecta fuerunt, erat etiam C. Rabirii in hac ipsa causa defensio: ex qua quæ Charisius, p. 100, servavit verba, *cicatricum mearum*, ad locum prorsus similem pertinuisse apparet, ubi tamen Rabirium loquentem induxerat. Niza.

4. *Accepit.* Cicero eodem ad commovendos animos affectu utitur, quo Antonium pro M'. Aquillio dicentem usum fuisse narrat in Verr. V, 1.

5. *Vulnus pertimescit.* Sic emendavi, quum in membranis scriptum sit *perhorrescit*, neque enim umquam mihi persuaderi patiar ut credam hanc vocem quæ paucis post versibus in proxime subsequentis incisi exitu iterum occurrit (*impetum civium perhorrescit*), adeo ingrate a Cicerone fuisse iteratam. Quo vero loco emendatio adhibenda esset, quum aures indicabant, tum vel maxime alius ipsius oratoris locus: in Verrem, IV, act. 2, c. 35: « hanc tu tantam religionem si tum in imperio non pertimescebas, ne nunc quidem in tanto tuo periculo perhorrescis? » Hæ autem voces a librariis permutantur: et in Catilin. II, c. 1, ubi ceteri libri omnes « intra domesticos parietes pertimescemus » legunt, unus, at is plane egregius, inter Lagomarsinianos, *perhorrescemus* exhibet; atque id, ut mea quidem opinio fert, recte. Niza.

6. *Incursiones.* Membranæ *incursione*: et infra *patriam* pro *patria*; cujusmodi menda hominem plane indoctum et rusticæ linguæ assuetum produnt. Niza.

7. *Neque tam.* Sic emendavi, pro *jam*. Niza.

8. *Domestica.* Intra proprios penates.

9. *Peto.* De locutione quam certissimo supplemento restitui cf. Dukerum ad Liv. VIII, c. 9, 7. Niza.

10. *Ut hanc.* Vos oro ut a me ita defensum Rabirium existimetis, quemadmodum amicus ab amico, et innocentem ac tribunitia invidia oppressum a consule publicæ salutis studioso, defendi decebat.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO PRIMA

IN L. CATILINAM

ARGUMENTUM.

Roma suis ipsius oppressa victoriis, ac peregrino corrupta luxu, in eo jam erat, ut dominum, aut emptorem inveniret: et Sulla jam servire posse Romanos tristi in futurum exemplo ostenderat. Hoc proscriptionum magistro usus L. Sergius Catilina, per scelus ac flagitia ad hanc grassari potentiam se posse credidit, quam, non nisi victo Mithridate, Sulla sibi comparaverat. Hunc præterea luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma romana, duce Pompeio, peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendæ patriæ suæ compellebant.

Genere patricio ortus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Natus est circiter anno U. C. 646, patre L. Sergio, matre Belliena L. Bellieni filia (Ascon. ad Cic. orat. in Tog. cand.) Ejus avum fuisse putat *de Brosses* (*Hist. de la Rép. Rom. par Salluste*, tom. III, p. 16) M. Sergium Silum anno U. C. 605 quæstorem; proavum M. Sergium Silanum anno U. C. 582 quæstorem; abavum vero M. Sergium Silum anno U. C. 556 prætorem, militari fortitudine in bello Punico secundo clarissimum; eumdem Pighius ad anno 556 Catilinæ proavum fuisse existimat. Patrem Catilinæ pauperem fuisse testatur Q. Cicero de petit. cons. quum Catilinam in patris egestate natum dicit. In bello civili Sullæ partes sequutus, multos a Sulla proscriptos crudeliter occidit, in primis Q. Cæcilium, Sergiæ sororis virum, et M. Marium Gratidianum (Ascon. l. l. Valer. Max. IX, 2). Quæstor fuit anno U. 676; post quæsturam legatus C. Scribonii Curionis Macedoniam pro prætore regentis anno 678. Præturam deinde gessit urbanam anno 686; ex prætura autem Africam provinciam obtinuit anno 687; eamque injuriis et rapinis acerbe vexavit. Quum provincia decessisset, accusatus est repetundarnm a P. Clodio adolescente anno 688, Torquato et Cotta coss. Reo Torquatus consul affuit advocatus (Cic. pro Sull. 29). Cicero ipse aliquando eum defendere cogitabat (ad Attic. I, 2); defendisse Fenestella tradidit, teste Asconio loc. laud. qui tamen id factum esse recte negavit. Clodius autem pecuniam a Catilina accepit, ut turpissime prævaricaretur (de Harusp. resp. c. 20). Itaque in manifesto scelere tamen ab-

solutus est. Jam anno superiore Catilina contra rempublicam conjuraverat; de qua conjuratione sic narrat Sallustius, cap. 18 : « Erat eodem tempore Cn. Piso adolescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Antonius circiter nonas decembres consilio communicato, parabant in Capitolio kalendis januariis, L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi, fascibus correptis Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita rursus in nonas februarias consilium cædis transtulerunt. Jam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur; quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit ». Anno U. C. 689, L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo coss. Catilina consulatum petivit, una cum M. Tullio Cicerone, P. Sulpicio Galba, C. Antonio, L. Cassio Longino, Q. Cornificio, C. Licinio Sacerdote. Cicero adversus Catilinam et Antonium competitores orationem habuit in toga candida, cujus fragmenta tantum exstant. Catilina, quo facilius consulatum obtineret, iterum opprimundæ reipublicæ consilium cepit. « Igitur, ut narrat Sallust. cap. 17, circiter kalendas junias L. Cæsare et C. Figulo coss. primo singulos appellare; hortari alios, alios tentare, opes suas, imparatam rempublicam, magna præmia conjurationis docere. Ubi satis explorata sunt, quæ voluit, in unum omnes convocat, quibus maxima necessitudo, et plurimum audaciæ inerat. Eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Antonius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Serv. Sullæ, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Læca, L. Bestia, Q. Curius, præterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius, ad hoc multi ex coloniis, et municipiis, domi nobiles. Erant præterea complures paullo occultius consilii hujusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia, aut alia necessitudo. Cæterum juventus pleraque, sed maxime nobilium Catilinæ inceptis favebat. Quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere, copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem malebant.... Istis igitur in abditam ædium sedem

convocatis polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletum, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quæ bellum atque lubido victorum fert. Præterea esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consilii sui participes; petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum; cum eo se consulem initium agendi facturum. Ad hoc maledictis increpat omnes bonos, suorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, cupiditatis suæ, complures periculi aut ignominiæ, multos victoriæ Sullanæ, quibus ea prædæ fuerat. Postquam omnium animos alacres videt, exhortatus, ut petitionem suam curæ haberent, conventum dimisit.... Sed in ea conventione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas quam audacia inerat; neque reticere quæ audierat, neque suamet ipse scelera occultare; prorsus neque dicere neque facere quidquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui quum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montesque polliceri cœpit; minari interdum ferro nisi obnoxia foret, postremo ferocius agitare, quam solitus erat. At Fulvia insolentiæ Curii causa cognita, tale periculum reipublicæ haud occultum habuit, sed sublato auctore de Catilinæ conjuratione, quæ quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni.... Igitur comitiis habitis, consules declarantur M. Tullius et C. Antonius ». Hactenus Sallustius. Post repulsam Catilina, quum C. Julius Cæsar quæstionem inter sicarios exerceret, reus factus est a L. Paullo, quod multos a Sulla proscriptos occidisset, iterum tamen absolutus est. Anno U. 690 Catilina qui interea multa moliri et parare non destiterat, quæ ad consilia in rempublicam perficienda spectarent, consulatum in annum proximum petere ausus est; « sperans (Sallust. c. 26), si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut astutiæ deerant. Namque a principio consulatus sui, multa polli-

cendo, per Fulviam effecerat, ut Q. Curius consilia Catilinæ sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciæ [Macedonia ei sine sorte concessa] perpulerat, ne contra rempublicam sentiret. Circum se præsidia amicorum atque clientium occulte habebat ». Comitia consularia quum indicta essent in ante diem XII kal. nov. (21 oct.), Cicero pridie de conjuratione Catilinæ ad senatum retulit, perfecitque ut comitia in d. V kal. nov. (28 oct.) differrentur. Postridie frequenti senatu Cicero Catilinam excitavit, atque eum de rebus, quæ ad se allatæ essent, dicere jussit. Ille non se purgavit, sed indicavit atque induit (Cic. pro Murena, c. 25). Senatus vero decrevit: « darent operam consules ne quid respublica detrimenti caperet ». Quo decreto more romano (Sallust. c. 29) magistratui maxima potestas permittebatur; exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, domi militiæque imperium atque judicium summum habere. Venit comitiorum dies V kal. nov. Cicero quum conjuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina comperisset, descendit in campum lorica tectus et præsidio fortissimorum virorum munitus. Consules designantur D. Junius Silanus et L. Licinius Murena. Catilina quum ei nec petitio consulatus, neque insidiæ consuli factæ prospere cessissent, constituit bellum facere et extrema omnia experiri. Igitur C. Mallium Fesulas atque in eam partem Etruriæ, Septimum quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Julium in Apuliam dimisit. Ipse conjurationis principes intempesta nocte convocavit in domum M. Porcii Læcæ (quæ fuit in vico *inter falcarios* dicto) a. d. VIII id. nov. Ubi quum inter alia dixisset se Mallium præmisisse, et ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset, C. Cornelius eques et L. Vargunteius senator constituerunt mane VII id. nov. cum armatis hominibus sicut salutatum introire ad Ciceronem, ac de improviso domi suæ imparatum confodere. Curius per Fulviam statim Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat. Is igitur domum suam majoribus præsidiis munivit, illos, qui eum interfecturi venissent, janua exclusit. Tum Cicero VI id. nov. senatum in ædem Jovis Statoris, quæ erat in via Sacra, qua ad Palatium ascenditur, convocavit. Venit eodem Catilina; simulatque assedit, omnes consulares partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt. Tunc consul Cicero indigna-

tionis vi abreptus, in hanc erupit orationem, quæ non magis summum oratorem quam fortissimum ac patriæ amantissimum virum decet.

In ejus exordio, quod dolore et ira expressum omnes novere, statim Catilinæ exprobrat audaciam, qua usus, quamvis consilia sua patefacta esse intelligat, tamen in senatum venire non dubitet, cap. 1. Tum ostendit ex decreto senatus jam ante xx dies facto Catilinam interfici potuisse, ut consules, qui eum vivere adhuc passi sint, inertiæ culpam contraxisse videantur. Sed quod jam pridem factum esse oportuerit, id hanc ob causam se nondum adduci ut faciat, quod utilius sit urbem periculis ab eo intentatis ejus discessu potius quam supplicio liberari, 2. Itaque urbe excedere Catilinam jubet; nihil enim esse quod exspectet, omnibus ejus consiliis illustratis et patefactis, 3-5. Nihil eum in hac urbe delectare posse, in qua nemo sit extra conjurationem perditorum hominum, qui eum non metuat, nemo qui non oderit, 6, 7. Accedere, quod se ipse voluerit vitandæ suspicionis causa in custodiam tradere M'. Lepido, Ciceroni consuli, Q. Metello prætori, ut non longe videatur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse jam dignum custodia judicaverit, 8; neque vero, etiam si de ejus exsilio ad senatum non referat, obscuram esse senatus voluntatem, ibid. Ac si legum pœnas non pertimescat, si temporibus reipublicæ cedere nolit, magnam sibi ut inimico posse invidiam conflare, si recta pergat in exsilium; contra vero si consulis inimici laudi et gloriæ servire malit, se eum invitare ut eum sceleratorum manu se ad Mallium conferat, bellumque apertum patriæ inferat; nihil tamen hac invitatione opus esse, quum prævideat id Catilinam dudum meditatum, et mox eo iturum esse, quo eum jam pridem effrenata cupiditas rapiat, 9, 10. Quod autem Catilinam urbe potius exire quam interfici jubeat, id hac ratione defendit, quod hoc uno interfecto reipublicæ pestis paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi possit; quod si se ejecerit, secumque suos eduxerit, brevi futurum ut non modo hæc tam adulta reipublicæ pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium exstinguatur, 11, 12. In peroratione senatum confirmat, Catilinam malis omnibus prosequitur, et Jovem Statorem precibus invocat ad urbem impe-

riumque romanum defendendum, istumque et socios justis suppliciis vivos mortuosque mactandos, 13.

Hac oratione habita, Catilina (Sallust. c. 31) ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso vultu, voce supplici postulare, patres conscripti ne quid de se temere crederent; ea familia ortum ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne æstumarent sibi, patricio homini, cujus ipsius atque majorum plurima beneficia in plebem romanam essent, perdita republica opus esse, quum eam juvaret M. Tullius inquilinus civis urbis Romæ. Ad hoc maledicta alia quum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus, quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina restinguam. Dein se ex curia domum proripuit, et nocte intempesta cum paucis in Malliana castra profectus est.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN L. CATILINAM
ORATIO PRIMA,
HABITA IN SENATU.

ORATIO NONADECIMA.

I. Quousque tandem [1] abutere, Catilina, patientia nostra [2]? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet [3]? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? Nihilne [4] te nocturnum præsidium Palatii [5], nihil urbis

I. 1. *Quousque tandem.* De magnificentissimo hoc erumpentis animi exordio plures dixere quam ut quidquam sit adjiciendum. Cicero quum sceleris magnitudo ulterius progredi non possit, tandem in Catilinam invehitur, cujus nefaria consilia diu perspexerat et toleraverat. Non putarat autem consul, Catilinam eo die in senatu adfuturum, et quum eum præter spem adesse vidisset, subita indignatione commotus et dolore ardens, in hæc verba prorupit.

2. *Patientia nostra.* Et senatus et consulum, quibus præsens insultat.

3. *Eludet.* Quasi per ludum contemnet. Adnotandum illud, quod de furore, quasi de animata re, loquutus est; qua ex re miram sublimitatem oriri admonet Fabius, IX, 2.

4. *Nihilne.* Sequentia congerit orator, quibus, quum maxime commovendus fuit Catilina, nihil tamen eum commotum esse miratur; et inde nova ejus effrenatæ audaciæ documenta hausit.

5. *Præsidium Palatii.* Periculosis temporibus præsidium Palatino monti imponi solebat, quod qui collem hunc foro vicinum occupasset, urbem facile in potestate habiturus videbatur. — *Urbis vigiliæ.* Decreverat senatus ut per totam urbem vigiliæ haberentur, iisque minores magistratus præessent.

vigiliæ, nihil timor populi[6], nihil concursus[7] bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus[8], nihil horum ora vultusque moverunt[9]? Patere tua consilia non sentis? constrictam jam omnium horum[10] conscientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima[11], quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora! o mores! senatus hæc intelligit, consul[12] videt: hic tamen vivit. Vivit? imo vero[13] etiam in senatum venit; fit publici consilii particeps[14]; notat[15], et designat oculis ad cædem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes, satisfacere reipublicæ videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te[16], Catilina, duci, jussu consulis[17], jampridem oportebat;

6. *Timor populi.* Nam et tumultum senatus decreverat, et tota Italia delectus fiebant; unde populos gravia mala suspicabatur et timebat. Sall. cap. 31.

7. Edd. aliquot vett. *consensus*; et sic Quintilian. IX, 3, 30. J. V. L.

8. *Habendi senatus locus.* Templum Jovis Statoris, quod in Capitolio, munitissimo loco, erat.

9. Cod. Duisb. *movent.* J. V. L.

10. Schütz. post Grævium, « horum omnium ». J. V. L.

11. *Quid proxima.* Proxima ea nox est, quæ fuit ante senatus habendi diem; superior nox quæ proximam antecessit. Porro superiore illa nocte apud M. Læcam de Ciceronis nece consilium habuit Catilina (infr. c. 4), et noctem hanc fuisse inter diem VI et VII id. nov. pro Sulla cap. 18 dicitur; unde senatum habitum VIII id. nov. conjicitur; quod dies VII monendis senatoribus potuit insumi.

12. *Consul videt.* Versum esse iambicum: « Senatus hæc intelligit, consul videt » multis monuit Muretus. De quibus fortuitis versibus vide quid diximus ad Divin. in Cæcil. 1.

13. Abest *vero* ab aliquot MSS. Delevit Grævius. J. V. L.

14. *Consilii particeps.* Quid autem vel indignius, vel exitiosius, cum iis de servanda rep. consilia communicari qui de ea opprimenda cogitant?

15. *Notat.* Non secus atque ii qui designare oculis solent e toto grege pecudes morti destinatas. Quomodo sententiam hanc transtulerit *Voltaire*, cf. *Rome sauvée*, IV, 4.—*Viri fortes.* Ironice: non enim in cautione ac timiditate posita est umquam fortitudo.

16. *Ad mortem te.* Postquam amare in senatus patientiam invectus est, jam gravi ac solemni oratione Catilinam aggreditur.

17. *Jussu consulis.* Cui hoc juris SCtum permisit.

in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Tib. Gracchum, mediocriter[18] labefactantem statum reipublicæ, privatus interfecit; Catilinam vero, orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod C. Servilius[19] Ahala Sp. Melium, novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus[20] senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave; non deest reipublicæ consilium, neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

II. Decrevit quondam[1] senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet: nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre[2], avo, majoribus; occisus est cum liberis M. Fulvius[3], consularis. Simili senatusconsulto, C. Mario et L. Valerio, consulibus, permissa est respublica: num

18. *Mediocriter.* Ex consilio Gracchi seditionem elevat, quo atrociora Catilinæ consilia multo magis punienda ostendat. De Gracchis vide Sall. in Jug. 42; Vell. Paterc. II, 16; Flor. III, 14 et 15. — *Privatus.* Quod pontificatus non inter magistratus numeratur.

19. Olim *Q. Servilius.* De tota historia hac cf. Liv. IV, 14.

20. Alii, « habemus enim ». Sed abest *enim* a pl. codd. Heumann. et et Morgenstern. conj. *enimvero.* J.V.L.

II. 1. *Quondam.* Undecim annis post Tib. Gracchum occisum, an. U. C. 633, aliud exemplum est, de quo plura dabunt supra recitati auctores.

2. *Clarissimo patre.* Tib. Sempronio Graccho, qui bis consul fuit, et de Celtiberis triumphavit. — *Avo.* P. Scipione Africano minore, cujus ex filia nepos fuit. Vell. Pat. II, 2.

3. *M. Fulvius.* Quod is a C. Graccho triumvir in locum Tiberii fratris nominatus erat, de sententia senatus cum duobus filiis interficitur, domus evertitur et publicatur; et in area porticus Catuli exstruitur.

unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis, et C. Servilium[4] prætorem, mors ac reipublicæ pœna remorata est[5]? At nos vicesimum jam diem[6] patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum: quo ex senatusconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit[7]. Vivis; et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti[8], me esse clementem[9]; cupio in tantis reipublicæ periculis me non dissolutum videri: sed jam me ipse inertiæ nequitiæque condemno. Castra sunt

4. *C. Servilium.* Glauciam, qui quum nefaria consilia de mutanda rep. cum Saturnino communicaret, quamvis prætor est interfectus. Vid. super. orat. pro Rab. passim.

5. *Remorata est.* Morari et diutina in urbe vivere passa est. Num unus effluxit dies, dum tribunum pl. Saturninum et Servilium prætorem mors et pœna quam reip. debebant, attingeret? Locum hunc facillimum, quasi depravata latinitate, misere vexarunt interpretes. Ernestio scribendum videbatur « L. Saturnini tribuni pl. et C. Servilii prætoris », ad hoc recentiores critici responderunt, sed ita ut, dum vulgatam lectionem defendunt, aliquid et ipsi mutent, et pro « reip. » legant « prætorem populi rom. », quod primus suaserat Muretus. Multo audacior Heumannus legit: « Num unum diem potentia L. Saturnini, trib. pl. et C. Servilii prætoris, mortem eorum ac pœnam remorata est? » Risum teneatis?

6. *Vicesimum jam diem.* Rotundatum a Cicerone numerum, esse enim tantum duodevicesimum diem post factum SCtum, notat Asconius. Sallustius vero narrat in Catil. 30, tum factum istud SCtum, quum retulit Cicero ad senatum de inceptis Catilinæ et Mallii. Constat autem ex cap. 3 infra ea de re Tullium retulisse XII kal. nov. eoque proinde die factum SCtum. Hanc autem orationem habitam fuisse VI id. nov. supra cap. 1, not. 11, conjecimus. Unde vere viginti elapsos dies probatur.

7. *Convenit.* Oportuit. Phrasin hanc non esse latinam suspiçabatur Muretus. Sed simillimum locum vide pro Quintio, cap. 15.

8. *Patres conscripti.* Nunc demum ad senatores orationem convertit, ideoque multo leniore ac remissiore genere dicendi.

9. *Clementem.* Hæc sunt ad deprecandam amoliendamque a se opinionem crudelitatis, ad quam superior oratio vergere videbatur. Cupio, inquit, eam moderationem tenere, ut neque crudelitatis famam habeam, neque rursus in tam atroci reip. periculo mollis videar. Sed dum diem ex die duco, neque me satis severe pro rei magnitudine gero, fit ut mea mihi non jam clementia, verum inertia ac socordia esse videatur.

in Italia contra rempublicam in Etruriæ[10] faucibus collocata; crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem imperatorem castrorum, ducemque hostium, intra mœnia, atque adeo in senatu videmus, intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicæ molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, si interfici jussero; credo, erit verendum mihi[11], ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod jampridem factum esse oportuit, certa de causa[12], nondum adducor, ut faciam: tum denique interficiam te, quum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives; et vives ita, ut nunc vivis, multis meis et firmis præsidiis obsessus, ne commovere te contra rempublicam possis: multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III. Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare cœtus[1] nefarios, nec privata domus[2] parietibus continere vocem[3] conjurationis tuæ potest? si illustrantur[4], si

10. *In Etruriæ faucibus*. Fæsulis, ubi castra erant Malliana.

11. *Erit verendum mihi*. Ironiæ nota est. Si te jam interfecero, non est, cur verear ne quisquam me ob eam rem crudelitatis accuset; sed tantum dicat me non satis cito fecisse. Nondum tamen faciam; sed exspectabo, dum scelus tuum ita omnibus cognitum patefactumque sit, ut ne tui quidem similium, qui te defendere audeat, quisquam reperiatur.

12. *Certa de causa*. Eam causam copiose explicat in sequentibus orationibus. Loco « interficiam te », Græv. e MSS « interficiere ».

III. 1. Habent quidam codd. Grævii *cœptus*. J. V. L.

2. *Nec privata domus*. Eleganter pro vulgari: nec consilia tua cum conjuratis intra privatæ domus parietes capta, reticeri possunt.

3. Græv. e MSS *voces*. Vulgat. servant Ernest. Lallem. al. J. V. L.

4. *Illustrantur*. Aperiuntur, e tenebris in lucem producuntur. Hoc ad

erumpunt omnia? Muta jam istam mentem, mihi crede; obliviscere cædis, atque incendiorum: teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia: quæ etiam mecum licet recognoscas. Meministine, me ante diem XII kalendas novembr.[5] dicere in senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI kal. novembris, C. Mallium[6], audaciæ satellitem atque administrum tuæ? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu, cædem te optimatum contulisse in ante diem V kalendas novembris, tum quum multi principes[7] civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum[8] causa profugerunt. Num infitiari potes, te illo ipso die meis præsidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse, quum tu, discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, cæde contentum, te esse dicebas? Quid? quum tu te Præneste[9] kalendis ipsis novembris occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine, illam coloniam meo jussu præsi-

noctis tenebras: *erumpunt*, ad privatæ domus parietes retulit. Cf. Orat. III, 1, 3.

5. *Ante diem* XII *kal. nov.* Idem est ac si diceret: duodecimo ante kal. nov. seu die 21 octobr. pridie quam designati sunt consules Silanus et Murena.

6. Sic ediderunt e codd. Olivet. Lallem. al. Omnes olim, « C. Manlium ». J. V. L.

7. *Multi principes.* Ex his fuisse suspicatur Muretus M. Crassum, M. Marcellum, Scipionem Metellum, quos missis literis Catilina monuerat, ut ex urbe discederent; magnam enim cædem propediem esse futuram.

8. *Consiliorum reprimendorum.* Non tam ut non tibi cædis optimatum exsequendæ facultas daretur, quam ut tua nefaria consilia aliis rationibus everterent: non tam propter suam quam reip. salutem.

9. *Præneste.* Quod oppidum Latii non procul Roma, oppugnare studuit Catilina, ut inde urbi immineret. Silent hac de re auctores, fatente Mureto.

diis [10], custodiis, vigiliisque esse munitam? Nihil agis [11], nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam, planeque sentiam.

IV. Recognosce tandem mecum noctem illam [1] superiorem [2]: jam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipublicæ. Dico te priori nocte venisse inter falcarios [3] (non agam obscure) in M. Læcæ [4] domum; convenisse eodem complures ejusdem amentiæ scelerisque socios. Num negare audes? Quid taces? convincam, si negas: video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuere. O dii immortales! ubinam gentium sumus? in qua urbe vivimus [5]? quam rempublicam habemus? Hic, hic sunt [6], in nostro numero, patres conscripti, in hoc orbis terræ sanctissimo gravissimoque consilio, qui de meo, nostrumque omnium interitu, qui de hujus urbis, atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de republica sententiam rogo; et, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Læcam illa nocte, Catilina; distribuisti [7] partes Italiæ; statuisti,

10. Nonnulli addunt *meis*. Ernest. delevit, Otto defendit.

11. *Nihil agis*. Quasi per gradus ad id, quod summum est, progreditur oratio.

IV. 1. Alii, « illam sup. noctem ».

2. *Superiorem*. Quæ novissimæ fuit proxima : hanc paullo infra *priorem* appellat.

3. *Inter falcarios*. In vicum eum, in quo habitant falcarii. Porro vicus erat urbis decimus, ubi erant falcarii, s. ii fabri, qui falces conficiebant ac vendebant. Sic ap. T. Liv. XXXV, 42, « inter lignarios », h. e. in lignariorum vico. Observandus interim ordo Ciceronis, qui rem, ut est, proponit; deinde ex Catilinæ silentio, confirmat; tum demum ad amplificationem progreditur.

4. Ita Græv. e veter. codd. et Lallem. e MSS Parisiens. Imitati sunt multi. Ernest. tamen, « M. Leccæ ».

5. Al. « quam remp. habemus? in qua urbe vivimus? » J. V. L.

6. *Hic sunt*. Senatores notat conjurationis socios, quos Sallustius nominat cap. 17.

7. *Distribuisti*. Uberius hæc omnia enarrantur a Sallustio B. C. c. 27, 28.

quo quemque proficisci placeret; delegisti, quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres; descripsisti urbis partes ad incendia[8]; confirmasti, te ipsum jam esse exiturum; dixisti paullulum tibi esse etiam tum moræ, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites romani[9], qui te ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me[10] meo in lectulo interfecturos pollicerentur. Hæc ego omnia, vixdum etiam cœtu vestro dimisso, comperi[11]; domum meam majoribus præsidiis munivi atque firmavi; exclusi eos[12], quos tu mane ad me salutatum miseras, quum illi ipsi venissent: quos ego jam multis ac summis viris ad me id temporis[13] venturos esse prædixeram.

V. Quæ quum ita sint, Catilina, perge quo cœpisti, egredere aliquando ex urbe; patent portæ; proficiscere: nimium diu te imperatorem illa tua Malliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos; si minus, quam plurimos: purga urbem. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari jam diutius non potes: non feram[1], non patiar, non sinam. Magna diis immortalibus[2] habenda est grâtia, atque huic

8. *Ad incendia.* Plutarchus in Cic. 18, Urbem ait a Catilina in centum partes divisam, quibus tot viri præessent, qui simul ignem subjicerent. Sallustius autem, cap. 43, Urbem dixit in duodecim partes ad hæc incendia fuisse descriptam. Conf. etiam Catilin. II, 3; III, 6.

9. *Duo equites romani.* Sallustius unum equitem L. Cornelium, alterum senatorem L. Vargunteium fuisse dicit. Plutarchus Marcium et Cethegum appellat, sed manifesto errore; quum de L. Cornelio omnis tollatur dubitatio ex ipso Cicerone pro Sulla, c. 18.

10. Al. *me in meo lectulo.* J. V. L.

11. *Comperi.* Per Fulviam, ad quam rem omnem Curius detulerat.

12. *Exclusi eos.* Qui non admissi, ita clamarunt pro foribus, ut rem proderent. Plutarch.

13. Al. «venturos id temporis esse». J. V. L.

V. 1. *Non feram.* Ut homo te præsentem *ferre* non possum, nec tantum *pati* supplicium; ut magistratus, non te *sinam* his in muris diutius morari.

2. *Diis immortalibus.* Hoc et ad pietatis significationem et ad quamdam orationis dignitatem injicit.

ipsi Jovi Statori[3], antiquissimo custodi hujus urbis, quod hanc tam tetram, tam horribilem, tamque infestam reipublicæ pestem toties jam effugimus[4]. Non est sæpius in uno homine[5] salus summa periclitanda reipublicæ. Quamdiu mihi, consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me præsidio, sed privata diligentia defendi: quum proximis[6] comitiis consularibus me consulem in campo[7], et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus amicorum præsidio[8] et copiis, nullo tumultu publice concitato: denique, quotiescumque me petisti, per me tibi obstiti; quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicæ esse conjunctam. Nunc jam aperte rempublicam universam petis; templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam, ad exitium et vastitatem vocas.

Quare, quoniam id, quod primum[9] atque hujus

3. *Jovi Statori.* Cujus in templo senatus habebatur. Hoc autem nomen ei inditum declarat Livius, I, 12, quod orante Romulo rege, Romanos fugientes stitisset. Seneca autem, de Benef. IV, 7, sic appellatum putat, quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est.

4. *Effugimus.* Non ad Ciceronem solum, ut putavit Manutius; verum ad remp. omnem illud refertur.

5. *In uno homine.* Hoc ad Ciceronem plerique retulere interpretes, sed falso. Sensus est: Satis diu Catilina rempublicam fere pessumdedit; non oportet ut nunc etiam ejus salutem convellat; non decet ab eodem homine remp. in summum discrimen adduci. Hoc est quod infra dicit: « Nunc jam aperte remp. universam petis ».

6. *Proximis comitiis.* Habitis a Cicerone, in quibus designati sunt Silanus et Murena. Conf. pro Muren. 24, 25 et 26.

7. *In campo.* Martio, comitiis magistratuum creandis sacrato.

8. *Amicorum præsidio.* Multitudine eorum civium, qui mihi favebant, meque defendere studebant. Venit enim Cicero, ut a Plutarcho et Dione narratur, stipatus amicorum præsidiis et lorica tectus, ut periculi magnitudinem declararet.

9. *Quod primum.* Duobus remediis resp. metu liberari poterat, vel si interficeretur Catilina, vel si ex Urbe ejiceretur. Interficere eum erat imperii, i. e. potestatis consularis et disciplinæ majorum; ejicere autem eum, prudentiæ.

imperii disciplinæque majorum proprium est, facere nondum audeo: faciam id, quod est ad severitatem lenius, et[10] ad communem salutem utilius. Nam, si te interfici jussero, residebit in republica reliqua conjuratorum manus; sin tu (quod te jamdudum hortor) exieris, exhaurietur[11] ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipublicæ. Quid est, Catilina? num dubitas id, me imperante, facere, quod jam tua sponte faciebas[12]? Exire ex urbe consul hostem jubet: interrogas me, num in exsilium? non jubeo[13]; sed si me consulis, suadeo.

VI. Quid enim[1], Catilina, est, quod te jam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui non oderit. Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ[2]? quæ libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem

10. Abest *et*. J. V. L.

11. *Exhaurietur.* Mire idem servatur metaphoræ tenor. *Residere* enim proprie de fecibus dicitur in fundo vasis remanentibus, et optime cum *sentina* quadrat; cui *exhauriendi* verbum maxime etiam convenit.

12. *Faciebas.* Facere volebas.

13. *Non jubeo.* Non enim id juris ipsi consuli erat.

VI. 1. *Quid enim.* Quasi, deposita consulis persona, suasoris partes suscipit, ut, quod postea dicet, videatur non odio, sed misericordia Catilinæ commoveri. Suadet igitur ut ex Urbe exeat, quod vita ei suavis esse non possit, ubi oderit omnes, odio sit omnibus, ubi nefaria ipsius consilia ab omnibus jam deprehendantur. At hæc simulata suasio longe amarissimam Catilinæ insectationem continet.

2. *Infamiæ.* Nempe tuæ. Quo flagitiorum genere turpem tuam vitam non polluisti ac contaminasti? *Infamia* enim, ut animadvertit Olivet. nihil aliud est in homine malo quam ejus pessima fama. Satis commodum sensum habet; quod negat Ernestius, qui pro *infamiæ* suadet legere vel *famæ*, vel *famæ tuæ*. Lamb. conj. *in fama.* Heumann. nodum secat, et glossema ex antecedentibus putat.

prætulisti[3]? Quid vero? nuper, quum morte superioris uxoris novis nuptiis[4] domum vacuefecisses[5], nonne etiam alio incredibili scelere[6] hoc scelus cumulasti? quod ego prætermitto, et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse, aut non vindicata esse videatur. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus[7] senties : ad illa venio, quæ non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum[8], non ad domesticam tuam difficultatem[9] ac turpitudinem, sed ad summam reipublicæ, atque ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent.

Potestne tibi hujus vitæ lux[10], Catilina, aut hujus cæli spiritus esse jucundus, quum scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie kalendas jan. Lepido et Tullo consulibus[11], stetisse in comitio cum telo?

3. *Facem prætulisti.* Toto hoc loco nihil accusatorium contineri omnino demonstrat Sallustius, cap. 14 et 16. Quodam etiam modo ab historiarum scriptore superatum oratorem dixeris ; aut certe ab eo optimum hauseris commentarium.

4. *Novis nuptiis.* Suspiciose significat hanc ob causam ab eo necatam uxorem : de facinore hoc conf. Sallustium, 15.

5. Al. *vacuam fec.* J. V. L.

6. *Incredibili scelere.* Vel quod privignum occiderit, ut est apud Sallustium loc. supr. laud. vel quod filiam suam ex adulterio susceptam, in matrimonium duxerit, quod ei objicit Cicero in oratione quam habuit *in toga candida*, cujus fragmenta Asconius servavit : ubi Cicero ita : « Ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti ».

7. *Proximis idibus.* Quo die usuram creditæ pecuniæ fœneratori solvere necesse erat : cujus moris exemplum est apud Horatium in Epod. 2. Solebant etiam kalendis pecuniæ fenori datæ exigi (Horat. Sat. 1, 3, 87) : sed in Idus dilatio concedi solebat.

8. Abest *tuorum.* J. V. L.

9. *Difficultatem.* Æs alienum ac domesticam penuriam.

10. Al. *hæc lux.* J. V. L.

11. *Lepido et Tullo coss.* Nempe tunc temporis Catilina quum repetundarum a P. Clodio Pulchro reus factus, consulatum petere prohibitus esset, cum Autronio et Sulla, qui et ipsi consules designati pœnas dederant ac consulatu fuerant dejecti, consilium iniit interficiendi ad kal. jan. novos consules. Id consilii initum est circa nonas decembris. Verum pridie kalendis jan. quum M. Crassus, qui et ipse conjuraverat, mutato, ut creditur, consilio, non adfuisset, res ulterius progressa

manum, consulum et principum civitatis interficiendorum causa, paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam[12], aut timorem tuum, sed fortunam reipublicæ obstitisse? Ac jam illa omitto: neque enim sunt aut obscura, aut non multa post[13] commissa. Quoties tu me designatum, quoties consulem[14] interficere conatus es? quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari[15] non posse viderentur, parva quadam declinatione, et, ut aiunt[16], corpore effugi? nihil agis, nihil assequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore[17]: neque tamen conari ac velle desistis. Quoties jam tibi extorta est sica ista de manibus? quoties vero excidit casu aliquo, et elapsa est? tamen[18] ea carere diutius non potes: quæ quidem quibus abs te initiata sacris[19] ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas consulis in corpore defigere.

VII. Nunc vero, quæ tua est ista vita? sic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quæ tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum: quis te ex

non est, sed in non. februar. dilata. Tum quoque nimia festinatione Catilina signum dedit, prinsquam omnes armati convenissent, ita ut turbatum omnino fuerit consilium. Conf. Sall. 18; Suet. in Jul. 9.

12. *Mentem aliquam.* Non quia consilium mutaveris.

13. *Non multa post.* Omitto illa, quæ commisisti facinora, quia omnibus sunt nota, et permulta alia referre possum. Vulgo legitur «multo postea».

14. Al. *me consulem.* J. V. L.

15. Alii, «vitari posse non viderentur». J. V. L.

16. *Ut aiunt.* Qui de duobus pugnantibus loquuntur, quum alter corporis declinatione ictum effugit.

17. *In tempore.* Quod occultum mihi manere possit in eo temporis puncto, quo id scire multum interest. Minus usitatam hanc elocutionem «latere mihi» defendit Grævius, et omnes jam approbant.

18. Schützius ea verba, *tamen... potes*, auctore Heumanno, ut ineptum emblema, delevit. J. V. L. — Sed ad sequentia optime valent; et mire Catilinam describunt, qui quodam veluti fato ad eam tractandam sicam impellatur.

19. *Initiata sacris.* Ad atrox illud alludit sacrum, cujus meminit Sallustius, cap. 22.

hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam [1], quum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? Quid, quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta [2] sunt? quod omnes consulares, qui tibi persæpe ad cædem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercle [3] mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam [4] relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? Et, si me meis civibus injuria [5] suspectum tam graviter atque offensum viderem; carere me adspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem: tu, quum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium justum, et jam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes sensusque [6] vulneras, eorum adspectum præsentiamque vitare? Si te parentes [7] timerent atque

VII. 1. *Exspectas contumeliam.* Nunc hanc exspectas contumeliam, ut publice et clara voce hostis patriæ appelleris, quum hoc ipso silentio, quo in senatu es exceptus, tamquam gravissimo judicio scelerum tuorum, convictus et condemnatus sis.

2. Al. « vacua facta sunt ». J. V. L.

3. *Servi mehercule.* Magnum atque excellens hujus loci est artificium. Confert enim se cum Catilina, ita ut se quidem ingenuæ humanitatis, Catilinam vero superbæ cujusdam et non tolerandæ crudelitatis plenum ostendat; deinde quod servos cum civibus comparat, profiteturque pluris a se servos fieri, quam a Catilina cives, mirifice ad struendum odium valet. Necesse est enim ut exardescat auditor, et in eum indignatione incitatus feratur, a quo se minoris fieri audit, quam ab illo servos.

4. *Domum meam.* Cujus ipse dominus sum, in quam non modo servis, sed nulli omnino homini, extra me unum, quidquam juris est, hanc ego servorum causa relinquerem; tu Urbem, quæ invita te patitur, relinquendam non putabis!

5. *Injuria.* Si, vel nullo merito meo, odio me esse civibus viderem.

6. *Sensus.* Oculos quos tuo adspectu, aures quas sermonibus tuis contaminas.

7. *Si te parentes.* Crescit gradatim orator, et jam parentum ac patriæ rationes opponit.

odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses; ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et jamdiu de te nihil[8] judicat, nisi de parricidio suo cogitare. Hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium[9] sequere, neque vim pertimesces? Quæ tecum, Catilina, sic agit, et quodam modo tacita loquitur[10]: « Nullum aliquot jam annis facinus exstitit, nisi per te; nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces[11], tibi vexatio direptioque sociorum[12] impunita fuit ac libera; tu non solum ad negligendas leges[13] ac quæstiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totam esse in metu propter te unum; quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium

8. *Nihil judicat.* Nihil aliud te cogitare putat, quam ut eam exitio pessumdes.

9. *Judicium.* Sententiam, qua te in exsilium ire jubet patria.

10. *Tacita loquitur.* Longe pulcherrimum exemplum hoc prosopopœias, qua variatur et excitatur oratio, laudat Quintilianus, IX, 2.

11. *Multorum civium neces.* Quos Sullano tumultu interfecerat, ut testatur Asconius orationem in toga candida exponens. M. etiam Marii Gratidiani, summe popularis hominis, et bis prætoris, caput abscissum per Urbem sua manu tulerat.

12. *Direptio sociorum.* Africam dicit, quam Catilina ex prætura sortitus, ita vexarat, ut domum regressus repetundarum reus fieret. Sallust. 18. — *Impunita ac libera.* Quia artibus obtinuit, ut absolveretur in judicio repetundarum.

13. *Negligendas leges.* Negligit leges, qui earum metu a peccando non continetur; easdem perfringit, qui quum in judicium adductus, manifesto teneatur, aliqua tamen via elabitur. Catilina autem primum accusatus fuerat repetundarum Lepido et Tullo coss. atque absolutus per prævaricationem accusatoris P. Clodii; deinde etiam cædis, coss. Cæsare et Figulo. Implicitus etiam incesti fuerat judicio cum Fabia virgine vestali, Terentiæ Ciceronis sorore. Eum tamen bis tantum absolutum dicit Cicero in Pison. 39, ad Att. I, 16, qui hanc novissimam absolutionem numerare noluit, quod aliter facere ipsi non integrum erat, ne domesticam labem sibi ipse et uxori adspergeret.

iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat; non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si est verus[14], ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.»

VIII. Hæc si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat[1], etiam si vim adhibere non possit? Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti[2]? quid? quod, vitandæ suspicionis causa, apud M'.[3] Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es; atque, ut domi meæ te asservarem, rogasti. Quum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem mœnibus contineremur; ad Q. Metellum prætorem venisti: a quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum optimum[4], M. Marcellum[5] demigrasti; quem

14. *Verus.* Justus et æquus. Olim, *si verus.* J. V. L.

VIII. 1. *Impetrare debeat.* Ut discedas, et tandem aliquando bonos cives liberes metu.

2. *Dedisti.* In liberam custodiam te dare, hoc est, magistratui alicui te custodiendum tradere voluisti. Catilina quum atrocissimæ conjurationis a Cicerone insimularetur, in judicium a L. Paullo vocaretur, ita dissimulanter egit, ut se ultro legibus offerre et magistratuum alicui tradere velle diceret.

3. *M'. Lepidum.* Vulgo *M. Lepidum.* Correxerunt Morgenstern. Beck. Lepido enim illi, consuli cum Vulcatio Tullo, prænomen fuit Manio, non Marco, quod jam Manutius ad h. l. monuerat.

4. *Virum optimum.* Hoc ironice dici monuit Quintilianus, IX, 2: « ut illud in Catilinam, a quo repudiatus ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti; in duobus verbis est ironia ».

5. *M. Marcellum.* Constat non esse eumdem, quem paullo post *virum fortissimum* vocat, id est, eum pro quo exstat oratio ad Cæsarem. Apparet hunc M. Marcellum illius C. Marcelli, de quo in Sextiana mentio est, patrem fuisse. De eo Paulus Orosius Histor. cap. 6: « Motus etiam in reliquis ortus a Marcellis patre et filio per L. Vectium proditus, patefacta Catilinæ conjuratione, quasi succisa radice compressus est; et de utroque per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Brutiis vindicatum est». Porro quum huic se custodiendum traderet Catilina, libertatem omnino non amittebat, quum apud conscium diversaretur, et dissimulationis tamen fructu utebatur, quasi legibus obtemperaret, et adversarios suos provocaret.

tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe[6] videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse[7] jam dignum custodia judicaverit? Quæ quum ita sint, Catilina, dubitas, si hic emori[8] æquo animo non potes, abire in aliquas terras, et vitam istam, multis suppliciis justis debitisque ereptam, fugæ solitudinique mandare?

Refer, inquis, ad senatum: id enim postulas, et, si hic ordo[9] placere sibi decreverit, te ire in exsilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis moribus[10]; et tamen faciam, ut intelligas[11], quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina; libera rempublicam metu; in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium? patiuntur, tacent: quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc idem huic adolescenti

6. *Quam longe*. Quamvis plerumque ille se custodiæ publicæ tradat, qui innocentia fretus videatur, illud tamen in Catilinam argumentum torquet orator, quasi conscientiæ stimulis actus se legum arbitrio dedere cogatur.

7. *Se ipse jam dignum*. Olim, « se ipsum ». Lambin. deinde, « judicarit ». J. V. L.

8. Sic Victor. Græv. Lallem. et nuper Wolf. Mogenstern. Beck. Schütz. al. Sententia hæc est: Si non potes a te impetrare ut hic moriaris, ut tranquille vitam finias, sed debitæ pœnæ manent, fuge hinc in solitudinem. Quum enim Cicero jam antea dixerit c. 6: « Non posse Catilinæ hanc lucem esse jucundam », i. e. eum jam Romæ vivere non posse, alterutrum eligendum est, ut vel vita, vel urbe saltem excedat. Si igitur æquo animo mori non possit, superest ut abeat in exsilium. Ernest. frustra post edd. pr. « morari » defendit.

9. *Hic ordo*. Si senatores exsilium tuum decreverint.

10. *A meis moribus*. Alienus enim Cicero a duritie fuit, ideoque ad senatum referre noluit, qui eum sine dubio damnasset. Inde verum non fuisse patet, Catilinam, ut narrat Dio, ex SCto urbe abire jussum.

11. *Ut intelligas*. Eorum silentio, quum te egredi jubeo.

optimo, P. Sextio [12]; si fortissimo viro, M. Marcello dixissem; jam mihi consuli, hoc ipso in templo, jure optimo senatus vim et manus intulisset: de te autem, Catilina, quum quiescunt [13], probant; quum patiuntur, decernunt; quum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet [14] cara, vita vilissima; sed etiam illi equites romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum; quorum tu et frequentiam videre, et studia perspicere, et voces paullo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te jamdiu manus ac tela contineo; eosdem facile adducam, ut te hæc, quæ jampridem vastare studes, relinquentem, usque ad portas prosequantur [15].

IX. Quamquam quid loquor [1]? te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut [2] ullum exsilium cogites? Utinam tibi istam mentem dii immortales duint [3]! tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiæ nobis, si minus in

12. *P. Sextio.* Quæstori C. Antonii consulis, pro quo est Ciceronis oratio. — *M. Marcello.* Qui XII annis post eum Serv. Sulpicio consul fuit, et nobilissima Ciceronis oratione apud Cæsarem laudatus.

13. *Quiescunt.* Dicentem placide audiunt.

14. *Videlicet cara.* Ironice. Quorum sane auctoritatem vereris, quum de illorum cæde cogites.

15. *Prosequantur.* Non alludit, ut putat Muretus, ad antiquum morem eos prosequendi, qui in exsilium abirent. Sed novam ironiam inde hausit, quod peregre proficiscentes optimates aut magistratus prosequi soleret amicorum multitudo.

XI. 1. *Quid loquor?* Se ipsum reprehendit, quod tam multis verbis Catilinam fuerit cohortatus, ut in exsilium proficisceretur: id enim nullo modo ab eo exspectari posse. — *Frangat.* Obstinatæ mentis tuæ consilium retundat et supprimat. *Frangi* eleganter dicuntur, qui, quum leniori ratione flecti nequeunt, vi quasi expugnati ad faciendum aliquid adiguntur.

2. *Tu ut ullum.* Alii, « ut ullum tu exsilium ». J. V. L.

3. *Duint.* Antique pro dent. Eodem sensu pro Milone, cap. 33: « Hic, dii immortales, ut supra dixi, mentem dederunt illi perdito ac furioso, ut huic faceret insidias ».

præsens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est mihi[4] tanti; dummodo ista privata sit calamitas[5], et a reipublicæ periculis sejungatur. Sed tu[6] ut vitiis tuis commoveare, ut legum pœnas pertimescas, ut temporibus reipublicæ cedas[7], non est postulandum. Neque enim is es, Catilina[8], ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit. Quamobrem, ut sæpe jam dixi, proficiscere; ac, si mihi inimico, ut prædicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium: vix feram sermones[9] hominum, si id feceris; vix molem istius invidiæ, si in exsilium ieris jussu consulis, sustinebo. Sin autem servire meæ laudi et gloriæ mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu; confer te ad Mallium; concita perditos cives; secerne te a bonis; infer patriæ bellum; exsulta impio latrocinio[10], ut a me non ejectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris. Quamquam quid ego te invitem, a quo jam sciam esse præmissos, qui tibi ad forum Aurelium[11] præstola-

4. *Est mihi tanti.* Sæpius usurpatam elocutionem hanc sic Muretus interpretatur: Tanti publice interesse duco, te ex urbe exire, ut dum id fiat, non recusem omnem invidiæ tempestatem subire. Explanatius Doering. Sed publica utilitas tanti momenti esse omnino mihi videtur, ut huic impendenti invidiæ tempestati me objiciam, dummodo consequar id, ut publicæ calamitatis periculum in me solum privatumque hominem convertam. Vid. infr. Or. II, 7.

5. *Calamitas.* Dummodo ista calamitas, quam ego accipiam ex invidia, quæ mihi conflabitur, si tu meo jussu in exsilium ieris, privatum me affligat, et a reip. periculis sit sejuncta, non recuso quominus eam subeam, hac conditione, ut tu in exsilium eas.

6. Abest *tu*. J. V. L.

7. Ernest. *concedas;* sed alterum dant e MSS Græv. Lallem. Beck. al. J. V. L.

8. Cujacius affirmat se legisse in codd. « Neque enim sis Catilina, si te, etc. » J. V. L.

9. *Sermones hominum.* Fere in malam partem sumitur, ut intelligas invidorum clamores ac malos rumores.

10. *Latrocinio.* Bello impio, quod a publicis latronibus infertur.

11. *Ad forum Aurelium.* Fora vocabantur urbes illæ in quibus nundinæ fiebant et conventus agebantur, h. e. jus a magistratu reddebatur : et pleræque

rentur armati? sciam [12] pactam et constitutam esse cum Mallio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam [13], quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido et funestam futuram, cui domi tuæ sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse præmissam? Tu ut illa [14] diutius carere possis, quam venerari, ad cædem proficiscens, solebas? a cujus altaribus sæpe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti?

X. Ibis tandem aliquando, quo te jampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi hæc res [1] affert dolorem, sed quamdam incredibilem voluptatem: ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Numquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam improborum manum. Hic tu qua lætitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, quum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam [2], neque videbis? Ad hujus vitæ studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui [3]: jacere humi, non modo

ab eo qui primus tribunal instituerat, nomen sortiebatur. Est autem hic locus prope lævam Ariminiæ sive Floris amnis, vulgari nomine *Monte Alto*, oppidum satis celebre. Nomen et originem habuit, ab Aurelio quodam, qui Aureliam viam a Roma Pisas usque, sub initium haud dubie subactæ a Romanis Etruriæ, stravit. Cf. Cluver. Ital. Antiq. II, 2.

12. Gulielm. conj. « cui sciam ». Rescripsit Schütz. præeunte Beckio.

13. *Aquilam illam argenteam*. Quam bello Cimbrico Marius habuisse dicebatur. Sallust. cap. 59.

14. *Tu ut illa*. Posses diutius ab illo tuo numine procul vivere?

X. 1. *Hæc res*. Illa tua profectio.

2. *Virum bonum quemquam*. Amare dictum, tamquam viri boni adspectus oculos illius prægravet. — *Hic*. Inter istiusmodi hominum gregem. — *Bacchabere*. Amentiæ quadam voluptate capieris.

3. *Labores tui*. Illæ tuæ exercitationes, quæ adeo a tuis fautoribus ad

ad obsidendum stuprum [4], verum etiam ad facinus obeundum; vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum [5]. Habes, ubi ostentes illam præclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium; quibus te brevi tempore confectum esse [6] senties. Tantum profeci tum, quum te a consulatu repuli [7], ut exsul potius tentare, quam consul vexare rempublicam posses; atque ut id, quod esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur.

XI. Nunc, ut a me [1], patres conscripti, quamdam prope justam patriæ querimoniam detester ac deprecer: percipite, quæso, diligenter, quæ dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est carior; si cuncta Italia; si omnis respublica loquatur: « M. Tulli, quid agis? Tune eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem conjurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patieris,

gloriam tuam narrantur, prædicantur. — *Meditati*. Passive, exercitationis et præparationis causa sunt suscepti.

4. *Obsidendum stuprum*. Ut circumsistas ædes ac tempus curiose speculeris, quo stupra inire possis.

5. *Otiosorum*. In pace ac securitate viventium. Sic Græv. et Lallemand. Alii, « occisorum », quod unice verum defendit Schütz. et ad cædes proscriptionis tempore factas refert.

6. *Confectum esse*. Brevi tibi locus erit patientiam illam omnium necessitatum ostendendi, quæ tibi ad satellites tuos profecto immineant.

7. *Repuli*. Muretus cum Lambino comitia intellexit, quibus Cicero Catilinam competitor vicit. Ernestius vero bene monuit, h. l. Ciceronem significare, se jam consulem perfecisse, ut in comitiis consularibus ejus ratio non haberetur. Horum comitiorum supra mentionem fecit Cicero cap. 5, et Sallustius cap. 26: « postquam dies comitiorum venit et Catilinæ neque petitio, neque insidiæ quas consuli in campo fecerat, prospere cesserunt, etc. »

XI. 1. *Nunc, ut a me*. Explicaturus, cur Catilinam ejicere potius, quam interficere malit, novo quodam quasi principio utitur. — *Deprecer*. Ut precando et testando vos doceam, patriæ non esse causam, cur de me queratur, meque accuset.

ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? Nonne[2] hunc in vincula duci? non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? Mosne majorum[3]? at persæpe etiam privati[4] in hac republica perniciosos cives morte multarunt. An leges[5], quæ de civium reorum[6] supplicio rogatæ sunt? at numquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? præclaram vero populo romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum[7], nulla commendatione majorum, tam mature[8] ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicujus periculi metum, salutem civium tuorum negligis. Sed, si quis est invidiæ metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis[9] invidia, quam inertiæ ac nequitiæ pertimescenda? An, quum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiæ incendio[10] conflagraturum?»

2. Lambinus scribit *Non*. J. V. L.

3. *Mosne majorum?* Argumentum ab enumeratione partium. Quod Catilinam non interficis, oportet te aut more majorum, aut legibus, aut invidiæ metu impediri. At neque mos majorum, neque lex ulla, neque invidiæ metus impedire debet; nihil igitur causæ est cur eum non interficias, potius quam effugere sinas.

4. *Privati*. Ut P. Scipio, qui Tiberium Gracchum occidit. Oratorie autem *persæpe* addit, nisi forte cogitatione prisca quoque tempora complectitur, nondum lata Porcia lege, quæ Sempronia vetustior est.

5. *Leges*. Porcia et Sempronia C. Gracchi, quibus cautum erat, ne de capite civis rom. injussu populi judicaretur. Qui, indicta causa, in civem rom. animadvertisset, de eo populi quæstio constituebatur.

6. Sic Græv. et Lallem. e codd. Ernest. cum aliis, *romanorum*. J. V. L.

7. *Per te cognitum*. Novum, ex te ipso ortum, cujus familia non est rebus olim gestis clara. Heumann. legit « per se » : qua de causa, nescio.

8. *Tam mature*. Omnes enim honores suo anno consequutus est, quod ante ipsum, novo homini contigerat nulli. Vid. Agr. II, 1.

9. *Fortitudinis*. Interfecto Catilina. — *Inertiæ*. Eo impune emisso.

10. *Invidiæ incendio*. Maximum omnium bonorum odium tibi esse con-

XII. His ego [1] sanctissimis reipublicæ vocibus, et eorum hominum, qui idem sentiunt, mentibus, pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu [2] judicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari: unius usuram horæ gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si summi viri, et clarissimi cives, Saturnini, et Gracchorum, et Flacci, et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certe mihi [3] verendum non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi in posteritatem redundaret. Quod si ea mihi maxime impenderet, tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute partam [4], gloriam, non invidiam putarem.

Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non videant; aut ea, quæ vident, dissimulent [5]: qui spem Catilinæ mollibus sententiis aluerunt, conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt. Quorum auctoritatem sequuti multi, non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie [6] factum esse

flaturum. Primum sine ulla figura dixerat *tecta ardebunt*, deinde orationis vi ac calore abreptus ad se ipse eadem transfert.

XII. 1. *His ego*. Illis cohortationibus sanctissime, quia a patria proficiscuntur, colendis, et secretis bonorum virorum, qui idem sentiunt, exprobrationibus, pauca respondere æquum censeo.

2. *Factu*. Malit Garaton. ex nonnullorum codicum auctoritate *factum*.

3. Al. « verendum mihi non erat ». J. V. L. — *Mihi* suspectum fuit Ernestio. Beckius defendit, quia non sine vi quadam opponitur viris summis et clarissimis civibus.

4. *Invidiam virtute partam*. Semper sum arbitratus repulsam virtute partam, minus repulsam esse quam gloriæ titulum. Sciebat enim Cicero se maxime livori obnoxium, neque lubenti animo hominem novum supra nobiles erectum a plurimis conspici.

5. *Dissimulent*. Quasi non videant. Simulamus falsa, dissimulamus vera. — *Spem Catilinæ*. Nefarias evertendæ reip. spes foverunt et auxerunt, dum de Catilina benignius ac mollius judicant.

6. *Regie*. Tyrannice. Ne nomen quidem regis ferre poterat populus rom. non modo libertatis, sed etiam licentiæ amantissimus, ita ut, vel eversa

dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Malliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam; neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipublicæ pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quod si se ejecerit, secumque suos eduxerit, et eodem ceteros undique collectos naufragos[7] aggregaverit: exstinguetur atque delebitur non modo hæc tam adulta reipublicæ pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium.

XIII. Etenim jamdiu[1], patres conscripti, in his periculis conjurationis insidiisque versamur: sed, nescio quo pacto, omnium scelerum ac veteris furoris et audaciæ maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quod si ex tanto latrocinio[2] iste unus tolletur; videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati: periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicæ. Ut sæpe homines ægri morbo gravi, quum æstu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur; deinde multo gravius vehementiusque afflictantur: sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius pœna, vehementius, vivis reliquis[3], ingravescet. Quare, patres conscripti, secedant improbi; secernant se a bonis; unum

republica, infestissimi tyranni nomen illud usurpare refugerint.

7. *Naufragos*. Bonis eversos qui flagitiosa sua vita fortunarum fecerunt naufragium.

XIII. 1. *Jamdiu*. Totum triennium, a consulatu Lepidi et Tulli.

2. *Ex tanto latrocinio*. Tanta latronum cohorte. Sic supra cap. 6, *conjuratio* pro *conjurati*.

3. *Vivis reliquis*. Ceteris conjuratis Catilinæ superstitibus. Mirum Ernest. in hac lectione hæsisse, ut præferret « civibus reliquis »; quod habent aliquot MSS et edd. vett. Tota enim hujus orationis series ad id spectat, ut demonstret orator morbum reipublicæ, solo Catilina sublato, tolli funditus non posse, viventibus in urbe ejus sociis.

in locum congregentur; muro denique, id quod sæpe jam dixi, secernantur a nobis; desinant insidiari domi suæ consuli[4], circumstare[5] tribunal prætoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos[6] et faces ad inflammandam urbem comparare; sit denique inscriptum[7] in fronte uniuscujusque[8], quid de republica sentiat. Polliceor hoc vobis, patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinæ profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

Hisce ominibus, Catilina, cum summa reipublicæ salute, et cum tua peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque junxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu, Jupiter[9], qui iisdem, quibus hæc urbs, auspiciis a Romulo es constitutus; quem Statorem[10] hujus urbis atque imperii vere nominámus: hunc, et hujus socios a tuis aris ceterisque templis, a tectis urbis ac mœnibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis; et omnes inimicos bonorum, hostes patriæ, latrones Italiæ, scelerum fœdere inter se, ac nefaria societate conjunctos, æternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

4. *Consuli.* Quem per duos equites rom. interficere sunt aggressi.

5. *Circumstare.* Ut deterreant prætorem urbanum, L. Valerium Flaccum, jus dicentem inter cives de creditis pecuniis; quum Catilina et plurimi sociorum ære alieno laborent.

6. *Malleolos.* Manipuli erant pice inducti, quibus sagitta inserta (unde malleoli figura) in cujus capite includebatur ignis, qui hostilia munimenta incenderet. Vide Lipsii Poliorc. V, 5, et Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 6.

7. *Inscriptum.* Palam quisque ostendat, nec dissimulet, ut scilicet bonos cives a malis secernere facile liceat.

8. Alii, « uniuscujusque civis ».

9. *Jupiter.* Cujus in templo senatus habebatur.

10. *Quem Statorem.* Conservatorem et eum per quem in æternum stabit Roma.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO SECUNDA
IN L. CATILINAM

ARGUMENTUM.

Catilina se ex curia domum proripuit: ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiæ consuli procedebant, et ab incendio intelligebat urbem vigiliis munitam; optimum factu credens exercitum augere, ac priusquam legiones scriberentur, multa antecapere quæ bello usui forent, nocte intempesta, cum paucis in Malliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo, ceterisque, quorum cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, cædem, incendia, aliaque belli facinora parent; sese prope diem cum magno exercitu ad urbem accessurum. Sall. cap. 32.

Qui ubi primum profectus est, postero die, v id. nov. (9 nov.) Cicero concione vocata quid actum esset populum edocuit. Id præcipue spectat orator, ut falsos arguat rumores a Catilinæ consciis ex industria sparsos, dum illius opes et reipublicæ pericula verbis augent et extollunt. Cicero autem potentiæ romanæ tumultuariam hanc latronum turbam facile cessuram ostendit; quam adeo non timet, ut contra ægre ferat non omnes Catilinæ conscios cum duce esse profectos.

Ac primo quidem populo Catilinæ discessum gratulatur, cap. 1. Deinde se excusat, quod tam capitalem reipublicæ hostem non comprehenderit potius quam emiserit; ostenditque hanc non esse suam culpam, sed temporum. Etsi enim Catilinam supplicio affectum jampridem oportuerit, multos tamen fuisse, qui quæ in istum delata essent, non credituri, multos qui defensuri essent. Præterea se vidisse, si morte multatus esset Catilina, fore ut ejus socios invidia oppressus persequi non posset, 2. Ac tantum abesse, ut eum hostem foris esse timeudum putet, ut illud etiam moleste ferat, quod non omnes secum suas copias eduxerit; eos enim dum in urbe sint, magis metuendos esse, 3. Itaque eos hortatur ut aut urbe excant, aut quiescant, aut si et in urbe, et in eadem mente permaneant, ea quæ mereantur, exspectent, 5. Tum istos, qui Catilinam a se consule in exsilium ejectum esse, querantur, sic refutat, ut postquam, quid hesterno die actum

esset, narraverat, doceat Catilinam ipsum, ad bellum patriæ inferendum in castra Malliana, non in exsilium abiisse. Se quidem ejus rei invidiam haud detrectare, si in exsilium iverit, et consulis minis ejectus esse dicatur. Sed eum non esse iturum confirmat, 7. Sed non tam de uno hoste, et de eo qui se hostem fateatur, agendum esse, quam de iis qui dissimulent et Romæ remanserint. Horum sex genera esse, quibus singulis medicinam consilii sui se allaturum ostendit. Primum eorum qui magno in ære alieno, majores etiam possessiones habeant, quorum amore adduci ad æs alienum dissolvendum illis vendendis non possint, 8. Alterum eorum, qui quamquam premantur ære alieno, dominationem tamen exspectent, honoresque, quos quieta republica desperent, perturbata consequi se posse arbitrentur. Tertium genus esse ex iis coloniis, quas Sulla constituerit, qui se insperatis pecuniis sumptuosius jactarint et in magnum æs alienum inciderint, qui etiam nonnullos agrestes homines egentes in eamdem spem rapinarum veterum impulerint, 9. Quartum eorum, qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim sumptibus in vetere ære alieno vacillent. Quintum parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum. Postremum eorum, qui quasi Catilinæ cohortem prætoriam constituant, 10. His omnibus præsidia luculenta atque ornamenta opponi posse ostendit, et his omissis, si ipsæ causæ, quæ inter se confligant, contendantur, facile, quam illi jaceant, intelligi posse, 11. Itaque cives bene sperare, 12. Catilinæ autem socios iterum exire, aut si maneant quiescere jubet; ceterum populo pollicetur se curaturum ut bellum intestinum, nullo tumultu, se uno togato duce sedetur, hortaturque Quirites, ut salutis reipublicæ causa deorum immortalium auxilium implorent, 13.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN L. CATILINAM
ORATIO SECUNDA,
AD QUIRITES.

ORATIO VICESIMA.

I. Tandem aliquando [1], Quirites, L. Catilinam, furentem audacia [2], scelus anhelantem, pestem patriæ nefarie molientem, vobis atque huic urbi [3] ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emisimus [4], vel ipsum egredientem verbis [5] prosequuti

I. 1. *Tandem aliquando.* Perterrefactus superiore oratione Catilina, ex Urbe sese intempesta nocte cum paucis, ut ait Sallustius, cum trecentis, ut ait Plutarch. conjuratis, eduxerat. Postridie Cicero senatum habiturus, interim dum senatores convenirent, hanc orationem ad populum e rostris habuit.—*Tandem aliquando.* Exclamandi genus, quo significat orator Romam esse infestissimo liberatam hoste.

2. *Furentem audacia*, etc. Adnota ordinem dicendi plane mirabilem. Quasi monstrum veneno inflatum æstuat, furit, anhelat scelus, sitit sanguinem, pestem meditatur, rapitur nocendi necessitate, etc.

3. *Huic urbi ferrum flammamque.* Cod. Gemblac. « ferro flammaque ». J. V. L.

4. *Vel ejecimus, vel emisimus.* Alii credebant Catilinam a Cicerone expulsum fuisse, alii ad exeundum urbe invitatum fuisse; orator de verbis non disputat, sed Catilinæ profectionem sibi gratulatur.

5. Male nonnulli codd. et edd. habent *urbe* pro *verbis*. J. V. L.

sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit[6]. Nulla jam pernicies a monstro illo atque prodigio mœnibus ipsis intra mœnia[7] comparabitur. Atque hunc quidem unum hujus belli domestici ducem sine[8] controversia vicimus : non enim jam inter latera nostra[9] sica illa versabitur; non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Loco ille[10] motus est, quum est ex Urbe depulsus : palam jam cum hoste, nullo impediente, bellum justum[11] geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus, quum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. Quod vero non cruentum mucronem[12], ut voluit, extulit, quod vivis nobis egressus est, quod ei ferrum de manibus[13] extorsimus, quod incolumes cives, quod stantem urbem

6. *Abiit, excessit, evasit, erupit.* Non est congeries idem significantium, sed crescit veluti per gradus oratio. *Excessit* plus est quam *abiit*, ut in Virgilio, « Omnibus idem animus scelerata excedere terra ». *Evasit* tamquam e loco, ubi sine periculo versari nequiret. *Erupit*, cum impetu quodam, ut latro qui effracto effugit carcere.

7. *Intra mœnia.* Quod periculum longe gravissimum est, ubi mali vis intus inclusa grassatur, et quum ipso mœnium objectu muniri contra illos qui intra sunt mœnia non possumus. *Mœnia* sæpe pro domibus, ædificiis adhibentur, ut Justin. II, 12: « Patriam municipes esse, non mœnia », quod verbis sequentibus ipse explicat, « Civitatem non in ædificiis, sed in civibus positam ». Et Flor. I, 4 : « Hic igitur mœnia muro complexus est ».

8. *Sine controversia.* Sine dubio.

9. *Non enim jam inter latera.* Ut quanto periculo sese liberatos Romani intelligerent, breviter in memoriam revocat aliquot audacia Catilinæ facinora. — *Inter latera.* Ut pridie kal. jan. Lepido et Tullo coss. Catilina cum telo fuit in comitio.—*Non in campo.* Quia sibi metuens Cicero, loricatus in campum descenderat. — *Non in foro, non in curia.* Quod, Catilina præsente, neque judicia exerceri, neque senatus haberi tuto posset. — *Non denique intra domesticos parietes.* Ut nuper, quum Catilina duos misisset, qui Ciceronem in lecto suo interficerent.

10. *Loco ille motus.* Formula militaris. Locus enim dicitur status, ut gradus. De gradu dejici idem est atque opportunitatem loci perdere. Ubi igitur loco motus est hostis, certa propemodum et explorata victoria est. Plautus in Amphitr. « Animam amittunt priusquam demigrent loco ».

11. *Bellum justum.* Quod vere ac proprie belli nomine censeri possit.

12. *Quod vero non cruentum.* Quod nos non interfecit.

13. *Quod ei ferrum de manibus.*

reliquit : quanto tandem illum mœrore afflictum esse et profligatum putatis? Jacet ille nunc [14] prostratus, Quirites, et se perculsum [15] atque abjectum esse sentit, et retorquet oculos profecto sæpe ad hanc urbem; quam ex suis faucibus [16] ereptam esse luget : quæ quidem lætari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit [17], forasque projecerit.

II. At si quis est talis [1], quales esse omnes oportebat [2], qui in hoc ipso, in quo exsultat et triumphat oratio mea, me vehementer accuset, quod tam capitalem hostem non comprehenderim [3] potius, quam emiserim; non est ista mea culpa, Quirites, sed temporum. Interemptum [4] esse L. Catilinam, et gravissimo supplicio affectum, jampridem oportebat; idque a me et mos majorum, et hujus imperii severitas [5], et respublica postulabat. Sed quam multos fuisse [6] puta-

Allegoria. Significat enim quod ne Urbem sanguine conspergeret, impedivimus.

14. Græv. Lallem. « prostratusque est ». J. V. L.

15. *Perculsum*. Percellere est evertere et ad terram dejicere, unde proverbium rusticorum quo *plaustrum perculisse* dicuntur, qui negotium aliquod everterunt ac perturbarunt. Eo usus est Plautus in Epidico : « peril, plaustrum perculi ». Quo loco Erasmus ineptissime legit « austrum perculi ».

16. *Suis faucibus*. Metaphora ab immanibus feris.

17. *Evomuerit*. Metaphora ab ægrotis, qui vomitu recreari ac relevari solent.

II. 1. *At si quis est talis*. Nunc declarat cur non interficiendum potius, quam emittendum esse Catilinam duxerit. Artificiose autem facit, ut non modo non improbet, sed magnopere etiam laudet eorum sententiam, qui eum interfici debuisse dicebant, et tamen ab omni reprehensione se liberet. Tale enim dilemma afferri adversus Ciceronem poterat : aut conjuravit Catilina, aut non conjuravit; si conjuravit, interficiendus fuit; si non conjuravit, ne ejiciendus quidem : huic ita respondet, ut illum interfici debuisse fateatur, sed ostendat tamen magis e republica fuisse, ut emitteretur.

2. *Quales omnes esse oportebat*. Nam si omnes tales essent, tum demum Catilinam interficere nihil periculi fuisset.

3. *Non comprehenderim*. In vincula duci non jusserim.

4. Al. MSS *interfectum*. J. V. L.

5. *Severitas*. Severæ leges.

6. *Sed quam multos fuisse*. Tria hominum genera enuntiat in quorum invidiam incursurus erat, si Catilinam interfecisset; primum eorum qui Ci-

tis, qui, quæ ego deferrem, non crederent? quam multos, qui propter stultitiam non putarent? quam multos, qui etiam defenderent? quam multos, qui propter improbitatem faverent? Ac si, sublato[7] illo, depelli a vobis omne periculum judicarem; jam pridem ego L. Catilinam non modo invidiæ meæ, verum etiam vitæ periculo sustulissem. Sed quum viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, si illum, ut erat meritus, morte multassem, fore, ut ejus socios invidia oppressus persequi non possem: rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, quum hostem aperte videretis. Quem quidem ego hostem, Quirites, quam vehementer foris esse timendum putem, licet hinc intelligatis, quod illud etiam moleste fero, quod ex urbe parum comitatus exierit. Utinam ille omnes secum suas copias eduxisset! Tongilium[8] mihi eduxit[9], quem amare in pretexta[10] [ca-

ceronem Catilinæ inimicum esse, propterea quod eum ipsum Catilinam in consulatu acerbissimum competitorem habuerat, putabant, et quæ diceret ab odio proficisci existimabant; secundum genus eorum qui ita stulti erant, ut minime putarent, aut Catilinam ipsum defenderent; tertium denique improborum, qui Catilinæ conatibus favebant.

7. *Sublato.* Metaphora sumpta a genere supplicii servorum, qui in crucem tollebantur. — *Judicarem.* Pro *judicassem.* Enallage est temporum. — *Invidiæ.* Quam in me conflavissent. Invidia enim non solum de eo dicitur qui invidet, sed etiam de eo cui invidetur. Multa quoque alia nomina a veteribus eo modo usurpata sunt. Scilicet *utilitas mea* sæpe quidem est ea quam ego percipio, sed interdum ea quoque quæ ex me percipitur. Terentius Eunucho: «In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam». Cicero ad Tironem: «Utilitatibus tuis possum carere; te valere, tua causa primum volo, tum mea, mi Tiro». Sic negligentia tua, qua tu negligeris; et odium tuum, quo te alius prosequitur. Terentius: «Nam neque negligentia tua, neque odio fecit tuo». Sic insidiæ alicujus, non quas ipse tendit, sed quæ ipsi tenduntur. Cicero pro Cœlio: «Quod in alicujus agrestis periculo non prætermitteres, id homo eruditus, in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putaret». Multa his consimilia reperiet, si quis accurate observare voluerit.

8. Al. *Tongillum.* J. V. L.

9. *Mihi eduxit.* Illud *mihi* ad sententiam nihil adjungit; sed elocutionis genus est familiare, quod in plerisque linguis usurpatur.

10. *Prætexta.* Imberbem videlicet adolescentulum; prætextam enim fere-

lumnia] cœperat; Publicium et Munatium, quorum æs alienum contractum in popina nullum reipublicæ motum afferre poterat: reliquit quos viros? quanto alieno ære? quam valentes? quam nobiles[11]?

III. Itaque ego illum exercitum, et Gallicanis[1] legionibus, et hoc delectu, quem in agro Piceno et Gallico Q. Metellus[2] habuit, et his copiis, quæ a nobis quotidie comparantur, magnopere contemno, collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria[3], ex rusticis decoctoribus, ex iis, qui vadimonia deserere[4], quam illum exercitum, maluerunt: quibus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum prætoris[5] ostendero, concident. Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in senatum venire; qui nitent unguentis, qui fulgent purpura[6], mallem secum suos milites

bant usque ad annum ætatis decimum septimum. — *Calumnia.* Vox illa corrupta est, aut in margine scripta, significans hoc oratorie potius dictum quam vere. — *Publicium et Munatium.* Subaud. *eduxit.*

11. Al. «quam nobiles? vos videtis». J. V. L.

III. 1. *Itaque ego illum exercitum et Gallicanis.* Locus hic depravatus esse videtur; patebit sensus, si præpositionem *præ* adjungas loco *et.*

2. *Q. Metellus.* Missi sunt prætores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; hisque permissum uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Quum senatus provincias decrevisset Macedoniam et Galliam, Ciceronique Macedonia, quæ opulentior erat, obtigisset, Cicero eam concessit C. Antonio, ut illum ære alieno obrutum, ob idque non alienum a suspicione conjurationis, oblata lucri spe, ad bonas partes adduceret. Cicero ne ipse quidem in Galliam ivit, sed Urbis custodiam sibi sumpsit, eoque Metellum misit. Ideo Cicero tam sæpe sese provinciam reipublicæ causa prætermisisse jactat.

3. *Ex agresti luxuria.* Id est, ex agrestibus luxuriosis; metonymia.

4. *Vadimonia deserere.* Eum diem non obire, in quem te civis romanus vadatus fuerit. In desertores vadimonii pœna infamiæ constituta erat, et in eorum bona creditores a prætore mittebantur.

5. *Edictum prætoris.* Ex eo enim cognoscent omnium fortunarum suarum ruinam, ob deserta vadimonia. Est autem argumentum a minori. Alludit forsitan Cicero rebellibus servis, quos Scythæ flagellis fuderunt.

6. *Qui fulgent purpura.* Senatores; soli enim purpuream tunicam lato clavo insignem ferebant.

eduxisset: qui si hic permanent, mementote, non tam exercitum illum esse nobis, quam hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos. Atque hoc etiam sunt timendi magis, quod, quid cogitent, me scire sentiunt, neque tamen permoventur. Video, cui Apulia sit attributa, qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui sibi has urbanas insidias cædis atque incendiorum depoposcerit. Omnia superioris noctis[7] consilia ad me delata[8] esse sentiunt; patefeci[9] in senatu hesterno die; Catilina ipse pertimuit, profugit: hi quid exspectant? Næ illi vehementer errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram.

IV. Quod exspectavi, jam sum assequutus, ut vos omnes factam esse aperte conjurationem contra rempublicam videretis. Nisi vero si quis est, qui Catilinæ similes cum Catilina sentire non putet. Non est jam lenitati locus; severitatem res ipsa flagitat. Unum etiam nunc concedam: exeant, proficiscantur, ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere. Demonstrabo iter: Aurelia via profectus est; si accelerare volent, ad vesperam consequentur. O fortunatam rempublicam, si quidem hanc sentinam hujus urbis ejecerit! Uno mehercule[1] Catilina exhausto, relevata mihi et recreata respublica videtur. Quid enim mali[2] aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod non ille conceperit? Quis tota Italia veneficus,

7. *Superioris noctis.* Non intelligit eam noctem quæ proxime antecesserat, non enim conveniet quod statim subjungit: «Patefeci in senatu hesterno die» sed tertiam, intra 6 et 7 novembris.

8. *Consilia ad me delata.* *Perlata* habent Lall. al. Græv. ediderat «ad me sentiunt esse perlata». J. V. L.

9. Ernest. conjicit, *quæ patefeci.* J. V. L.

IV. 1. *Uno mehercule.* Complexio a minori.

2. *Quid enim mali.* Generalis propositio, quam postea enumeratione partium amplificat.

quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subjector [3], quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos [4], quis adulter, quæ mulier infamis, qui corruptor juventutis, qui corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur [5]? Quæ cædes [6] per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum? Jam vero quæ tanta in ullo umquam homine juventutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipse amabat [7] turpissime, aliorum amori flagitiosissime serviebat, aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modo impellendo, verum etiam adjuvando, pollicebatur. Nunc vero quam subito, non solum ex urbe, verum etiam ex agris [8], ingentem numerum perditorum hominum collegerat? Nemo, non modo Romæ, sed nec ullo in angulo totius Italiæ, oppressus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus adsciverit.

V. Atque ut ejus diversa studia [1] in dissimili ratione

3. *Testamentorum subjector. Subjicere* est interdum falsum et adulterinum quidpiam veri ac germani loco subponere; inde *testamentorum subjectores* dicuntur ii, qui artem quamdam factitant supponendi falsa testamenta pro veris. — *Circumscriptor.* Qui inducendi ac circumveniendi homines, quasi artificium quoddam tenet.

4. *Quis nepos.* Cur nepotes vocabant nequam et dissolutos homines? Opinor, quod qui pueri, patre mortuo, in avi tutelam veniunt, tales evadere consueverint; nam et indulgentiores patribus fere sunt avi, et si severi esse velint, facile propter ætatis imbecillitatem a pueris patrio metu solutis contemnuntur.

5. *Non familiarissime vixisse fateatur?* Cod. Barb. «quam familiarissime vixisse non fateatur».

6. *Quæ cædes.* De cædibus deque stupris a Catilina factis superiore commentario diximus; exponuntur autem a Q. Cicerone in libello de petitione consulatus, a Sallustio, ab Asconio.

7. *Alios ipse amabat.* Q. Tullius ait eum tantum habuisse in libidine artis et efficacitatis, ut parentum prope in gremio prætextatos liberos constupraverit.

8. *Verum etiam ex agris.* Hoc est, quod supra agrestem luxuriam et decoctores rusticos dixit.

V. 1. *Atque ut ejus diversa studia.* Duo quasi contraria vitia in Catilina

perspicere possitis, nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinæ esse fateatur; nemo in scena levior et nequior, qui se non ejusdem prope sodalem fuisse commemoret. Atque idem tamen, stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus, frigore, et fame[2], et siti, ac vigiliis perferendis, fortis ab istis prædicabatur; quum industriæ[3] subsidia, atque instrumenta virtutis, in libidine audaciaque consumerentur[4]. Hunc vero si sui fuerint comites sequuti; si ex urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges : o nos beatos, o rempublicam fortunatam, o præclaram laudem consulatus mei[5] ! Non enim jam sunt mediocres hominum libidines, non humanæ ac tolerandæ audaciæ[6] : nihil cogitant, nisi cædes[7], nisi incendia, nisi rapinas. Patrimonia sua profuderunt; fortunas suas abligurierunt; res[8] eos jampridem, fides deficere nuper cœpit : eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. Quod si in vino[9] et alea comissationes solum

esse dicit, gladiatoriam in tractandis armis obeundisque facinoribus audaciam, et scenicam in omni libidine levitatem ac nequitiam; ignaviam enim et animi mollitiem affert libido. Sed compertum est plerosque milites longe ceteris civibus dissolutiores esse, quia venus desidiæ comes aut laborantibus recreatio. Porro quod hic Cicero de diversis Catilinæ studiis dicit, id vel optime ex oratione pro Cœlio, quale sit, intelligi potest.

2. *Assuefactus frigore et fame.* Vide num rectius *frigori* et *fami.*

3. *Quum industriæ.* Sed immeritissimo laus illa ei tribuebatur, quum instrumenta virtutis in scelere ac nequitia consumeret.

4. *Consumerentur.* Al. MSS, Muretus, Garatonius et libri veteres, *consumeret.*

5. *O nos beatos, o rempublicam.... o præclaram*, etc. Quam eleganter figuraverit hanc secundam partem; et quanto eam pulchriorem repetitis exclamationibus reddiderit !

6. Alii, « audaciæ ac tolerandæ ». J. V. L.

7. *Cædes.* Cædem malunt plurimi. Cædes enim unum est ex illis nominibus quæ singulari numero multitudinis significationem habent. Sic loquutus est Tullius, et aliis locis, et paullo infra : « Eructant sermonibus suis cædem bonorum, etc. »

8. *Res.* Bona, pecunia — *Fides.* Bona fama loco pecuniæ utimur.

9. *In vino.* Peracto jam convivio,

et scorta quærerent, essent illi quidem desperandi[10], sed tamen essent ferendi[11]. Hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos[12] sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi[13] accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi[14], confecti[15] cibo, sertis redimiti[16], unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis cædem bonorum, atque urbis incendia.

Quibus ego confido impendere fatum aliquod, et pœnas jamdiu[17] improbitati, nequitiæ, sceleri, libidini debitas, aut instare jam plane, aut certe jam appropinquare. Quos si meus consulatus, quoniam sanare non potest, sustulerit: non breve nescio quod tempus, sed multa sæcula propagarit reipublicæ. Nulla est enim natio[18], quam pertimescamus; nullus rex, qui bellum populo romano facere possit. Omnia sunt externa unius virtute[19] terra marique pacata: domesti-

sublatisque epulis, pocula tamen relinquebantur, quibus mutuo inter se certantes convivæ, aut jocis hilarabant animum, aut aleam ludebant, aut aliquid faciebant ejusmodi. Id itaque tempus indicatur his loquendi generibus, « in vino, in joco atque vino, in vino atque alea ». « Here, in vino quam immodestus fuisti ! » Terentius. « manu sinistra Non belle uteris in joco atque vino ». Catullus.

10. *Desperandi*. Nihil enim ab aleatoribus, scortatoribus, comissatoribus neque privatim, neque publice utile sperari potest.

11. *Sed tamen essent ferendi*. Domestica enim illa turpitudo et infamia saltem rempublicam non attingeret.

12. *Ebriosos*. Libri veteres *ebrios*.

13. *Qui mihi*. Subaud. *videntur*.

14. *Vino languidi*. Nam, ut ait poeta : « Ut venus enervat vires, sic copia vini ».

15. *Conferti*. Sic habent multi codd. et Inde a Mureto receperunt Gruter. Heumann. Lallem. al. J. V. L.

16. *Sertis redimiti*. Coronati et unguentis perfusi cœnitabant olim, qui luxuriosius epulabantur.

17. *Pœnas jamdiu*. Tres libri Græv. et cod. Barb. habent *pœnam*. Utroque modo Tullius alibi loquitur.

18. *Nulla est enim natio*. Sic ad finem primæ Agrariæ : « Nullum externum periculum est : non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est ; inclusum malum ac domesticum est ».

19. *Unius virtute*. Cn. Pompeium Magnum intelligit, de cujus virtute orationem vide pro lege Manilia.

cum bellum manet; intus insidiæ sunt[20]; intus inclusum periculum est; intus est hostis. Cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. Huic ego me bello, Quirites, profiteor ducem[21] : suscipio inimicitias hominum perditorum. Quæ sanari poterunt[22], quacumque ratione sanabo : quæ resecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere[23]. Proinde aut exeant, aut quiescant : aut, si et in urbe, et in eadem mente permanent, ea, quæ merentur[24], exspectent.

VI. At etiam sunt[1], Quirites, qui dicant, a me in exsilium ejectum esse Catilinam. Quod ego si verbo assequi possem[2], istos ipsos ejicerem, qui hæc loquuntur. Homo enim[3] videlicet timidus et permodestus vocem consulis ferre non potuit : simul atque ire in exsilium jussus est, paruit, ivit[4]. Hesterno die, quum domi meæ[5] pæne interfectus essem, senatum in ædem Jovis Statoris[6] vocavi : rem omnem ad patres con-

20. *Intus insidiæ sunt.* Sic in defensione Murænæ : « Intus, intus est, inquam, equus trojanus ; a quo numquam, me consule, dormientes opprimemini ».

21. Alii, « ducem profiteor, Quirites ». J.V. L.

22. *Quæ sanari poterunt.* Unde allegoria ducta sit, constat ; huc autem pertinent versus Nasonis : « Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur ». Et ille locus ex octava Philippica : « In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patiamur, ut aliquid membrorum potius quam totum corpus intereat; sic in reipublicæ corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum amputetur ».

23. Al. *manare.* J. V. L.

24. *Ea quæ merentur.* Ultimum supplicium.

VI. 1. *At etiam sunt.* Non deerant qui invidiam Ciceroni conflare cupientes, quererentur de nimia illius potentia, quod civem romanum claris ortum majoribus, magnis in republica honoribus functum, vi et minis in exsilium misisset; eam nunc a se multis rationibus amovere conatur.

2. *Quod ego si verbo assequi possem.* Id est, si uno verbo possem aliquem in exsilium pellere.

3. Ernestius delet *enim*, damnante Gœrenz. ad Acad. II, 13. J. V. L.

4. Al. *quievit.* J. V. L.

5. *Quum domi meæ.* Hesterno die senatum convocavi, quum domi meæ ab immissis Catilinæ sicariis pæne interfectus essem.

6. *In ædem Jovis Statoris.* Senatum

scriptos detuli. Quo quum Catilina venisset, quis eum senator[7] appellavit? quis salutavit? quis denique ita adspexit, ut perditum civem, ac non potius, ut importunissimum hostem? Quin etiam principes ejus ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque inanem reliquerunt. Hic ego vehemens ille consul[8], qui verbo cives in exsilium ejicio, quæsivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Læcam fuisset, necne. Quum ille, homo audacissimus[9], conscientia convictus, primo reticuisset: patefeci cetera; quid ea nocte egisset, ubi[10] fuisset; quid in proximam constituisset[11]; quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta[12], edocui. Quum hæsitaret, quum teneretur[13]; quæsivi, quid dubitaret eo proficisci, quo jampridem pararat: quum arma, quum secures, quum fasces[14], quum tubas, quum signa militaria, quum aquilam illam argenteam[15], cui ille etiam sacrarium scelerum domi suæ fecerat, scirem esse præmissam. In exsilium ejiciebam[16], quem jam

haberi non potuisse, nisi in templo notius est quam ut confirmari debeat.

7. *Senator.* Ven. et Pith. cod. *senatorum.*

8. *Vehemens ille consul.* Id est, quem vehementem clamant, qui Catilinam ejectum queruntur.

9. *Quum ille, homo audacissimus.* Ut admirabilius videatur eum reticuisse, et ut constet id non metu, sed conscientia effectum. Sic in Oratore: « nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit ».

10. *Ubi fuisset.* In optimo Mureti libro hæ duæ voces non leguntur, et sane eas si quis sustulerit, nihil, ut opinor, neque de sententia, neque de orationis vehementia detraxerit.

11. *Quid in proximam constituisset.* Veter. *in proxima.* Proximam dicit non eam quæ antecesserat, sed eam quæ proxime sequutura erat, in quam constituerat Catilina se exiturum.

12. *Descripta.* Distributa, divisa; ut v in Antonium: quorum ipsorum bona, quantacumque erant, statim suis comitibus compotoribusque descripsit.

13. *Quum teneretur.* Vulgo, *cunctaretur.*

14. *Quum secures, quum fasces.* Catilina enim sibi et nomen, et ornamenta dignitatis consularis, in castra Mallii proficiscens, assumpserat, ut ait Dio.

15. *Aquilam illam argenteam.* De qua superiore commentario diximus.

16. *In exsilium ejiciebam.* Minime

ingressum esse in bellum videbam? Etenim, credo, Mallius iste, centurio, qui in agro Fesulano castra posuit, bellum populo romano suo nomine indixit; et illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant; et ille, ejectus in exsilium, se Massiliam[17], ut aiunt[18], non in hæc castra conferet.

VII. O conditionem miseram, non modo administrandæ, verum etiam conservandæ reipublicæ! Nunc, si L. Catilina, consiliis, laboribus, periculis meis circumclusus ac debilitatus, subito pertimuerit, sententiam mutaverit, deseruerit suos, consilium belli faciundi abjecerit, ex hoc cursu sceleris et belli, iter ad fugam atque in exsilium converterit: non ille a me spoliatus armis audaciæ, non obstupefactus ac perterritus mea diligentia, non de spe conatuque depulsus, sed indemnatus[1], innocens, in exsilium ejectus a consule, vi et minis esse dicetur: et erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum; me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint. Est mihi tanti[2], Quirites, hujus invidiæ falsæ atque iniquæ tempestatem subire, dummodo a vobis hujus horribilis belli ac ne-

prorsus in exsilium ejici dicendus ille qui sua sponte in bellum ingressus est; quum autem bellum sponte inchoaverit Catilina, non igitur in exsilium ejectus est.

17. *Massiliam.* Hunc enim rumorem Catilina et socii ejus disseminarant. Phocæenses quod Cyro servire nollent, ut ait Eustathius Thessalonicensis, reliquerunt patrias sedes, quumque in Galliam venissent, Massiliam condiderunt. Ea civitas a Cicerone, Livio, Strabone, Valerio Maximo, Justino aliisque scriptoribus mirifice commendatur, tamquam omnis virtutis atque humanitatis domicilium fuerit. Cives romani qui in exsilium ibant, Massiliam fere se conferebant. Sic L. Scipio Asiaticus, sic T. Annius Milo qui Clodium occidit, etc.

18. Schutz. hæc verba, jam ab Heumanno et Ernest. damnata, delevit. J. V. L.

VII. 1. *Indemnatus.* Indicta causa.

2. *Est mihi tanti.* Subaud. momenti, vel pretii. Hanc formulam interpretes variis modis explanare conati sunt. Sensus certe patet: Me omnino felicem arbitraturus sum, si tempestatem hanc subeam, dummodo, etc.

farii periculum depellatur. Dicatur sane ejectus esse a me, dummodo eat in exsilium; sed mihi credite, non est iturus. Numquam ego a diis immortalibus optabo, Quirites, invidiæ meæ[3] levandæ causa, ut L. Catilinam ducere exercitum hostium, atque in armis volitare audiatis : sed triduo tamen audietis; multoque magis illud timeo[4], ne mihi sit invidiosum aliquando, quod illum emiserim potius, quam quod ejecerim. Sed quum sint homines[5], qui illum, quum profectus sit, ejectum esse dicant, iidem, si interfectus esset, quid dicerent? Quamquam isti[6], qui Catilinam Massiliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quam verentur[7]. Nemo est istorum tam misericors[8], qui illum non ad Mallium, quam ad Massilienses ire malit. Ille autem[9], si mehercule hoc, quod agit, numquam ante cogitasset, tamen latrocinantem se interfici mallet, quam exsulem vivere. Nunc vero, quum ei nihil adhuc præter ipsius voluntatem cogitationemque acciderit, nisi quod vivis nobis Roma profectus est, optemus potius, ut eat in exsilium, quam queramur.

3. *Invidiæ meæ.* Id est, invidiæ qua me prosequuntur.

4. *Multoque magis illud timeo.* Non, timeo, inquit, ne mihi invidiosum sit quod Catilinam ejecerim; namque neque ejeci, et si ejecissem, desperatum ac nefarium hominem ejecissem; sed illud metuo ne mihi invidiæ sit, quod eum emiserim, quem summo supplicio afficere debueram.

5. *Sed quum sint homines.* Redit ad illud quod initio proposuerat, cur Catilinam non interficeret, argumentaturque a minori hoc modo : quum Catilina ex urbe profectus sit, mihi crimini vertunt, quasi eum ejecerim, ergo multo magis me criminarentur, si eum interfecissem.

6. *Quamquam isti.* Significat has querelas manare ab hominibus male affectis in rempublicam et non alienis a conjuratione.

7. *Quam verentur.* Cupiunt enim eum quam primum cum exercitu ad urbem accedere, et metuunt, ne consilium mutet.

8. *Tam misericors.* Fingebant enim se miserari Catilinæ casum, tamquam injuria ejecti, et in falsam invidiam vocati.

9. *Ille autem.* Argumentum a minore.

VIII. Sed cur tamdiu [1] de uno hoste loquimur, et de eo hoste, qui jam fatetur se esse hostem, et quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo: de his, qui dissimulant, qui Romæ remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus? Quos quidem ego, si ullo modo fieri possit [2], non tam ulcisci studeo, quam sanare, et ipsos placare reipublicæ; neque, id quare fieri non possit, si me audire volent, intelligo. Exponam enim vobis [3], Quirites, ex quibus generibus hominum istæ copiæ comparentur: deinde singulis medicinam consilii atque orationis meæ, si quam potero, afferam.

Unum genus est eorum [4], qui, magno in ære alieno, majores etiam possessiones habent; quarum amore adducti, dissolvi [5] nullo modo possunt. Horum hominum species [6] est honestissima: sunt enim locupletes; voluntas vero, et causa impudentissima. Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis: et dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem? Quid enim exspectas?

VIII. 1. *Sed cur tamdiu.* Transitio. Satis, inquit, superque de Catilina loquuti sumus; dicendum jam de iis, qui magis pertimescendi sunt, qui, quum sint nefario illo conjurationis fœdere implicati, tamen in urbe manserunt.

2. Alii, *posset.* J. V. L.

3. *Exponam enim vobis.* Hac brevi propositione et benivolentiam sibi comparat, quum ostendit se sanare malle quam ulcisci; et docilem auditorem facit, exponens aperte et dilucide quibus de rebus ingrediatur dicere; attentum ipsa necessitas et magnitudo periculi reddit.

4. *Unum genus est eorum.* Abest *genus.* Sex e generibus hominum conflatas esse Catilinæ copias dicit, de quibus singulis ordine videbimus. Primi sunt locupletes obærati, amantes possessionum. His id consilii dat, ut divendita aliqua parte possessionum dissolvant ea, quæ debent, quod ut etiam cogantur facere, tabulas auctionarias propositurum se esse profitetur.

5. *Dissolvi.* Liberari alieno ære.

6. *Horum hominum species.* Afferunt enim divitiæ aliquid dignitatis, et quum omnibus tum maxime locupletibus expedire videtur, nullos in republica motus excitari. Cicero XIII Philippica: « bonos cives primum natura efficit; adjuvat deinde fortuna; omnibus enim bonis expedit salvam esse rempublicam, sed in iis, qui fortunati sunt, magis id apparet ».

bellum? quid? ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas[7] futuras putas? An tabulas novas[8]? errant, qui istas a Catilina exspectant. Meo beneficio tabulæ novæ proferentur, verum auctionariæ[9]. Neque enim isti, qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt. Quod si maturius facere voluissent, neque (id quod stultissimum est) certare cum usuris[10] fructibus prædiorum; et locupletioribus his, et melioribus civibus uteremur. Sed hosce homines minime puto pertimescendos, quod aut deduci[11] de sententia possunt; aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rempublicam, quam arma laturi[12].

IX. Alterum genus est[1] eorum, qui quamquam

7. *Sacrosanctas.* Ut eas nemo violare, aut etiam attingere audeat.

8. *Tabulas novas.* Tabulæ sunt codices accepti et expensi. Hinc tabolæ novæ dicuntur quum debitores ereditas pecunias cum usuris persolvere non coguntur, et abolitis prioribus debitis novæ tabulæ conficiuntur. Catilina igitur, qui videret magnum in civitate æs alienum esse, pollicebatur se publice incensurum omnes creditorum tabulas, ita ut nemo, quod æris alieni antea contraxisset persolvere cogeretur. *Tabulas novas* primus Athenis instituit Solo. Sub consulatu Valerii Flacci, qui Mario substitutus fuit anno Urbis conditæ 667, lege promulgata, argentum ære solutum est, loquit Sallustius cap. 30, id est, assem solverunt qui æreus erat, loco sestertii, quod argenteum, et quatuor assibus valebat. Ita creditores 75 pro 100 perdiderunt.

9. *Tabulæ . . . auctionariæ.* Quibus publice affixis significabatur obæratorum possessiones hastæ subjici ac vendi plurimum offerenti, constituto auctionis die. Pro Roscio Amerino, cap. 8, videre est Ciceronem in tabulis cavillari.

10. *Certare cum usuris.* Est velle usuras sortis creditæ solvere fructibus possessionum quæ pignori datæ fuerunt. Sed quum usuræ longe majores essent fructibus, æs alienum singulis annis crescebat, debitor solvere non poterat, et ejus proprietas creditoribus addicebatur. Si debitores partem possessionum suarum vendidissent et solvissent, usuras lucrati essent fructibus superiores et fortunam non perdidissent.

11. *Quod aut deduci.* Quum viderint prolatis tabulis auctionariis, imponi sibi solvendi necessitatem.

12. *Quam arma laturi.* Quod divites vitæ deliciis assueti, labores et pericula fugiunt, quæ pauperes, sortem suam mutandi causa, audacter obeunt.

IX. 1. *Alterum genus est.* In secunda quasi cohorte Catilinariæ legionis locat eos, qui quum ære alieno obruti

premuntur ære alieno, dominationem tamen exspectant; rerum potiri volunt; honores, quos quieta republica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc præcipiendum videtur, unum scilicet et idem, quod ceteris omnibus, ut desperent, se id, quod conantur[2], consequi posse: primum omnium me ipsum vigilare, adesse, providere reipublicæ; deinde magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas præterea copias militum; deos denique immortales huic invicto populo[3], clarissimo imperio, pulcherrimæ urbi, contra tantam vim sceleris, præsentes auxilium esse laturos. Quod si jam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti; num illi in cinere urbis, et sanguine[4] civium, quæ mente conscelerata ac nefaria concupierunt, se consules[5] ac dictatores, aut etiam reges sperant futuros? Non vident id se cupere, quod si adepti fuerint, fugitivo alicui, aut gladiatori[6] concedi sit necesse?

Tertium genus[7] est ætate jam affectum, sed tamen

essent, ad honores tamen et imperia quoquo modo pervenire cupiebant; ideoque novis rebus studebant, quod facile cernerent, se quieta republica, numquam ea quæ optabant consequuturos. Imitatio Æschinis in Ctesiphontem.

2. *Id, quod conantur.* Ut reipublicæ facies immutetur.

3. *Huic invicto populo.* Sic pro Plancio populum romanum vocat principem populum, et omnium gentium dominum, atque victorem. Quibus etiam verbis utitur VI in Antonium.

4. *In cinere urbis, et sanguine.* Quoniam supra sæpe dixerat, eos de cæde tantum et incendiis cogitare. MSS *in sanguine.*

5. *Se consules ac dictatores.* Melius forte, ut nuper Garaton. e Lamb. et MSS edidit, « consules se ac dictatores ». J. V. L.

6. *Fugitivo alicui, aut gladiatori.* Servorum enim, et gladiatorum magna in exercitu Catilinæ vis fuit; ergo si ille, quod optabat, consequutus fuisset, sine dubio tradidisset honores, mandassetque imperia, non iis qui votis ipsi favissent, spectatoresque otiosos se præbuissent, sed iis quorum in bello gerendo virtutem et industriam expertus esset.

7. *Tertium genus.* Duo priora genera erant eorum qui favebant quidem conjurationi, sed ita tamen ut arma non caperent, neque ad exercitum profici-

exercitatione robustum : quo ex genere est ipse Mallius, cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex iis coloniis[8], quas Fesulis[9] Sulla constituit : quas ego universas civium esse optimorum, et fortissimorum virorum sentio; sed tamen hi sunt coloni, qui se in insperatis repentinisque[10] pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt. Hi dum ædificant, tamquam beati; dum prædiis, lecticis, familiis magnis[11], conviviis apparatis delectantur, in tantum æs alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus. Qui etiam nonnullos agrestes[12], homines tenues atque egentes, in eamdem illam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utrosque, Quirites, in eodem genere prædatorum direptorumque pono. Sed eos hoc moneo : desinant furere, ac proscriptiones et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati[13], ut jam ista

scerentur ; nunc illos qui in exercitu erant enumerat. Veteres libri habent : « Tertium genus est ætate jam effœtum... Quo ex genere iste est Mallius », loco « est ipse Mallius ».

8. *Ex iis coloniis.* Sulla milites, quorum erat auxilio usus, magnis et muneribus et honoribus prosequutus est; nam e gregariis etiam militibus alios senatores fecit, alios ita divites, ut regio victu, quod ait Sallustius, atque cultu ætatem agerent; præterea in multa Italiæ oppida militum suorum colonias deduxit, interque eos civium domos agrosque partitus est. Ex illis igitur militibus multi qui, largius suo usi, in inopiam ex abundantia quum decidissent, veterum rapinarum memores, nihil aliud quam bellum civile cupiebant; nacti Mallium ducem, qui ipse quoque sub Sulla strenue militaverat, Catilinæ partes insequebantur.

9. *Quas Fesulis.* Vox *Fesulis* auctoribus Mureto, Manut. Lamb. Lallem. delenda videtur; non enim plures colonias Sulla *Fesulis* constituerat.

10. *Qui se in insperatis repentinisque. In* abest. Natura comparatum est ut qui subito et præter spem ad magnas pecunias pervenerunt, ii et jactent se ob eas insolentius, et eis intemperantius abutantur.

11. *Familiis magnis.* Magno numero servorum.

12. *Nonnullos agrestes.* Quos supra vocavit rusticos decoctores.—*Tenues.* Ita eleganter vocantur pauperes. Cicero pro Roscio Amer. « Quod si accedit eodem, ut tenuis antea fuerit? » Et paullo post : « Is qui antea tenuis fuerit, an is qui postea factus sit egentissimus ».

13. *Inustus est civitati.* Impressus est animo civium.

non modo homines, sed ne pecudes quidem[14] mihi passuræ esse videantur.

X. Quartum genus[1] est sane varium, et mixtum, et turbulentum; qui jampridem premuntur; qui numquam emergent; qui partim inertia, partim male gerendo negotio[2], partim etiam sumptibus, in vetere ære alieno vacillant; qui vadimoniis, judiciis, proscriptionibus bonorum[3] defatigati, permulti et ex urbe et ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tam milites acres, quam infitiatores[4] lentos esse arbitror. Qui homines primum si stare non possunt, corruant[5]: sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. Nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honeste[6] non possunt, perire turpiter[7] velint; aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur.

Quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum; quos ego a Catilina non revoco: nam neque divelli ab eo possunt; et pereant

14. *Ne pecudes quidem.* Liberior figura ex Platone sumpta, quam etiam de Anglia loquens imitata est clarissima femina *de Stael.*

X. 1. *Quartum genus.* Primum genus, obærati, amantes possessionum. Secundum, obærati, honorum cupidi. Tertium, Sullani milites. Quartum, urbani decoctores. Quintum, scelerati, sicarii, parricidæ. Sextum, impuri et impudici.

2. *Male gerendo negotio.* Rem familiarem male curando.

3. *Vadimoniis, judiciis, proscriptionibus bonorum.* Præclarus ordo: primum enim vadatur creditor debitorem. Si debitor vadimonium deseruerit, judicium adversus eum datur, mittiturque creditor in possessionem. Si per triginta dies bona possessa fuerint, proscribuntur.

4. *Infitiatores.* Schütz. ex Heumanno et al. sed sine MSS *insidiatores.*—*Infitiatores.* Id est, ad negandum iis quibus debent exercitati.—*Lentos.* Ad arma parum aptos.

5. *Si stare non possunt, corruant.* Id est, si ita oppressi sunt, ut retinere statum et fortunas suas non queant; subeant infamiam, patiantur bona sua proscribi, exeuntes civitate; sed ita ut nullum incommodum e ruina ipsorum non modo ad civitatem, sed ne ad vicinos quidem perveniat.

6. *Vivere honeste.* Locum et statum in civitate obtinendo.

7. *Perire turpiter.* In bello contra patriam.

sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi, ut eos capere carcer non possit.

Postremum[8] autem genus est, non solum numero, verum etiam genere ipso atque vita; quod proprium est Catilinæ, de ejus delectu, imo vero de complexu ejus ac sinu: quos pexo capillo[9], nitidos, aut imberbes[10], aut bene barbatos videtis; manicatis et talaribus tunicis[11]; velis amictos, non togis: quorum omnis industria vitæ, et vigilandi labor in antelucanis cœnis[12] expromitur. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. Hi pueri tam lepidi ac delicati, non solum amare et amari, neque cantare et saltare, sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt: qui nisi

8. *Postremum.* Duplicem habet sensum; nam et id, quod ultimo loco ponitur, postremum dicimus; et homines dissolutos, abjectos, nequitiæ ac libidini deditos, non absque elegantia, postremos homines nominamus. Genus igitur illud hominum non tantum numero, verum etiam genere ipso atque vita postremum est.

9. *Pexo capillo.* Mollitiem significat; itaque ex contrario Horatius: « Hunc et incomptis Curium capillis Utilem bello tulit, et Camillum Sæva paupertas ».

10. *Imberbes.* Vel ætate, vel artificio. — *Aut bene barbatos.* Manutius conj. *pæne barbatos.* Garaton. *belle. Bene barbatos.* Id est, comta et delibuta unguentis barbula. Barbam aluerunt Romani usque ad annum U. C. 454, quo tempore primum e Sicilia tonsores in Urbem adduxit P. Licinius Mena, ut est apud Plinium, lib. XIII; ideoque tam sæpe Cicero veteres illos barbatos vocat, pro Muræna : « Apud illos barbatos »; pro Cœlio : « Aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis »; pro Sextio : « Unum te aliquem ex barbatis illis ». Postea increbuit consuetudo, ut barbam alerent juvenes, raderent senes, ut cognoscitur ex A. Gellio. Cicero igitur hoc loco *bene barbatos* quum dicit, homines adolescentulos significat. Sic ad Attic. « Concursabant barbatuli juvenes ».

11. *Manicatis et talaribus tunicis.* Quarum utraque mulieribus permissa, viris maxime indecora habebatur. — *Velis amictos, non togis.* Togarum laxitatem et tenuitatem significat. Homines austeriores curtas et strictiores togas habebant, ut Cato : « Exiguæque togæ simulet textura Catonem ». Lauti vero et delicati laxas. Pedo Albinovanus de Mecænatis obitu : « Aut tibi ventosi quid nocuere sinus? » Et Tibullus : « Defluit effuso cui toga laxa sinu ». Vid. A. Rubenium de re vestiaria, II, cap. 12.

12. *In antelucanis cœnis.* A prima nocte ad auroram usque productis.— *Hi pueri.* Adolescentes tam molles.

exeunt, nisi pereunt, etiamsi Catilina perierit, scitote hoc in republica seminarium Catilinarium [13] futurum. Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præsertim jam noctibus [14]? Quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas ac nives perferent? nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare [15] didicerunt. O bellum magnopere pertimescendum, quum hanc sit habiturus Catilina scortorum [16] cohortem prætoriam [17]!

XI. Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras [1] Catilinæ copias vestra præsidia vestrosque exercitus: et primum gladiatori illi confecto et saucio [2], consules imperatoresque vestros opponite; deinde contra illam naufragorum [3] ejectam ac debilitatam manum, florem totius Italiæ ac robur educite. Jam vero [4] urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinæ tumulis [5] silvestribus. Neque vero ceteras copias, ornamenta, præsidia vestra, cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo. Sed, si, omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus [6], eget ille, senatu, equitibus ro-

13. *Catilinarium*. Rectius forte, « Catilinarum ». J. V. L.

14. *His præsertim jam noctibus*. Tam longis tamque frigidis.

15. *Quod nudi in conviviis saltare*. Saltare ipsum probro vertebatur apud Romanos, saltare in conviviis nudum summæ infamiæ.

16. Olim, *scortatorum*; Lambinus utrumque verbum retinendum putat. Ridicule. J. V. L. — Scortum dicitur etiam de viris muliebria patientibus.

17. *Cohortem prætoriam*. Quam ipse prætor, id est, imperator, perpetuo circa se habeat.

XI. *Tam præclaras*. Tam egregias et formidandas. Ironia.

2. *Confecto et saucio*. Roma expulsus Catilina erat confecti instar gladiatoris, cui sola mors reliqui est.

3. *Naufragorum*. Qui fortunis omnibus eversi, ab omni re et spe derelicti jacent.

4. Muret. conj. *vires*; Garat. *arces*.

5. *Tumulis*. Aliquot MSS *cumulis*.

6. Al. *superamus*. J. V. L.

manis, populo, urbe; ærario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus; si, inquam, his rebus omissis, ipsas causas, quæ inter se confligunt, contendere[7] velimus: ex eo ipso, quam valde illi jaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido; denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus; postremo copia cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In hujusmodi certamine ac prælio, nonne, etiamsi hominum studia deficiant, dii ipsi immortales cogent ab his præclarissimis virtutibus tot et tanta vitia superari?

XII. Quæ quum ita sint, Quirites, vos, quemadmodum jam antea[1], vestra tecta custodiis vigiliisque defendite: mihi, ut urbi sine vestro motu, ac sine ullo tumultu, satis esset præsidii, consultum ac provisum est[2]. Coloni omnes municipesque vestri, certiores a me facti de hac nocturna excursione Catilinæ, facile urbes suas finesque defendent: gladiatores, quam sibi ille maximam manum et certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt, quam pars

7. *Contendere.* Conferre, comparare. — *Causæ* h. l. sunt virtutes et vitia, quæ invicem sibi repugnant, et ad mutuum ineundum certamen impellunt.

XII. 1. *Antea.* Nempe fecistis. Al. « jam antea dixi ». J. V. L.

2. *Mihi... consultum ac provisum est.* Id est, ego consului ac providi, ut Urbi satis esset præsidii. Græcum loquendi genus, quale illud e Divinatione: « Magno studio mihi a pueritia est elaboratum ».

28.

patriciorum, potestate tamen nostra continebuntur. Q. Metellus, quem ego, prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumque præmisi, aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus conatusque prohibebit. Reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis[3], jam ad senatum referemus, quem vocari videtis.

Nunc illos, qui in urbe remanserunt, atque adeo qui contra urbis salutem, omniumque vestrum, in urbe a Catilina relicti sunt, quamquam sunt hostes, tamen, quia nati sunt cives, monitos etiam atque etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior[4] visa est, hoc exspectavit, ut id, quod latebat, erumperet: quod reliquum est, jam non possum oblivisci, meam hanc esse patriam, me horum esse consulem; mihi aut cum his vivendum, aut pro his esse moriendum. Nullus est portæ custos, nullus insidiator viæ[5]: si qui exire volunt, consulere sibi possunt; qui vero in urbe se commoverit, cujus ego non modo factum, sed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero, sentiet in hac urbe esse consules vigilantes, esse egregios magistratus, esse fortem senatum, esse arma, esse carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt.

XIII. Atque hæc omnia sic agentur, Quirites, ut res maximæ minimo motu, pericula summa nullo tumultu[1], bellum intestinum ac domesticum, post

3. *Constituendis, maturandis, agendis.* Præclarus ordo; nam antequam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est.

4. *Solutior.* Remissior, negligentior. Severus et solutus, sive dissolutus ap. Ciceronem opponuntur. Cf. Orat. I, 2.

5. *Insidiator viæ.* Qui eos qui ad Catilinam proficiscuntur, impediat, aut occidat.

XIII. 1. *N. tumultu.* I. e nulla commotione populi, nulla concertatione.

hominum memoriam crudelissimum ac maximum, me uno togato duce[2] et imperatore, sedetur: quod ego sic administrabo, Quirites, ut, si ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquam in hac urbe pœnam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestæ audaciæ, si impendens patriæ periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerit[3], illud profecto perficiam, quod in tanto et tam insidioso bello vix optandum videtur, ut ne quis bonus[4] intereat, paucorumque pœna vos jam omnes salvi esse possitis. Quæ quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites; sed multis et non dubiis deorum immortalium significationibus[5], quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus: qui jam non procul, ut quondam solebant, ab externo[6] hoste atque longinquo, sed hic præsentes suo numine atque auxilio sua templa atque urbis tecta defendunt: quos vos, Qui-

2. *Me uno togato duce.* Dum civilibus rebus præsum. Hoc est, quod postea jactavit illo invidioso versiculo: « Cedant arma togæ ». Porro consulares viri, etiam quum publice ibatur ad saga, togati tamen esse consueverant.

3. *Deduxerit.* Sic codd. quinque Oxon. et multi alii, quos Gœrenz. probat ad Cic. Acad. II, 1. Vulgo *deduxerint.* J. V. L.

4. Alii, « ut neque quisquam bonorum »; al. « ut neque bonus quisquam ». J. V. L.

5. *Deorum immortalium significationibus.* Tales videlicet significationes dicit qualis est ea, quam commemorant Dio et Plutarchus. Nempe quum in Ciceronis domo virgines vestales sacra solemnia ex more pro populi salute cum Terentia Ciceronis uxore facerent, longe solito altius se extulisse flammam. Sed uterque hoc contigisse ait, quum jam Lentulus abdicare se prætura coactus esset. His autem ex industria prodigiis mire ad augendos populi animos utitur Cicero. — Verbum autem *significare* et *significatio* esse aruspicinæ, atque adeo omnis divinationis, ex hoc et aliis locis docuit Broukhus. ad Tibull. II, 1, 26.

6. *Ab externo.* Olim legebatur *extero.* Correxit Grævius ex vett. codd. cui nos accesserimus, quod *externus* magis *domestico* soleat opponi. Sic T. Livius, XXXV, 14: « ut Italiæ gentes regis externi, quam populi romani tamdiu principis in ea terra, imperium esse mallent ». Conf. etiam Sallust. Hist. I, 8, et ipsum Tul-

rites, precari, venerari[7] atque implorare debetis, ut, quam urbem pulcherrimam, florentissimam, potentissimamque esse voluerunt, hanc, omnibus hostium copiis terra marique superatis, a perditissimorum civium nefario scelere defendant.

lium, de Offic. II, 8; III, 12; IV, 10.

7. *Precari, venerari.* Venerari est orare, quod et veniam petere dicitur. Sic Virgilius: « Multa movens animo nymphas venerabar agrestes, Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis, Rite secundarent visus, omenque levarent ».

M. TULLII CICERONIS

ORATIO TERTIA

IN L. CATILINAM

ARGUMENTUM.

Postquam Catilinam in castra Malliana profectum esse Romæ compertum est, senatus, ut narrat Sallustius, c. 36 seqq. Catilinam et Mallium hostes judicat; præterea decernit, uti consules delectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi præsidio sit. Eodem tempore Lentulus Sura P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque si possit, impellat ad societatem belli. Umbrenus postquam eos videt queri de avaritia magistratuum, eos in domum absentis Bruti foro propinquam ducit, ibi præsente Gabinio conjurationem aperit, socios nominat, dein eos pollicitos operam suam dimittit. Allobroges re deliberata, pro incerta spe, certa præmia mereri malunt; Q. Fulvio Sangæ rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero per Sangam consilio cognito legatis præcipit, ut studium conjurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam, ut eos quam maxime manifestos habeant..... At Romæ Lentulus cum ceteris, qui principes conjurationis erant, paratis, ut videbantur, magnis copiis, constituerunt, ut Catilina in agrum Fesulanum quum venisset, L. Bestia tribunus plebis, concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissimi invidiam optimo consuli imponeret; eo signo proxima nocte cetera multitudo conjurationis suum quisque negotium exsequerentur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur. Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem et ceteros, quibus insidiæ parabantur, fieret; Cethegus Ciceronis januam obsideret, eum vi aggrederetur; alius autem alium, filii familiarum, quorum ex nobilitate maxima pars, parentes interficerent, simul cæde et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent..... Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt, ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant jusjurandum, quod signatum ad cives perferant; aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant; Cassius

semet eo brevi venturum pollicetur, ac paullo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his Vulturcium quemdam Crotoniensem mittit, ut Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Vulturcio literas ad Catilinam dat. His rebus ita actis constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomptino prætoribus imperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant. Homines militares, sine tumultu, præsidiis collocatis, sicuti præceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Vulturcio venere et simul utrinque clamor exortus est, Galli, cognito consilio, sine mora prætoribus se tradunt. Vulturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; dein, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus, ac vitæ diffidens, veluti hostibus, sese prætoribus dedit. Quibus rebus confectis omnia propere per nuntios consuli declarantur. Cicero igitur vocari ad sese jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabiniumque, itemque Ceparium Tarracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt; Ceparius, paullo ante domo egressus, cognito indicio, ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse manu tenens, in senatum perducit; reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ venire jubet. Eo senatum advocat, magnaque frequentia ejus ordinis, Vulturcium cum legatis introducit; Flaccum prætorem scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem adferre jubet. Facile conjurationis principes indiciis et literis convincuntur, quos postquam in custodiam tradi jussit senatus, indicibus præmia et Ciceronis nomine diis immortalibus supplicatio decernitur : qui honos ante Ciceronem togato contigit nemini; atque hoc a ceteris interfuit, quod ceteræ de republica bene gesta, hæc una conservata republica sit constituta.

Postquam dimissus senatus, Cicero sub noctem concionem populi habet, in qua rem omnem, de patefactis conjuratorum consiliis, enarrat.

Ac primo quidem sibi et civibus gratulatur orator, quod Roma

ab atrocissimo discrimine servata sic ac restituta, cap. 1. Inde vivida et luculenta narratione hoc die gesta singulatim describit, 2-5. Deinde quod senatus censuerit, nondum perscripto SCto, ex memoria exponit; in primis de conjuratis in liberam custodiam traditis, 6. Itaque Cicero populum existimare jubet, omnes Catilinæ copias, omnes spes atque opes, his depulsis urbis periculis, concidisse, 7. Sequitur magnificentissima deorum laudatio, quorum nutu ac consilio omnia gesta sunt, et qui ita Romam servaverunt, ut tamquam administro tantum Cicerone sint usi. Tum prodigia hoc ipso anno visa, tum maxime Jovis simulacrum hoc ipso mane ex augurum monitu in Capitolio statutum commemorat. Totum hunc loc. non oratorie minus quam poetice tractat, et ita deos inducit Cicero, ut eis detectæ conjurationis laus merito apud populum tributa esse videatur, 8, 9. Postremo, Quirites hortatur, ut supplicationem decretam cum conjugibus ac liberis celebrent, 10; seque nullum præmium pro tantis rebus gestis præterquam hujus diei memoriam sempiternam postulare, significat, 11; hortaturque eos, ut provideant, ne sibi sua facta aliquando noceant; postremo eos æque ac priore nocte tecta custodiis vigiliisque defendere jubet, 12.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN L. CATILINAM,
ORATIO TERTIA,
AD QUIRITES.

ORATIO PRIMA ET VICESIMA.

I. Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consiliis, periculisque meis, ex flamma[1] atque ferro, ac pæne ex faucibus fati[2] ereptam, et vobis conservatam ac restitutam videtis. Et, si non minus[3] nobis[4]

I. 1. *Ex flamma atque ferro.* Ex incendiis et cæde. Hypallage.

2. *Ex faucibus fati.* Metaphora a feris ducta. Credebant veteres, quo temporis puncto quis nasceretur, eo ipso fataliter constitui de morte atque interitu ipsius; quod indicat hic versiculus Manilii: « Nascentes morimur, finisque ab origine pendet ». Et illud Senecæ: « Primusque dies dedit extremum ». Atque hac potissimum in re vim fati elucere arbitrabantur; inde factum opinor, ut morti atque interitui fati nomen tribuerint.

3. *Et si non minus.* Argumentum a pari. Paria sunt condere urbem et conditam servare. Is, qui urbem condidit, in deorum numerum relatus est; igitur et is qui eamdem servavit, in honore et apud vos et apud posteros esse debebit.

4. *Nobis jucundi atque illustres.* Illus-

jucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur[5]; quod salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur[6]: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem[7] condidit, Romulum, ad deos immortales[8] benivolentia famaque sustulimus, esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is[9], qui eamdem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. Nam toti urbi, templis[10], delubris, tectis ac mœnibus subjectos prope jam ignes circumdatosque restinximus; iidemque gladios in rempublicam destrictos retudimus, mucronesque eorum a jugulis vestris dejecimus[11]. Quæ quoniam in senatu illustrata[12], patefacta, comperta

tres diea proprie vocantur dies sereni, nubibusqne et imbribus carentes; uti *nox illustris* dicitur qua luna splendet. Hoe loco autem *illustres dies* sunt, quos quotannia ob memoriam alicujus rei celebramua ac colimus. Eorum partim sunt jucundi, ut ii quibus nati, aut a magno perieulo liberati sumus; quidam etiam *acerbi*, ut apud Virgil. «Jamque diea, ni fallor, adest quem semper acerbum, Semper bonoratum [sie di voluistis] babebo». Non frustra igitur bæe duo *jucundi atque illustres* conjunxerit.

5. *Quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur*. Natalem suum quisque quotannis celebrare consueverat, etiamque natalem eorum quos amabat; sed et eos dies colebant, quibus e magno aliquo discrimine erepti forent, ut Horatius kalendas martias, quod eo die casu arboris prope funeratus, tamen superstes fuerat. Vide lib. III, 8.

6. *Cum voluptate servamur*. Al. *conservamur*. J. V. L.

7. *Illum qui hanc urbem condidit*. Romulum urbis conditorem fuisse confirmata multorum seculorum consensu opinio est, neque tamen defuerunt e vetustis scriptoribus qui Romam multis fuisse ante Romulum ætatibus dicerent. Qua de re vide Solinum, Polyhist. cap. 2.

8. *Ad deos immortales*. Historia e Livio et aliis nota est. Ennius: «Romulus in cælo cum diis genitalibus ævum degit». Ei flaminem adjecit Numa, quem Quirinalem vocavit. Instituta etiam festa Quirinalia dicta, quæ celebrabantur 13 kalend. mart.

9. *Debebit is*. Se ipsum cum Romulo tacite confert, sed ita ut nullum arrogantiæ crimen subire posse videatur.

10. *Totius urbis templis*. Alteram lectionem dedit Græv. e MSS. J.V. L.

11. *A jugulis vestris dejecimus*. Al. *rejecimus*. J. V. L.

12. *Illustrata, patefacta, comperta*. Inversa gradatio. Nam primum Cicero perniciosa Catilinæ sociorum consilia compererat, deinde senatui patefecerat, denique illustraverat, id est, in

sunt per me, vobis jam exponam breviter, Quirites: ut et quanta, et quam manifesta, et qua ratione investigata et comprehensa sint, vos, qui ignoratis et exspectatis, scire possitis [13].

Principio [14], ut Catilina paucis ante diebus [15] erupit ex urbe, quum sceleris sui socios, hujusce nefarii belli acerrimos duces Romæ reliquisset: semper vigilavi [16], et providi, Quirites, quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salvi [17] esse possemus.

II. Nam tum, quum ex urbe Catilinam ejiciebam (non enim jam vereor hujus verbi invidiam, quum illa magis sit timenda, quod vivus exierit), sed [1] tum, quum illum exterminari volebam; aut reliquam conjuratorum [2] manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Atque ego [3], ut vidi, quos maximo furore et scelere

lucem produxerat. Aliquot habent: *compertaque*.

13. Reduxit Ernest. veterem lectionem, *ex actis scire possitis*, a pluribus tamen damnatum. J. V. L.

14. *Principio*. Hic caput secundum incipere posset; nam quæ præcedunt sunt totum orationis exordium; nunc jam incipit narratio.

15. *Paucis ante diebus*. Hic vicesimus quartus a Catilinæ profectione erat dies.

16. *Semper vigilavi*. Narratio fit credibilis, si non tantum quomodo quidque contigerit, verum etiam quibus de causis ita contigerit, explanatur. Expositurus quem in modum patefacta, et quasi e tenebris eruta conjuratio sit, Cicero prius proponit causam, quæ id effecerit, nempe suam vigilantiam ac providentiam in rempublicam. Simul autem hæc modesta officii sui prædicatio ac commendatio, non dici potest, quantum ad conciliandos auditorum animos valeat, et ad cetera præparet.

17. *Salvi*. Adnota quod sit officium ejus, cui commissa respublica est; nempe ut sopitis ac quiescentibus ceteris, ipse pro salute publica vigilet, quasique excubias agat. Franc. « salvi esse possitis ».

II. 1. *Sed tum*. Subaud. inquam, vel denique.

2. *Conjuratorum*. Ut juratus, qui juravit; injuratus, qui non juravit; sic et conjuratus, qui conjuravit.

3. *Atque ego*. Hoc in loco *atque* valet *statim*, *continuo*, *confestim*. Virgilius: « si brachia forte remisit, Atque illum in præceps prono rapit alveus amni ». Livius, XXVI, 39: « Hic Quintium simul pugnantem hortantemque suos incautus hasta transfigit; ille atque præceps, cum armis procedit ante proram ».

esse inflammatos[4] sciebam, eos nobiscum esse, et Romæ remansisse: in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut, quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem; ut, quoniam auribus vestris, propter incredibilem magnitudinem sceleris[5], minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum denium animis saluti vestræ provideretis, quum oculis maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi, legatos Allobrogum[6], belli Transalpini et tumultus Gallici[7] excitandi causa, a P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos cives[8], eodemque itinere[9], cum literis mandatisque, ad Catilinam esse

4. *Furore et scelere esse inflammatos.* Sic loquutus est libro quinto Accusationis: «Ipse inflammatus scelere ac furore in forum venit».

5. *Propter incredibilem magnitudinem sceleris.* Magna enim scelera non temere eredi, neque levi conjectura pendi solent; immo quo atrociora sunt, eo ad faciendam fidem pluribus et certioribus notis coarguenda sunt, ut præclare disputatur in oratione pro Sex. Roscio Amerino.

6. *Legatos Allobrogum.* Populi Galliæ Narbonensis, quorum caput *Geneva.* Dicebatur eis jus ab iis prætoribus, quibus illa provincia obtigerat; ut testatur Strabo, lib. IV. Ii tum legatos Romam miserant, questuros de avaritia magistratuum suorum; quos Lentulus per P. Umbrenum ad conjurationis societatem pertrahere molitus est. Sed vicit fortuna Romæ. Legati enim, timentes ne in pejora ruerent, totam rem ad Q. Fabium Sangam detulerunt. Sallust. Bell. Catil. c. 40, 41. Unde Horatius: «Novisque rebus infidelis Allobrox».

7. *Belli Transalpini et tumultus Gallici.* Id est, *belli* in Ulteriore, *tumultus* in Citeriore Gallia. Inter bellum et tumultum quid intersit, dixit ipse Cicero Philipp. VIII, cap. 1: «Potest esse bellum sine tumultu; tumultus esse sine bello non potest. Quid est enim aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? Unde etiam nomen ductum est tumultus; nempe a tumore rerum novarum. Itaque majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus; præterea nullum tumultum nominabant». — *A P. Lentulo.* Prætore.

8. *Ad suos cives.* Animadverte totam regionem Allobrogum, civitatem vocari. Sic apud Sallustium: «Itaque Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio plurimum civitas utebatur, rem omnem, uti cognoverunt, aperiunt». Sic et omnes Helvetii, civitas una. Cæsar: «Orgetorix... civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent».

9. *Eodem itinere.* Redeuntes enim in Galliam, iter per Etruriam facturi erant.

missos, comitemque iis adjunctum Vulturcium [10], atque huic datas esse ad Catilinam literas [11]: facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam a diis immortalibus, tota res non solum a me, sed etiam a senatu et a vobis manifesto deprehenderetur.

Itaque hesterno die [12] L. Flaccum et C. Pomptinium [13], prætores fortissimos [14], atque amantissimos reipublicæ viros, ad me vocavi; rem omnem exposui; quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de republica præclara atque egregia sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt, et, quum advesperasceret, occulte ad pontem Mulvium [15] pervenerunt, atque ibi in proximis villis ita bipartito [16] fuerunt, ut Tiberis inter eos, et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cujusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt, et ego ex præfectura [17] Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera in republica assidue utor, præsidio [18] cum gladiis mise-

10. *Vulturcium.* T. Vulturcium Crotoniensem, cui postea senatus præmia dedit amplissima.

11. *Literas.* Quarum exemplum infra videbimus.

12. *Hesterno die.* Sub noctem, opinor; ita enim in oratione pro Flacco: « O nox illa, quæ pæne æternas huic urbi tenebras attulisti, etc. »

13. Scribimus ubique *Pomptinius*, ut in Epist. ad Div. III, 15; ad Att. V, 1, etc. Et sic habent Fasti, et multi lapides. Al. *Pomtinus*, ut apud Sall. etc. J. V. L.

14. *Fortissimos atque amantissimos.* Utrumque necessarium erat; alterum ut possent exsequi ea quibus opus erat pro republica; alterum, ut vellent.

15. *Ad pontem Mulvium.* Hodie, *Ponte Mole*, milliarium distat Roma. Illo ponte Tiberis transeundus in Etruriam tendentibus. Hic locus ad insidias aptissimus; ibi postea Maxentium tyrannum devicit Constantinus.

16. Alii, *bipartiti.* J. V. L.

17. *Ex præfectura Reatina.* Reate urbs Umbriæ, nunc *Rieti*, quindecim milliariis Roma. Italiæ oppida partim coloniæ erant, partim municipia, partim præfecturæ. Præfecturæ deterioris erant conditionis quam coloniæ et municipia; quæ ideo nomen illud erant sortitæ, quod non suis legibus administrabantur, verum a prætore urbano præfectus illis Roma mittebatur, qui jus diceret.

18. Alii, « utor assidue in reip. præsidio, c. g. m. » J. V. L.

ram. Interim tertia fere vigilia exacta[19], quum jam pontem Mulvium magno comitatu[20] legati Allobrogum ingredi inciperent, unaque Vulturcius: fit in eos impetus; educuntur et ab illis gladii, et a nostris. Res erat prætoribus nota solis; ignorabatur a çeteris[21].

III. Tum, interventu Pomptinii atque Flacci, pugna, quæ erat commissa, sedatur. Literæ, quæcumque erant in eo comitatu, integris signis, prætoribus traduntur; ipsi comprehensi, ad me, quum jam dilucesceret, deducuntur. Atque horum omnium scelerum improbissimum machinatorem Cimbrum[1] Gabinium, statim ad me, nihildum[2] suspicantem, vocavi. Deinde item arcessitur[3] L. Statilius, et post eum C. Cethegus. Tardissime autem Lentulus venit; credo quod literis dandis, præter consuetudinem[4], proxima nocte vigilarat. Quum vero[5] summis ac clarissimis hujus civi-

19. *Tertia fere vigilia exacta.* Nox in quatuor partes, sive in quatuor vigilias æqualiter dividebatur, ab occasu ad ortum solis. Tertiam vigiliam in solstitio hiemis quarta hora matutina, in æquinoctio tertia hora, et in solstitio æstatis secunda hora finiebat. Tertia igitur vigilia fere exacta, est, quatuor fere horis antequam dilucesceret.

20. Alii, « cum magno com. »

21. *Ignorabatur a ceteris.* Si Sallustio fides adhibenda, Allobrogum quoque legatis nota erat; quum enim diu in incerto habuissent quid consilii caperent; tandem ut vidimus, Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio plurimum civitas eorum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiendam esse censuerunt. Cicero autem per Sangam consilio cognito, Allobrogibus præcepit, ut studium conjurationis vehementer simularent, ceteros adirent, bene pollicerentur, darentque operam uti eos quam maxime manifestos haberent.

III. 1. *Cimbrum Gabinium.* Hunc infra vocat P. Gabinium; et Sallustius quoque P. Gabinium Capitonem equitem romanum; Cimbri autem cognomen ex audacia forsan fuerit; neque enim inusitatum erat, ut unus haberet plura cognomina.

2. *Nihildum.* Pro nondum quidquam.

3. *Arcessitur.* Omnes veteres libri *accersitus est.*

4. *Præter consuetudinem.* Quia vigilare solitus non erat. Notat Lentulum, ut pigrum et somnolentum. Sic infra c. 7: « nec mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassii adipem, etc. »

5. *Quum vero.* Muretus particulam *vero* delendam censet, quasi temere et contra veterum librorum fidem inculcatam; sed in pluribus exstat MSS.

tatis viris, qui, audita re, frequentes ad me mane convenerant, literas a me prius aperiri, quam ad senatum deferri[6], placeret, ne, si nihil esset inventum, temere a me tantus tumultus injectus civitati videretur: negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Quirites, si ea, quæ erant ad me delata, reperta non essent: tamen ego non arbitrabar in tantis reipublicæ periculis mihi esse nimiam diligentiam pertimescendam. Senatum frequentem celeriter, ut vidistis, coegi[7]. Atque interea statim, admonitu Allobrogum, C. Sulpicium, prætorem, fortem virum, misi, qui ex ædibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret. Ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiorum extulit.

IV. Introduxi Vulturcium sine Gallis[1]; fidem ei publicam, jussu senatus, dedi[2]; hortatus sum, ut ea, quæ sciret, sine metu[3] indicaret. Tum ille, quum vix se ex magno timore recreasset[4], dixit: a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et literas, ut servorum præsidio[5] uteretur, et ad urbem quam primum cum exercitu accederet; id autem eo consilio, ut, quum urbem omnibus ex partibus[6], quemad-

6. Al. « referri », vel, ut Lallem. post multos, « referrem ». J. V. L.

7. *Coegi.* In ædem Concordiæ.

IV. 1. *Sine Gallis.* Ut singulis seorsum interrogatis cognosceretur ecquid eorum indicia inter se concinerent.

2. *Fidem ei publicam...dedi.* Hoc est, promisi ei nomine populi impunitatem et salutem. — *Jussu senatus.* Nam fides publica a nullo magistratu sine senatusconsulto promitti poterat.

3. Sic Græviani et Regii codd. Al. *timore.* J. V. L.

4. *Recreasset.* Sese collegisset. Ald. Grut. Oliv. *recepisset.* J. V. L.

5. *Servorum præsidio.* Catilina enim, ut narrat Sallustius, servitia repudiabat; id Lentulo displicebat.

6. *Omnibus ex partibus.* Duodecim opportunis urbis locis incendium excitare constituerant, ut Sallustius auctor est; at centum, si Plutarchum sequare. Dederant etiam negotium nonnullis obsidendorum aquæductuum, et interficiendorum, si qui, ut fit, ad exstinguenda incendia concurrissent.

modum descriptum distributumque erat, incendissent, cædemque infinitam[7] civium fecissent, præsto esset ille[8], qui et fugientes exciperet[9], et se cum his urbanis ducibus conjungeret.

Introducti autem Galli, jusjurandum sibi, et literas a P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt; atque ita sibi ab his et a L.[10] Cassio esse præscriptum, ut equitatum[11] in Italiam quam primum mitterent; pedestres sibi copias non defuturas; Lentulum[12] autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis[13] aruspicumque responsis[14], se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum hujus urbis atque imperium pervenire esset necesse; Cinnam ante se, et Sullam fuisse; eumdemque dixisse, fatalem hunc esse annum[15] ad interitum hujus urbis atque imperii, qui esset decimus annus post virginum abso-

7. *Cædemque infinitam.* Nulli omnino civi, præterquam Pompeii liberis, parcere decreverat Lentulus.

8. *Præsto esset ille.* Scilicet Catilina.

9. *Exciperet.* Verbum a venatoribus sumptum.

10. *A L. Cassio.* Longino, qui Ciceronis competitor fuerat in consulatu. Pedianus hæc de illo candidato consulari: «Cassium, qui iners, ac stolidus tum magis, quam improbus videretur, post paucos menses in conjuratione Catilinæ esse apparuit, ac cruentissimorum consiliorum fuisse auctorem».

11. *Equitatum.* Galli enim eo plurimum valebant.

12. *Lentulum.* Is, ut Cinna et Sulla, illustri erat gente Cornelia.

13. *Ex fatis Sibyllinis.* Al. *libris.* Gulielm. conj. *fastis.* *Fata Sibyllina* dicuntur oracula Sibyllina, libri Sibyllini, quos tamquam sacrarium imperii quindecimviri servabant, et difficili reipublicæ tempore consulebant. Livius lib. V, c. 13; lib. XXI, c. 62. Tres autem libros ex novem Tarquinius Superbus emerat pretio ingenti, qui fata imperii romani continere putabantur. Integri manserunt usque ad bellum Marsicum, quo, Capitolio incenso, ubi asservabantur, ipsi quoque igne corrupti sunt. Qui vero postea exstabant Sibyllini libri, ex variis fragmentis undecumque collecti erant.

14. *Aruspicumque responsis.* Aruspices a Romulo primum instituti sunt, eorumque munus fuit ex victima ante mactationem, et post eam ex extis, flamma, fumo, futura prædicare.

15. *Fatalem hunc esse annum.* Id est fato constitutum, ut ipse ab aruspicibus acceperat. Apud Sallust. computavisse dicitur ab incenso Capitolio vicesimum esse annum, quem sæpe ex prodigiis aruspices respondissent bello civili cruentum fore. Cap. 47.

lutionem [16], post Capitolii autem incensionem [17] vicesimus. Hanc autem Cethego [18] cum ceteris controversiam fuisse dixerunt, quod Lentulo et aliis, cædem Saturnalibus [19] fieri, atque urbem incendi placeret; Cethego nimium id longum [20] videri [21].

V. Ac, ne longum sit, Quirites, tabellas [1] proferri jussimus, quæ a quoque dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego signum [2]; cognovit. Nos linum incidimus [3]; legimus. Erat scriptum ipsius manu [4] Al-

16. *Post virginum absolutionem.* Scilicet vestalium. — *Absolutionem.* De incestu. Absolutæ sunt vestales virgines, M. Pisone defendente, de quo sic in Bruto, cap. 67 : « Is quum satis floruisset adolescens minor haberi est cœptus postea; deinde ex virginum judicio magnam laudem est adeptus ». Vulgo de Fabia vestali, sorore Terentiæ, Ciceronis uxoris, interpretantur, de qua ita Asconius in orat. in toga candida : « Fabia virgo vestalis, causam incesti dixerat, quum ei Catilina objiceretur; eratque absoluta hæc Fabia ». Illam accusaverat Clodius, multasque alias virgines implicuerat. Cato sive crediderit vestalem innocentem, sive Clodii pravum consilium introspexerit, illi tantum incussit pudorem, ut urbe exire coegerit. Quod *virgines* appellaverit, nihil mirum, quum non una Fabia rea esset, et Ciceronem decebat nihil peculiariter de uxoris sorore dicere.

17. *Post Capitolii autem incensionem.* L. Scipione et C. Norbano coss. custodum negligentia Capitolium an. Urb. cond. 670 conflagravit; quod a Q. Catulo, postea Hortensio et Metello coss. restitutum est.

18. *Cethego.* Hic est C. Cornelius Cethegus senator.

19. *Saturnalibus.* Saturnalia in Saturni honorem maxima lætitia celebrabantur per quinque vel septem dies; quorum primus dies erat XVI kal. jan. idcirco autem conjurati Saturnalia ad faciendam cædem constituerant, quoniam civitas tum tota vino atque hilaritati dedita facillime videbatur opprimi posse.

20. *Cethego nimium id longum.* Erat enim Cethegus præcipiti admodum ac temerario ingenio, unde et Cicero infra cap. 7, C. Cethegi furiosam temeritatem dicit, quod confirmat Sallustius cap. 43.

21. *Videri.* Nempe referebant. Nihil ergo cum Græv. corrigere attinet *videretur*, propter manifestam conjunctionem cum antecedentibus.

V. 1. *Tabellas.* In ceratis tabulis scriptitasse veteres notum est. Epistolas mittebant lino obligatas et annulo suo obsignatas. Idem mos fuit in Francia usque ad seculum proxime elapsum. Plautus : « Phænicium Calidoro... per ceram et linum, literasque interpretes.... salutem mittit ».

2. *Signum.* Mos veterum erat, ubi aliquem literis ab ipso scriptis premere, ac convincere volebant, antequam eas resignarent, jubere, ut signum cognosceret; cujus rei aliquot testimonia collegit P. Victorius in variis lectt.

3. *Nos linum incidimus.* Quo literæ clausæ erant.

4. Alii, « manu; Allobr. » J. V. L.

lobrogum senatui et populo, sese, quæ eorum legatis confirmasset, esse facturum; orare, ut item illi facerent, quæ sibi legati eorum recepissent [5]. Tum Cethegus, qui paullo ante aliquid de gladiis ac sicis, quæ apud ipsum erant deprehensæ, respondisset, dixissetque, se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis literis debilitatus atque abjectus, conscientia convictus, repente conticuit.

Introductus Statilius cognovit signum [6] et manum suam. Recitatæ sunt tabellæ in eamdem fere sententiam: confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo; et quæsivi, cognosceretne signum. Annuit. Est vero, inquam, signum notum [7], imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et cives suos: quæ quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit. Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum populumque literæ. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primo quidem negavit; post autem aliquanto, toto jam indicio exposito atque edito, surrexit; quæsivit a Gallis, quid sibi esset cum iis; quamobrem domum suam venissent; itemque a Vulturcio. Qui quum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent, quæsissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis loquutus: tum ille subito, scelere demens, quanta conscientiæ vis esset, ostendit. Nam, quum id posset infitiari, repente præter opinionem

5. Alii, « præcepissent ». Paullo infra, post *aliquid*, alii *tamen*, quod unice verum defendit Doering.

6. Alii, « manum et signum suum ». J. V. L.

7. *Signum notum*. In vulgatis, *signum quidem*. Veteres, ut nunc aliquoties, in annulis signatoriis, quas cuique libitum erat imagines exprimendas curabant. Sæpissime tamen imagine alicujus præstantis viri utebantur. Sic hic P. Lentulus, cognomento Sura, imagine avi sui, P. Lentuli principis senatus, qui contra C. Gracchum pugnavit, et in ea pugna grave vulnus accepit, in signandis epistolis utebatur.

omnium confessus est. Ita eum non modo ingenium illud, et dicendi exercitatio [8], qua semper valuit, sed etiam, propter vim sceleris manifesti atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasque defecit. Vulturcius vero subito proferri literas atque aperiri jussit, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus, tamen et signum suum, et manum cognovit. Erant autem scriptæ sine nomine, sed ita: « Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Cura, « ut vir sis; et quem in locum sis progressus, co« gita; et vide [9], quid jam tibi sit necesse. Cura, ut « omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum [10] ».

Gabinius deinde introductus, quum primo impudenter respondere cœpisset, ad extremum nihil ex iis, quæ Galli insimulabant, negavit.

Ac mihi quidem, Quirites, quum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio; tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnumquam inter se adspiciebant, ut non jam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi [11] viderentur.

VI. Indiciis expositis atque editis, Quirites, senatum consului, de summa republica [1] quid fieri placeret. Dictæ sunt a principibus [2] acerrimæ ac fortissimæ sen-

8. *Dicendi exercitatio.* Tullius in Bruto refert eum inter oratores, Hortensii æquales.

9. Alii, « et cogita, q. i. l. s. p.; et vide. » J. V. L.

10. *Etiam infimorum.* Catilina, dignitatis causa, servos repudiaverat qui ad ipsum confugerant; Lentulus ei suadet ut, quum hostis patriæ sit declaratus, nec ulli jam sit rei parcendum, sibi servorum auxilia adjungàt.

11. Alii, « sed ipsi a se viderentur ».

VI. 1. *De summa republica.* De rebus ad summam reip. pertinentibus. Oportebat enim, ait Varro, eum qui senatum habebat referre aut indefinite de rep. aut de singulis rebus finite.

2. *A principibus.* Ab iis qui primi

tentiæ, quas senatus sine ulla varietate[3] est consequutus. Et quoniam nondum est perscriptum senatusconsultum[4], ex memoria vobis, Quirites, quid senatus censuerit, exponam. Primum mihi gratiæ verbis amplissimis aguntur, quod virtute, consilio, providentia mea, respublica periculis sit maximis liberata. Deinde L. Flaccus et C. Pomptinius, prætores, quod eorum opera forti fidelique usus essem, merito ac jure laudantur; atque etiam viro forti, collegæ meo, laus impertitur, quod eos, qui hujus conjurationis[5] participes fuissent, a suis et reipublicæ consiliis removisset. Atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, quum se prætura abdicasset[6], tum in custodiam traderetur; itemque uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes præsentes erant[7], in custodiam[8] traderentur:

sententiam rogati sunt; a consularibus. Non enim princeps senatus, sed qui consul designatus erat primus sententiam dicebat, eo quod decreta senatus exsequenda ad ejus loci senatores plerumque pertinerent; ideoque circumspectiora cautioraque eorum consilia plerumque erant.

3. *Sine ulla varietate.* Nondum constitutum erat de supplicii genere, qua de re postea variæ sententiæ fuerunt; sed de custodia dumtaxat. Senatusconsultum de nece in sententiam Catonis factum est nonis dec. quo die quarta habita est oratio.

4. *Perscriptum senatusconsultum.* Perscribebantur primum senatusconsulta; deinde ad ærarium deferebantur.

5. *Hujus conjurationis participes.* C. Antonius Ciceronis collega in consulatu, non alienus a conjuratione putabatur, tum propter æris alieni magnitudinem, tum propter Catilinæ familiaritatem. Unde Cicero provinciam opulentiorem, quam sortitus fuerat, egenti Antonio concessit, ut a conjurationis consiliis eum abduceret. Senatum Antonius non fallebat, et laudem impertitam temporibus, non meritis, debuit.

6. *Se prætura abdicasset.* Consul ante aliquot annos fuerat; postea quum senatu motus esset a Gellio et Lentulo, qui severissimam censuram egerunt, denuo præturam petiit, ut ordinem senatorium, quem censoria notatione amiserat, jure magistratus recuperaret.

7. *Qui omnes præsentes erant.* Ceteri igitur infra nominati non aderant, Cassius, Ceparius, Furius, Chilo, Umbrenus.

8. *In custodiam traderentur. In custodiam*, non in carcerem, sed in custodiam liberam. Sic erat, quando nobilior reus domibus magistratuum custodiebatur, vel fidejussoribus committebatur. Lentulus P. Lentulo Spin-

atque idem hoc decretum est in L. Cassium, qui sibi procurationem incendendæ urbis depoposcerat; in M. Cæparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam, erat indicatum; in P. Furium, qui est ex his colonis, quos Fesulas [9] L. Sulla deduxit; in Q. Manlium Chilonem [10], qui una cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus; in P. Umbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos [11] esse constabat. Atque ea lenitate senatus est usus, Quirites, ut ex tanta conjuratione, tantaque vi ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum [12] perditissimorum pœna, republica conservata, reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. Atque etiam supplicatio [13] diis immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est, Quirites: quod mihi primum post hanc urbem conditam togato contigit. Et his decreta verbis est, QUOD URBEM INCENDIIS, CÆDE CIVES, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quæ

theri, qui tum ædilis erat; Cethegus Q. Cornificio; Statilius C. Cæsari; Gabinius M. Crasso; Cæparius, paullo ante ex fuga retractus, Cn. Terentio senatori traditi sunt.

9. *Ex his colonis, quos Fesulas.* Alii, *coloniis quas.* Male; non enim plures colonias a Sulla Fesulis constitutæ sunt, neque in unam urbem deduci potuerunt.

10. *Manlium Chilonem.* Plurimi *Magium.*

11. *Gallos ad Gabinium perductos.* Sallustius non Gallos ad Gabinium, sed eos in domum D. Bruti perductos, eodemque Gabinium arcessitum docet, quo major sermoni auctoritas inesset.

12. *Novem hominum.* De quinque tantum, auctore Sallustio, cap. 55, et ipso Cicerone in oratione pro Sulla, cap. 11, sumptum supplicium est, Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cæpario; reliqui quatuor deprehensi non sunt, Cassius, Furius, Chilo, Umbrenus. Quod autem novem hominum pœna rempublicam esse conservatam ait, significat id, quod senatus de totidem puniendis censuerat, quamquam in potestate non essent.

13. *Atque etiam supplicatio.* Festi dies ex senatusconsulto, propositi a L. Cotta, quibus pro re bene gesta diis immortalibus gratiæ agerentur. Ea uni Ciceroni, post oppressam conjurationem Catilinariam, togato, id est, non foris, sed domi de republica bene merito, concessa est. Putabatur autem supplicatio esse prærogativa triumphi, ut e Catonis epistola cognoscitur.

supplicatio si cum ceteris conferatur, Quirites, hoc intersit[14], quod ceteræ bene gesta, hæc una, conservata republica, constituta est. Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est. Nam P. Lentulus, quamquam patefactus indiciis et confessionibus suis, judicio senatus, non modo prætoris jus, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit : ut, quæ religio[15] C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, prætorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

VII. Nunc, quoniam[1], Quirites, sceleratissimi periculosissimique belli[2] nefarios duces captos jam et comprehensos tenetis, existimare debetis, omnes Catilinæ copias, omnes spes atque opes[3] his depulsis urbis periculis, concidisse. Quem quidem ego quum ex urbe pellebam[4], hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi esse P. Lentuli[5] somnum,

14. Græv. e codd. *interest.* J. V. L.

15. *Ut, quæ religio.* Id est, dubitatio, scrupulus. Argumentum a minore ad majus. Si Marius non timuit Glauciam prætorem, qui eum Saturnino tribuno plebis faciebat, interficere, nos liberati sumus omni religione, seu metu, si Lentulum puniamus. C. Mario tantum commissa erat respublica, nihil nominatim de Glaucia decretum erat. At senatus non tantum mihi remp. commisit, sed etiam nominatim decrevit, ut Lentulus in custodiam traderetur; quo decreto videtur eum condemnasse. Glaucia prætor erat; Lentulus non modo prætoris jus, sed civis etiam amisit. Mario tamen religio non fuit Glauciam interficere. Nos ut ex religione liberaremur, voluit senatus Lentulum prætura se abdicare.

VII. 1. *Nunc, quoniam.* Exposita tota re, conjuratos retundit, bonosque cives confirmat, ostenditque quanti publice interfuerit Catilinam ex urbe pelli; numquam enim futurum fuisse, ut hæc tam facile reprimerentur, si ille in urbe remansisset.

2. *Periculosissimi belli.* Nempe domestici et intestini, quo vehementius imminet periculum. — *Sceleratissimi.* Quia ab hominibus scelestissimis contra patriam geritur.

3. *Opes.* Præsidia, auxilia, quæ suos sibi laturos esse socios sperabat Catilina.

4. *Pellebam.* Cod. Franc. Duisb. al. *depellebam.*

5. *Lentuli somnum.* Somnolentiam,

nec L. Cassii adipem, nec Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus, sed tamdiu, dum mœnibus urbis continebatur. Omnia norat, omnium aditus[6] tenebat; appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat; erat ei consilium[7] ad facinus aptum; consilio autem neque lingua, neque manus deerat. Jam ad certas[8] res conficiendas certos homines[9] delectos ac descriptos habebat. Neque vero, quum aliquid mandaverat[10], confectum putabat. Nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret; frigus, sitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem (dicam id, quod sentio, Quirites), non facile hanc tantam molem mali a cervicibus vestris depulissem. Non ille vobis Saturnalia[11] constituisset, neque tanto ante exitii[12] ac fati diem reipublicæ denuntiasset, neque commisisset, ut signum, ut literæ suæ, testes denique manifesti sceleris deprehenderentur.

ignaviam. — *Cassii adipem.* Id est, Cassium corporis obesitate et pinguetudine tardum et stolidum. Quid de eo dixerit Asconius, confer supra cap. 4, not. 10.

6. *Omnium aditus.* Opportunum tempus quo adiri quisque poterat. — *Tentare.* Animi sensus explorare. — *Sollicitare.* In partes suas trahere.

7. *E. ei consilium.* Calliditas, ingenii versutia. — *Lingua.* Ars persuadendi. — *Manus.* Animus ad exsequendum.

8. Al. *ceteras r.* J. V. L.

9. *Certos homines.* Spectatæ fidei. — *Descriptos.* Id est, divisos et ad quas quisque vices obeundas aptus esset destinatos. *Describere* sæpe est distribuere, disponere, assignare.

10. *Neque vero, quum aliquid mandaverat.* Homines acres atque in agendis rebus exercitati, obire ipsi potius omnia, quam mandare aliis, solent; quo nomine Philippum etiam alicubi commendat Demosthenes. Notus est apologus apud Gellium de Cassita. — *Tam acrem.* Acrius quod sibi expediat perspicientem. — *Paratum* ad tentanda, quæ rerum ratio postulat, omnia.

11. *Non ille vobis Saturnalia.* Al. *nobis.* Non exspectasset ad medium decembrem, sed multo ante Urbem incendisset, etc.

12. Al. *exitium.* J. V. L.

Quæ nunc, illo absente, sic gesta sunt, ut nullum in privata domo furtum umquam sit tam palam inventum, quam hæc tanta in republica[13] conjuratio manifesto inventa atque deprehensa est. Quod si Catilina in urbe ad hanc diem remansisset, quamquam, quoad fuit, omnibus ejus consiliis occurri atque obstiti, tamen, ut levissime dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset; neque nos umquam, dum ille in urbe hostis fuisset, tantis periculis rempublicam, tanta pace, tanto otio, tanto silentio[14], liberassemus.

VIII. Quamquam hæc omnia[1], Quirites, ita sunt a me administrata, ut deorum immortalium nutu atque consilio et gesta, et provisa esse videantur: idque quum conjectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio[2] esse potuisse; tum vero ita præsentes his temporibus opem et auxilium nobis tulerunt, ut eos pæne oculis videre possemus. Nam, ut illa omittam[3], visas nocturno

13. Al. *In rempublicam*. J. V. L.

14. *Tanto silentio*. Sine bello, sine negotio et strepitu, sine clamore.

VIII. 1. *Quamquam hæc omnia*. Præparatio quædam est ad explicanda ea quæ de prodigiis ac significationibus deorum est dicturus. Harum ego, inquit, rerum omnium tantum minister fui; dii immortales ipsi duces atque auctores fuerunt. Id probat duobus argumentis: primum quod tantarum rerum gubernatio vix humani consilii esse videatur, deinde quod illi multis, iisque apertissimis signis voluntatem suam patefecerint.

2. *Tantarum rerum gubernatio*. Id est, reipublicæ in tantis periculis administratio et conservatio.

3. *Nam, ut illa omittam*. Cicerone consule multa aiunt prodigia facta, quibus periculum reipublicæ portenderetur. Terræ motu Spoletum concussum est, et quædam corruerunt. Varguntejus Pompeius de cælo exanimatus; fax ardens (aurora borealis) ad cælum extensa; biennio ante conjurationem Capitolium fulmine ictum, simulacra Jovis et imago lupæ, cum Remo ac Romulo conciderant, in tabulis legum æneis literæ liquefactæ. Sic Julius Obsequens et Dio. Illa prorsus naturalia Cicero mire ad rem suam detorsit, et vana populi superstitione in publicam salutem abusus est; quæ scilicet pulcherrima est præstigiarum excusatio. Verum portenta ea non oratorie modo exsequutus est, sed et versibus celebravit, de Divinat. I, 11. Quintus hunc affert locum confirmandi causa aruspicum artem nec fictam, nec arbitrariam esse; sed Cic. lib. sq. c. 21, illum refellit, et ipse prodigia ridet

tempore ab occidente faces ardoremque cæli, ut fulminum jactus, ut terræ motus, ut cetera[4], quæ tam multa, nobis consulibus, facta sunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere[5] dii immortales viderentur : hoc certe, Quirites, quod sum dicturus, neque prætermittendum, neque relinquendum[6] est. Nam profecto memoria tenetis, Cotta et Torquato consulibus, complures in Capitolio res[7] de cælo esse percussas, quum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt, et statuæ veterum hominum dejectæ, et legum æra liquefacta[8]. Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus : quem inauratum in Capitolio parvum atque lactantem, uberibus lupinis inhiantem, fuisse meministis. Quo quidem tempore quum aruspices ex tota Etruria convenissent, cædes atque incendia, et legum interitum[9], et bellum civile ac domesticum, et totius urbis atque imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati, suo numine prope fata ipsa[10] flexissent. Itaque illorum responsis tunc et ludi decem[11] per dies

quæ tam graviter in suo poemate et in oratione ad populum enarraverat. — *Ab occideute faces.* Prodigium hoc sic poetice de Div. II, 11, enarrat ; « Quid vero Phœbi fax, tristis nuntia belli, Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat, Præcipites cæli partes, obitusque petessit ».

4. Al. *ceteraque.* J. V. L.

5. *Canere.* Prædicere, ductum a vatibus. Sic loquutus est et in iis quos supra dixi versibus : « Hæc fore, perpetuis signis, clarisque frequentans Ipse deum genitor cælo terrisque canebat ».

6. *Neque prætermittendum, neque relinquendum.* Prætermittimus ea quæ ne attingimus quidem ; relinquimus jam suscepta.

7. Vulg. *turres.* Alteram lectionem, quæ est in codd. Palat. 3 et aliis nonnullis, Ernest. prætulit, jam a Grut. probatam. J. V. L.

8. *Legum æra liquefacta.* Æreis enim tabulis incisæ leges in Capitolio servabantur.

9. *Legum interitum.* Scilicet leges quasi ætatem degunt ; nascuntur, consenescunt, moriuntur.

10. *Fata ipsa flexissent.* Virgilius tamen negat fata flecti posse : « Desine fata deum flecti sperare precando ».

11. *L. d. per dies.* Bella, ait Muret. ratio placandi deos! Admirabilis pro-

facti sunt, neque res ulla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est. Iidemque jusserunt, simulacrum Jovis facere majus, et in excelso collocare, et contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere; ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, solis ortum, et forum, curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quæ clam essent inita contra salutem urbis atque imperii, illustrarentur, ut a senatu populoque romano perspici possent. Atque illud ita collocandum consules illi locaverunt[12]: sed tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur.

IX. Hic quis potest esse[1], Quirites, tam aversus a vero[2], tam præceps, tam mente captus, qui neget, hæc omnia, quæ videmus, præcipueque hanc urbem, deorum immortalium nutu atque potestate administrari? Etenim quum esset ita responsum[3], cædes, incendia, interitumque reipublicæ comparari, et ea a perditis civibus[4], quæ tum propter magnitudinem scelerum nonnullis incredibilia videbantur; ea non modo cogitata a nefariis civibus, verum etiam suscepta esse sensistis. Illud vero nonne ita præsens est, ut nutu Jovis Optimi Maximi factum esse videatur, ut, quum hodierno die mane per forum meo jussu et conjurati,

fecto illorum temporum cæcitas fuit; quasi vero dii, ut pueruli, serias actiones oderint, et aversentur, ludosque et spectacula diligant!

12. Sic regii MSS. Vulg. *statuerunt*. J. V. L. — Erat Jovis signum in columna extra ædem Jovis ipsius. Sic Quintilianus, V, 11, ubi deorum auctoritate Tullium in concione contra Catilinam usum scribit : « Signum Jovis columnæ impositum populo ostendit ».

IX. 1. *Hic quis potest esse.* Argumento a rebus effectis concludit totam hanc universitatem, deorum providentia gubernari, eosque romani imperii præcipuam curam agere.

2. *Aversus a vero.* Qui veritatem odit, et argumenta illa quibus veritas in lucem producitur parvi facit.

3. *Quum esset ita responsum.* Ab aruspicibus.

4. Græv. Oliv. Lallem. *per cives*. J. V. L.

et eorum indices in ædem Concordiæ[5] ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur? quo collocato, atque ad vos senatumque converso, omnia et senatus, et vos, quæ erant contra salutem omnium cogitata, illustrata et patefacta vidistis. Quo etiam majore sunt isti odio supplicioque digni, qui non solum vestris domiciliis atque tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati : quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam, et non sim ferendus. Ille, ille Jupiter restitit; ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi, atque ad hæc tanta indicia perveni. Jam vero illa Allobrogum sollicitatio, sic a Lentulo ceterisque domesticis hostibus, tanta res, tam dementer credita et ignotis, et barbaris, commissæque literæ numquam essent profecto, nisi a diis immortalibus huic tantæ audaciæ consilium[6] esset ereptum. Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacata, quæ gens una restat, quæ populo romano bellum facere et posse, et non nolle videatur, spem imperii et rerum amplissimarum ultro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent, vestramque salutem suis opibus anteponerent; id non[7] divinitus factum esse putatis? præsertim qui nos non pugnando, sed tacendo superarent[8]?

5. *In ædem Concordiæ.* Ubi senatum habiturus erat.

6. *Huic tantæ audaciæ consilium.* Divinitus, opinor, ad conservandam hominum inter se societatem comparatum est, ut in quibus est audacia, eos mente ac consilio carere; in quibus astutia et calliditas viget, eis fere ad obeunda facinora audaciam, præsentemque animum deesse videamus; hæc enim utraque conjuncta si grassarentur, nulla profecto esset tanta vis quæ obsistere nefariorum hominum posset conatibus.

7. Al. *nonne*. J. V. L.

8. Al. « superare potuerunt? » J. V. L.

X. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria[1] supplicatio decreta est[2], celebratote[3] illos dies cum conjugibus ac liberis vestris. Nam multi sæpe honores diis immortalibus justi habiti sunt, ac debiti, sed profecto justiores numquam. Erepti enim[4] ex crudelissimo ac miserrimo interitu, et erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, togati, me uno togato duce et imperatore, vicistis. Etenim recordamini[5], Quirites, omnes civiles dissensiones, neque solum eas, quas audistis[6], sed et has, quas vosmet ipsi meministis et vidistis[7]. L. Sulla[8] P. Sulpicium oppressit; ex urbe ejecit C. Marium, custodem hujus urbis[9]; multosque fortes viros partim ejecit ex civi-

X. 1. *Ad omnia pulvinaria.* Pulvinaria erant lecti qui sternebantur in templis, quum convivium diis apponebatur, quod sacrificii genus lectisternium, aut epulum, unde epulones vocabant.

2. *Supplicatio decreta est.* Supplicationes interdum huic aut illi deo, interdum ad omnia pulvinaria, id est, omnibus diis, constituebantur. Ibant per urbem coronati pueri, matronæ, virgines, nonnumquam etiam lauream manu tenentes, canebantque hymnos compositos in laudem deorum, ac decernebatur supplicatio vel ad avertendum aliquod malum, quod aut premeret, aut immineret; vel ob rem bene ac feliciter gestam.

3. *Celebratote illos dies.* Multorum dierum fuisse hanc supplicationem significat; quot autem fuerint non constat.

4. *Erepti enim.* Codices optimi: *estis.*

5. *Etenim recordamini.* Confert hanc conjurationem cum iis, quæ antecesserant, dissensionibus civilibus; eamque multo atrociorem ac periculosiorem fuisse demonstrat; simulque confirmat, quod modo dixerat, numquam justiores honores diis immortalibus habitos; numquam enim rempublicam e majori periculo ereptam fuisse.

6. *Eas, quas audistis.* Ut secessiones plebis in sacrum montem, in Aventinum.

7. *Meministis et vidistis.* Quas ipse mox commemoraturus est.

8. *L. Sulla P. Sulpicium.* Quum Sulpicius operam dedisset ut Sulla consul nominaretur ann. 665, illi deinde palam adversatus est et voluit imperium ei in bello Mithridatico abrogare. Sulla adversus Romam cum exercitu statim revertitur, urbem capit, Marium expellit, eum et Marium filium et Sulpicium, et novem alios senatores hostes publice declarari jubet. Florus lib. III, cap. 21; Velleius Pat. lib. II, cap. 18, 19.

9. *Custodem hujus urbis.* Hæc dicit propter bellum Cimbricum. Vide lib. LXVIII epitomes Livianæ.

tate, partim interemit. Cn. Octavius, consul, armis ex urbe collegam suum [10] expulit : omnis hic locus acervis corporum, et civium sanguine redundavit. Superavit postea Cinna cum Mario [11] : tum vero, clarissimis viris [12] interfectis, lumina civitatis exstincta sunt. Ultus est hujus victoriæ crudelitatem postea Sulla; nec dici quidem opus est, quanta deminutione civium [13], et quanta calamitate reipublicæ. Dissensit M. Lepidus [14] a clarissimo et fortissimo viro Q. Catulo : attulit non tam ipsius interitus reipublicæ luctum, quam ceterorum [15].

Atque illæ dissensiones [16] erant hujusmodi, Quirites, quæ non ad delendam, sed ad commutandam rempublicam [17] pertinerent. Non illi nullam esse rempublicam, sed in ea, quæ esset, se esse principes; neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt. Atque illæ tamen omnes dissensiones, qua-

10. *Collegam suum.* Cornelium Cinnam. — *Hic locus.* Forum.

11. *Superavit... Cinna cum Mario.* Marius enim rediens ex Africa cum Cinna se conjunxit et Romam occupavit.

12. *Clarissimis viris.* Vide Ciceronem principio libri tertii de Oratore. — *Lumina civitatis* Q. Catulus, M. Antonius, C. et L. Julii, fratres, Q. Scævola pont. max.

13. *Quanta deminutione civium.* Finito bello inter Marianos et Sullanos, septuaginta millia in pace cæsa sunt; Fuffidius tandem admonuit, « Vivere aliquot debere, ut essent, quibus imperaret ». Tunc compositæ proscriptionis tabulæ. De Sullæ crudelitate vide etiam Val. Max. IX, 2.

14. *M. Lepidus.* Lepidus consul, Sullæ factionis adversarius, noluit Sullæ cadaver in campo Martio sepeliri, qui honos regibus tantum ante Sullam tributus erat, et acta ejus rescindere conatus est; cui vero de rescindendis actis legem promulganti Catulus collega obstitit: pugnatum est in campo Martio; sed victus Lepidus magna suorum cæde, quum in Sardiniam navigasset, morbo periit.

15. *Quam ceterorum.* Qui in pugna cæsi sunt.

16. *Atque illæ dissensiones.* Duplex hic comparatio est : superiores illæ dissensiones ad commutandam tantum, hæc conjuratio ad exstinguendam rempublicam pertinebat. Illæ dijudicatæ sunt non reconciliatione concordiæ, sed internecione civium; hæc oppressa est, salva urbe, salvisque omnibus bonis.

17. *Ad commutandam remp.* Quod alii penes senatum, alii penes populum esse rerum summam volebant.

rum nulla exitium reipublicæ quæsivit, ejusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiæ, sed internecione civium dijudicatæ sint. In hoc autem uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale bellum nulla umquam barbaria cum sua gente gessit, quo in bello lex hæc fuit a Lentulo, Catilina, Cassio, Cethego constituta, ut omnes, qui salva urbe salvi esse possent, in hostium numero ducerentur; ita me gessi, Quirites, ut omnes salvi conservaremini; et, quum hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinitæ cædi restitisset[18], tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuisset, et urbem, et cives integros incolumesque servavi.

XI. Quibus pro tantis rebus[1], Quirites, nullum ego a vobis præmium virtutis, nullum insigne honoris[2], nullum monumentum laudis postulo, præterquam hujus diei memoriam sempiternam. In animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia, condi et collocari volo. Nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique hujusmodi, quod etiam minus digni assequi possint. Memoria vestra, Quirites, nostræ res alentur, sermonibus crescent, literarum monumentis inveterascent et corroborabuntur; eamdemque diem intelligo, quam spero æternam fore, et ad salutem urbis, et ad memoriam consulatus mei

18. Burmann. conjicit, Garaton. probante, « infinita e cæde restitisset ». J. V. L.

XI. 1. *Quibus pro tantis rebus.* Nobilis hæc peroratio et vere consule ac summo viro digna, qua, postquam merita sua retulit, cives orat, ne hujus beneficii memoriam ex animis suis effluere patiantur; nullum se aliud ab eis præmium postulare; deinde quasi jam tum prospiciens eas calamitatum tempestates, quibus ipse postea jactatus est, commendat eorum fidei salutem suam; ad extremum confirmat se, qualis fuerit consul, talem etiam privatum in tuenda rep. fore.

2. *Nullum insigne honoris.* Id est, triumphum.

propagatam[3]; unoque tempore in hac republica duos cives[4] exstitisse, quorum alter fines vestri imperii, non terræ, sed cæli regionibus[5] terminaret; alter ejusdem imperii domicilium sedemque servaret.

XII. Sed, quoniam earum rerum, quas ego gessi, non est eadem fortuna atque conditio, quæ illorum, qui externa bella gesserunt : quod mihi cum his vivendum sit, quos vici ac subegi ; isti hostes aut interfectos, aut oppressos reliquerunt : vestrum est, Quirites, si ceteris recte sua facta prosunt, mihi mea ne quando obsint[1], providere. Mentes enim hominum audacissimorum sceleratæ ac nefariæ ne vobis nocere possent, ego providi : ne mihi noceant, vestrum est providere. Quamquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil jam ab istis noceri potest. Magnum enim est in bonis[2] præsidium, quod mihi in perpetuum comparatum est; magna in republica dignitas[3], quæ me semper tacita defendet; magna vis est conscientiæ, quam qui negligent, quum me violare volent, se ipsi indicabunt. Est etiam in nobis is animus, Quirites, ut non modo nullius audaciæ cedamus, sed etiam omnes improbos ultro semper lacessamus. Quod si omnis impetus domesticorum hostium depulsus a vobis, se in me unum converterit : vobis erit providendum, Quirites, qua conditione[4] posthac eos esse velitis, qui se pro salute vestra obtulerint invidiæ periculisque omnibus.

3. Lallem. « propagatam esse ». J. V. L.

4. *Duos cives.* Se ipsum et Cn. Pompeium significat.

5. *Cæli regionibus.* Hyperbola, qua et poetæ, et oratores sæpe utuntur, pro latissime, ut apud Virgilium : « famam qui terminet astris »; apud Horatium : « Sublimi feriam sidera vertice », et tritum illud : « ferre in cælum laudibus ».

XII. 1. *Mihi mea ne quando obsint.* Nam supererant conjurati nimis multi, quibus dulce et facile erat ulcisci.

2. *In bonis.* Civibus.

3. *In republica dignitas.* Scilicet, senatus legumque auctoritas.

4. *Qua conditione.* Quæ futura sit sors illorum.

Mihi quidem ipsi quid est, quod jam ad vitæ fructum possit acquiri, præsertim quum neque in honore vestro[5], neque in gloria virtutis, quidquam videam altius, quo quidem mihi libeat adscendere? Illud perficiam profecto, Quirites, ut ea, quæ gessi in consulatu, privatus[6] tuear atque ornem: ut, si qua est invidia in conservanda republica suscepta, lædat invidos, mihi valeat ad gloriam. Denique ita me in republica tractabo, ut meminerim semper quæ gesserim, curemque, ut ea virtute, non casu[7], gesta esse videantur. Vos, Quirites, quoniam[8] jam nox est, veneramini illum Jovem[9], custodem hujus urbis ac vestrum[10], atque in vestra tecta discedite; et ea, quamquam jam periculum est depulsum, tamen æque ac priori nocte, custodiis vigiliisque defendite: id ne vobis diutius faciendum sit, atque ut in perpetua pace esse possitis, providebo[11].

5. *In honore vestro.* In consulatu quo me honoravistis. — *Neque in gloria.* Parta meis rebus gestis; republica domesticis insidiis meo labore, consilio, periculo liberata: quæ tanta est, ut nullis aliis meritis majorem possim adipisci.

6. *Privatus.* Deposito magistratu.

7. *Virtute, non casu.* Interdum enim etiam pravi homines casu aliquid præclarum et memorabile perficiunt; sed postea redeunt ad ingenium suum, atque hoc ipso indicant, id virtute gestum non esse; unde Cicero de L. Trebellio loquens, qui, quum aliquando bonus civis fuisset, postea se ad Antonium contulerat: « Quis, inquit, est qui hunc non casu existimet recte fecisse? »

8. *Quoniam jam nox est.* Hanc orationem habitam esse sub noctem Plutarchus quoque testatur.

9. *Veneramini illum Jovem.* Hæc quum diceret, Jovis templum Statoris indicabat, in clivo Capitolino positum, quo in templo prima in Catilinam oratio habita est. Credit Garaton. signum indicari Jovis ad forum conversum, in excelsa columna hoc ipso die, ut supra diximus, collocatum, digitoque demonstrari.

10. *Custodem hujus urbis ac vestrum.* Qui hanc urbem a flamma, vos a cæde suo numine atque auxilio liberavit.

11. *Providebo.* Pollicetur se daturum operam, ut senatusconsultum de puniendis conjuratis quam primum fiat. Pall. omnes, item edd. necnon H. F. V. adjiciunt *Quirites* post *providebo.* Sic quatuor antiqui codices et excerpta Pithœi, necnon editio Mediolanensis anni 1498, cod. Barb. et utraque Ven. Grut. Græv. et Garat.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO QUARTA

IN L. CATILINAM

ARGUMENTUM.

Nonis decembribus (5 decemb.), secundo post habitam ad populum concionem die, Cicero quum id parari a conjuratorum libertis ac clientibus intelligeret, ut eos vi eriperent, maturandum ratus, dispositis præsidiis, uti res atque tempus monebat, senatu in templum Jovis Statoris convocato, refert quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Quamvis autem paullo ante frequens senatus judicavisset eos contra rempublicam fecisse, non tamen huic ordini illa concessa potestas erat, ut in eos morte animadverteret. Adde quod legibus Porcia et Sempronia cavebatur, ne quis civis romanus capite aut exsilio, nisi centuriatis comitiis, multaretur. Verum difficillimis temporibus illud sibi juris arrogabat, ut omnibus inter legum observationem reique publicæ summum discrimen abruptis, illas ad tempus negligeret. Sic Sp. Melius, Gracchi, Saturninus ac Glaucia senatusconsulto occisi sunt, quo armatis consulibus cives universos ad defendendam rempublicam vocare licebat. Hac priorum temporum auctoritate fretus senatus de conjuratorum pœna deliberaturus convenit. Decimus Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his qui in custodiam tenebantur, supplicium sumendum decrevit. In eamdem sententiam dixere Murena, collega ejus, et plerique consulares ac senatores, donec C. Cæsar, pontifex maximus, prætor designatus, orationem hanc habuit meditato temperamento scriptam, qua publicandas conjuratorum pecunias, et ipsos in vinculis per municipia habendos ita censebat ut eos servare omnino velle videretur. Et omnes ei assentiebantur; ipse Silanus ejus oratione permotus, pedibus in sententiam Tiberii Neronis iturum se dixerat, quod de ea re, præsidiis additis, referendum censuerat. In mitiora consilia inclinatis animis, solus exstitit Cicero qui composita Cæsaris verba hac oratione redargueret, quam invido silentio Sallustius prætermisit. Tum mutatis iterum sententiis, Cato senatum omnem in suas partes transmisit, severa illa ac nobili concione, qua in Cæsarem, ut testatur Plutarchus, fortissime est invectus.

Cicero autem dicendo ad id spectat, partim ut Cæsarem re-

darguat, partim ut senatum confirmet, spondeatque, quidquid decretum fuerit, consules impleturos. Primum gratias agit patribus conscriptis, quod videantur de suo periculo esse solliciti, petitque ut sibi et patriæ consulant, de se cogitare desinant, cap. 1, 2. Tum eos, qui in custodiam dati sint, senatus judiciis jam damnatos esse ostendit; de eorum pœna autem, quidquid statuatur, ante noctem statuendum esse, 3. Deinde duas exponit sententias adhuc dictas: pœnam Silani, qui censuerat, eos morte esse multandos, alteram C. Julii Cæsaris, qui eos bonis publicatis, in vinculis sempiternis habendos esse censuerat, per municipia, quæ maxime opibus valerent; neu quis de his postea ad senatum referret, neque cum populo ageret; qui aliter fecerit senatum existimare, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum. Utramque sententiam ita comparat, ut tamen se magis in Silani sententiam inclinare tecte significet, 4-6. Deinde refutat eos, qui vereantur, ne consul satis præsidii habeat, ad ea quæ senatus de conjuratis statuerit, transigunda, omniumque bonorum et omnium ordinum mirum esse consensum in defendenda reipublicæ salute demonstrat, 7, 8. Itaque quoniam senatui populi romani præsidia non desint, ipsi ne populo romano deesse videatur providendum esse, 9. Postremo suam constantiam prædicat, suique consulatus memoriam et filii salutem, si quid sibi acciderit, senatui commendat, atque ut de conjuratorum pœna, h. e. de universæ reipublicæ salute diligenter ac fortiter decernat, hortatur. Hæc postquam Cicero dixit, M. Porcius Cato sententiam rogatus orationem habuit, a Sallust. cap. 50, relatam, qua de conjuratis confessis sicuti de manifestis rerum capitalium more majorum, supplicium sumendum esse censuit.

Itaque quum senatus in Catonis sententiam discessisset, consul ea ipsa, quæ instabat nocte, triumviros quæ supplicium postulabat parare jubet. Deinde Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, Cæparius in locum carceris, qui Tullianum appellabatur, deducti, ibique quibus præceptum erat, iis laqueo gulam fregerunt. Ipse autem Catilina anno proxime sequente 692, initio januarii in agro Pistoriensi a Petreio C. Antonii proconsulis legato cum exercitu cæsus est. Manlius et Fesulanus in primis pugnantes ceciderunt; Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus. Sallust. cap. 61.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN L. CATILINAM
ORATIO QUARTA,
HABITA IN SENATU.

ORATIO SECUNDA ET VICESIMA.

I. VIDEO, patres conscripti [1], in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos; video, vos non solum de vestro ac reipublicæ, verum etiam, si id depulsum sit [2], de meo periculo esse sollicitos. Est mihi jucunda in malis, et grata in dolore [3], vestra erga

I. 1. *Video, P. C.* Hanc orationem nonis decembris habitam esse scribit ipse Cicero libro secundo ad Atticum. Est in deliberativo genere; suadet enim patribus, ut fortiter atque animose decernant, quumque duæ contrariæ sententiæ sint, una D. Silani, qui conjuratos ultimo supplicio afficiendos esse censebat; altera C. Cæsaris, qui ab eis mortem removebat, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates sententia sua complectebatur; non improbat ille quidem sententiam Cæsaris, sed tamen non obscure ad illam alteram inclinat, eamque senatui approbare conatur. Quoniam autem multi erant qui Ciceroni ipsi metuentes, mitiorem amplexabantur sententiam, idcirco ipse statim a principio cum maxima significatione caritatis suæ erga patriam orat, obtestaturque ut, omni alia cogitatione omissa, nihil aliud quam salutem dignitatemque publicam, sibi in decernendo proponant.

2. *Si id depulsum sit, de meo periculo.* Ob invidiam ex supplicio conjuratorum sibi concitandam, si secundum Silani sententiam senatus eos morte afficiendos censuisset.

3. *Jucunda in malis, et grata in*

me voluntas : sed eam, per deos immortales! quæso, deponite, atque obliti salutis meæ, de vobis ac de liberis vestris cogitate. Mihi quidem [4] si hæc conditio consulatus data est [5], ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem : feram non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis populoque romano dignitas salusque pariatur. Ego sum ille consul, patres conscripti, cui non forum, in quo omnis æquitas [6] continetur; non campus, consularibus auspiciis [7] consecratus; non [8] curia, summum auxilium omnium gentium; non [9] domus, commune perfugium; non lectus [10], ad quietem datus; non denique hæc sedes honoris [11], sella curulis, umquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit. Ego multa tacui [12], multa pertuli, multa concessi, multa

dolore. Nullum sane malorum levimen jucundius, nullum in dolore gratius solatium quam conscientia virtutis, et bonorum existimatio.

4. Vocem hanc a Victorio additam Grævius sustulit. Abest enim a multis codd. J. V. L.

5. *Conditio consulatus data est.* Fataliter concessa. Terentius : « . . . est istud datum Profecto mihi, grata ut sint, quæ facio, omnia ».

6. *Forum, in quo omnis æquitas.* Quoniam in foro judicia exercebantur.

7. *Non campus, consularibus auspiciis.* Campus Martius in quo centuriatis comitiis consules ceterique majores magistratus creabantur. Non poterant autem hæc comitia, nisi auspicato, haberi.

8. *Non curia.* Ubi habebatur senatus.

9. *Non domus.* Cicero pro domo sua, cap. 41: «Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium? Hic aræ sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacra, religiones, cerimoniæ continentur; hoc perfugium est ita sanctum omnibus ut inde abripi neminem fas sit ».

10. *Non lectus.* Orat. I in Catil. cap. 4: « Reperti sunt duo equites romani qui. . . sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me meo in lectulo interfecturos pollicerentur ». Principes viros Romæ mane non solum amici, quibus intimus accessus patebat, sed et plebs salutatura conveniebat, et brumali quidem tempore plerumque antelucanis horis.

11. *Sedes honoris.* Locus est ille præcipuus, quem in senatu consul is penes quem fasces erant, occupabat. Nisi forte his explicari sequentia malis. — *Sella curulis.* Muret. Manut. Ern. censent ex optimis libris duas voces istas esse delendas ut glossema.

12. *Multa tacui.* Cicero intelligere videtur multos potentes qui in suspicionem conjurationis vocabantur, scilicet Crassum, Cæsarem aliosque. Vide Sallust. cap. 48, 49.

meo quodam dolore, in vestro timore[13], sanavi. Nunc, si hunc exitum consulatus mei dii immortales esse voluerunt, ut vos, patres conscripti, populumque romanum ex cæde misera[14]; conjuges liberosque vestros, virginesque vestales ex acerbissima vexatione; templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ex fœdissima flamma; totam Italiam ex bello et vastitate eriperem : quæcumque mihi uni proponetur fortuna, subeatur. Etenim, si P. Lentulus[15] suum nomen, inductus a vatibus, fatale ad perniciem reipublicæ fore putavit : cur ego non læter, meum consulatum ad salutem reipublicæ prope fatalem exstitisse?

II. Quare, patres conscripti, consulite vobis, prospicite patriæ, conservate vos, conjuges, liberos, fortunasque vestras; populi romani nomen salutemque defendite : mihi parcere, ac de me cogitare desinite. Nam primum debeo sperare, omnes[1] deos, qui huic urbi præsident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratiam[2] esse; deinde, si quid[3] obtigerit, æquo animo paratoque moriar : neque enim turpis[4] mors forti viro[5] potest accidere, neque immatura

13. Lipsius, Var. lection. IV, 22, ingeniosa conjectura, « sine vestro timore ». Multi probant. J. V. L.

14. Rectius, ut cod. Erlang. *miserrima*. J. V. L.

15. *Etenim si P. Lentulus*. Contraria hic tamquam paria comparantur.

II. 1. *Omnes deos*. Unaquæque urbs suos quosdam habere deos putabatur, quorum in tutela esset. Ideoque Romani quum obsiderent aliquam urbem, jamque inibi essent ut illam caperent, prius deos istos certo quodam carmine evocabant; quod aut aliter urbem capi posse non crederent, aut etiam si possent, nefas existimarent deos habere captivos.

2. *Relaturos gratiam*. Id est, remuneraturos; nempe refert gratiam, qui beneficium accepit, non potest autem deus beneficium ab homine accipere, quare ne gratiam quidem referre dicendus est.

3. *Si quid obtigerit*. Id est, si vis aliqua me oppresserit.

4. Quintilian. IV, 3, 109, *gravis*. J. V. L.

5. *Forti viro*. Fortem appellabant Romani virum probum, qui adversa intrepide ferebat omnia.

consulari [6], nec misera sapienti [7]. Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris [8] carissimi atque amantissimi præsentis mœrore non movear, horumque [9] omnium lacrymis, a quibus me circumsessum videtis. Neque meam mentem non domum sæpe revocat exanimata uxor [10], abjecta metu filia, et parvulus filius, quem mihi videtur amplecti respublica [11] tamquam obsidem consulatus mei; neque ille, qui exspectans hujus exitum diei, adstat in conspectu meo gener [12]. Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem, ut salvi sint vobiscum omnes, etiamsi vis aliqua me oppresserit, potius, quam et illi, et nos una reipublicæ [13] peste pereamus.

Quare, patres conscripti, incumbite [14] ad reipublicæ salutem; circumspicite omnes procellas, quæ

6. *Neque immatura consulari.* Cui, ut nullus jam honos ultra optandus aut sperandus est, ita mors non immatura esse potest, utpote qui satis gloriæ vixerit.

7. *Nec misera sapienti.* Qui eam tota vita meditatus est.

8. *Qui fratris.* Q. Ciceronis, qui tamen, si Plutarcho habenda est fides, fratrem ad sumendum de conjuratis supplicium non parum impellebat, sed post Cæsaris orationem, imitatus est Silanum, quem cum plerisque non puduit retro ire et supplicium mortis mutare carcere. Vide Suetonium, vit. Cæsaris, cap. 14. Graviter erravit Muretus, qui scripsit Q. Ciceronem cum aliis propinquis Ciceronis adesse, exspectantem hujus rei eventum. Senator erat.

9. *Horumque omnium.* Scilicet senatorum Ciceronis amicorum, qui tunc ejus sellam circumstabant, orabantque videret ne sibi multa in posterum mala constantia sua arcesseret.

10. *Uxor.* Terentia. — *Filia.* Tullia. — *Parvulus filius.* M. Cicero, ad quem scripsit libros de Officiis. Bimulus erat, natus enim Cotta et Torquato coss. ut ex epist. I, 1, ad Atticum intelligitur.

11. *Amplecti respublica.* Id est, fovere in gremio. — *Obsidem.* Pignus et monumentum.

12. *Gener.* C. Piso, cui Tulliam biennio ante, id est, Cotta et Torquato coss. collocavit, ut epist. 2 ad Attic. lib. I. Mortuo Pisone, an. 698, Tullia nupsit Crassipedi, deinde Dolabellæ. Garatonius censet Pisonem extra curiæ valvas adstare; nempe, ait, quum ille quæstor fuerit, Pisone et Gabinio coss. ut in oratione post reditum in senatu, non videtur, Cicerone consule, senator esse potuisse, quum præsertim senatum aliquot annis ante legissent censores Lentulus et Gellius.

13. Al. « una cum republica pereamus ». J. V. L.

14. *Incumbite.* Translatio nautica, quam in sequentibus explicat.

impendent, nisi providetis. Non Tib. [15] Gracchus, qui iterum tribunus plebis fieri voluit; non C. Gracchus, qui agrarios [16] concitare conatus est; non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, in discrimen aliquod, atque in vestræ severitatis judicium adducitur : tenentur [17] ii, qui ad urbis incendium, ad vestram omnium cædem, ad Catilinam accipiendum, Romæ restiterunt. Tenentur literæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio. Sollicitantur Allobroges; servitia [18] excitantur; Catilina arcessitur : id est initum consilium, ut, interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem reipublicæ nomen, atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur.

III. Hæc omnia indices[1] detulerunt, rei confessi sunt; vos multis jam judiciis[2] judicastis : primum, quod mihi gratias egistis singularibus verbis, et mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse conjurationem decrevistis; deinde quod P. Lentulum, ut se abdicaret prætura, coegistis; tum quod eum, et ceteros, de quibus judicastis, in custodiam dandos censuistis, maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis : qui honos togato habitus ante me est nemini. Postremo hesterno die præmia legatis Allobrogum, Titoque Vulturcio dedistis amplissima. Quæ sunt omnia ejusmodi, ut ii, qui in

15. *Non Tib. Gracchus.* De Gracchis et Saturnino, qui Memmium, optimum virum, consulatus candidatum, occidit. Vide plura in orat. agrar. et pro Rabir. pass.

16. *Agrarios.* Fautores legis agrariæ. Qui operam dabant ut valerent leges agrariæ, quibus agros consequi cupiebant.

17. Al. *sed tenentur.* J. V. L.

18. *Servitia.* Servi ad rebellandum excitantur, quos primo despectos, nunc ad arma vocabat Catilina.

III. 1. *Indices.* Allobroges et Vulturcius.

2. Sic edd. optimæ; alteram tamen lectionem, *indiciis*, probant alii inter quos Buntershoek. J. V. L.

custodiam nominatim dati sunt [3], sine ulla dubitatione a vobis damnati esse [4] videantur.

Sed ego institui referre ad vos, patres conscripti, tamquam integrum, et de facto, quid judicetis, et de pœna, quid censeatis. Illa prædicam, quæ sunt consulis. Ego magnum in republica versari furorem, et nova quædam misceri et concitari mala jampridem videbam : sed hanc tantam, tam exitiosam haberi conjurationem a civibus, numquam putavi. Nunc, quidquid est, quocumque vestræ se [5] mentes inclinant atque sententiæ, statuendum [6] vobis ante noctem est. Quantum facinus ad vos [7] delatum sit, videtis. Huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis. Latius opinione disseminatum est hoc malum; manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes, et obscure serpens, multas jam provincias occupavit. Id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest. Quacumque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est.

3. *Nominatim dati sunt.* Scilicet Lentulus P. Lentulo Spintheri, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Ceparius Cn. Terentio. Ceteri aufugerant.

4. *Damnati esse.* Notum est enim opinionis ac sententiæ testificationes esse *judicia*. Verum sunt ista quidem ad pœnam conjuratis infligendam præjudicia. Senatus judicaverat conjurationem maximam factam esse, ejusque rei convictos homines custodia devinctos pœnæ reservaverat, quæ una decernenda restabat. — *Tamquam integrum.* Tamquam nondum cognoscatis, nondum ad vos retulerim. — *Et de facto.* Id est, de eo quod commissum esse constat ab iis qui in custodiam dati sunt.

5. Addunt *se* Græv. Lallem e MSS. Ernest. deinde mallet *inclinent*, quod habet cod. Duisb. J. V. L.

6. *Statuendum vobis ante noctem est.* Tum quia periculum erat, ne noctu aliquis tumultus excitaretur, ut per vim eriperentur ii qui in custodiam dati erant; tum quia senatum ante noctem dimitti oportebat. Varro enim apud Gellium docet, senatusconsultum ante exortum, aut post occasum solem factum, ratum non fuisse. Et conjuratorum proximi in foro frequentes stabant, tumultum aliquem tentaturi, quum eos Cicero uno verbo prostravit : *vixere*.

7. Recte sic Græv. e codd. Olim, *nos*, minus apte, quoniam Cicero detulerat ad senatum. J. V. L.

IV. Video duas [1] adhuc esse sententias : unam D. Silani [2], qui censet, eos, qui hæc delere conati sunt, morte esse multandos; alteram C. [3] Cæsaris, qui mortis pœnam removet, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur. Uterque et pro sua dignitate, et pro rerum magnitudine in summa severitate versatur. Alter eos, qui nos omnes, qui populum romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi romani nomen exstinguere, punctum temporis frui vita, et hoc communi [4] spiritu non putat oportere; atque hoc genus pœnæ [5] sæpe in improbos cives in hac republica esse usurpatum recordatur [6]. Alter intelligit, mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum quietem esse [7]. Itaque eam sapientes numquam inviti [8], fortes etiam sæpe libenter [9] oppetiverunt. Vincula vero, et

IV. 1. *Video duas.* Nondum enim Cato sententiam dixerat.

2. *Unam D. Silani.* D. Junius Silanus primus sententiam rogatus est, quia consul erat designatus. Qui enim, ut jam diximus, priore loco designatus erat consul, is in senatu primus omnium sententiam rogabatur. Decreverat autem in eos, qui in custodiam traditi erant ultimum supplicium.

3. *C. Cæsaris.* Ubi ad C. Julium Cæsarem prætorem designatum ventum est, morte eos afficiendos negavit; sed publicanda bona, ipsos per municipia dispertiendos, et in vinculis perpetuo habendos censuit. Tantumque valuit dicendo, ut nonnulli ex iis qui priore loco sententiam dixerant, eam, ipsius oratione permoti, mutaverint, inter quos ipse Silanus, si Sallustio credas, et Q. Cicero ipse, frater consulis, si Suetonio. Quæ ut vidit Tullius, orationem hanc habuit.

4. *Hoc communi spiritu.* I. e. aere, qui communis est.

5. *Hoc genus pœnæ... recordatur.* Ante legem Porciam, quæ virgas ab omnium Romanorum corpore amovit; nam post eam legem sæpe cives romanos morte multatos fuisse non arbitror.

6. *Aut necessitatem naturæ.* Quia quidquid compositum est, id aliquando dissolvatur necesse est.

7. *Laborum ac miseriarum quies est.* Hæc est Epicuri sententia, quæ jam corruptis moribus, plerumque invaluerat. Hanc Cæsar, quippe causæ suæ faventem, in senatu profiteri non dubitaverat.

8. *Eam sapientes numquam inviti.* Quia meliorem sperant vitam.

9. *Fortes etiam sæpe libenter.* Ut Codrus, rex Atheniensium, ut Curtius, ut Decii, etc.

ea sempiterna, certe ad singularem pœnam nefarii sceleris inventa sunt. Municipiis dispertiri [10] jubet. Habere videtur ista res iniquitatem [11], si imperare velis; difficultatem, si rogare. Decernatur tamen, si placet [12]. Ego enim suscipiam, et, ut spero, reperiam, qui id, quod salutis omnium causa statueritis, non putent [13] esse suæ dignitatis recusare. Adjungit gravem pœnam municipibus, si quis eorum vincula ruperit; horribiles custodias circumdat, et digna scelere hominum perditorum sancit, ne quis eorum pœnam, quos condemnat, aut per senatum, aut per populum levare possit [14]; eripit etiam spem [15], quæ sola hominem in miseriis consolari solet; bona præterea publicari jubet; vitam solam relinquit [16] nefariis hominibus: quam si eripuisset, multos [17] uno dolore dolores animi atque corporis, et omnes scelerum pœnas ademisset. Itaque, ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos ejusmodi quædam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt [18] : quod

10. *Municipiis dispertiri jubet.* Aliquot, *itaque municip.* Lall. e duobus MSS regiis, « quæ municip. »

11. *Iniquitatem.* Municipia suis legibus utebantur et suis magistratibus. Iniquum erat illud onus eis imponere, et difficile ab illis impetrare, quia proponebatur totum municipium in hostium loco habendum, si quis conjuratorum vincula rupisset.

12. *Decernatur tamen, si placet.* Cæsaris sententia. Qua cura cavet Tullius ne Cæsarem offendat; qua arte suadendi nimium studium cohibet, propositumque suum tegit. Jamjam credebatur Cæsar conjurationi affinis esse, mitior ejus sententia Catoni fuit ideo suspiciosa.

13. *Putent.* Al. *putet.* Ernest. correxit *putent;* nam non de uno municipe, sed de pluribus sermo est.

14. *Levare.* Id est, leviorem facere pœnam ac mitiorem.

15. *Eripit spem.* Ille vere miser, qui spe nulla recreatur.

16. *Vitam solam relinquit.* Ut perpetuo conscientiæ stimulis pungantur.

17. Sic rectissime Lallem. e MSS. Vulgo legitur *multas* et abest *dolores.* J. V. L.

18. *Supplicia impiis constituta voluerunt.* Antiqui nullam certam ideam de inferis habebant, quia mens humana tenebris involuta non potest accipere nisi a deo, quæ extra hanc vitam habentur.

videlicet intelligebant, his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam.

V. Nunc, patres conscripti, ego mea, video, quid intersit. Si eritis sequuti sententiam C. Cæsaris, quoniam hanc is in republica viam, quæ popularis habetur [1], sequutus est, fortasse minus erunt, hoc auctore et cognitore [2] hujusce sententiæ, mihi populares impetus [3] pertimescendi : sin illam alteram, nescio, an amplius mihi negotii contrahatur. Sed tamen meorum periculorum rationes [4] utilitas reipublicæ vincat. Habemus enim [5] a C. Cæsare, sicut ipsius dignitas et majorum ejus amplitudo postulabat, sententiam, tamquam obsidem perpetuæ in rempublicam voluntatis. Intellectum est, quid intersit inter levitatem concionatorum [6], et animum vere popularem, saluti populi consulentem. Video de istis [7], qui se populares haberi

V. 1. *Quæ popularis habetur.* Cicero ipse quid sit popularis in oratione pro Sextio docet : « Duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in republica, atque in ea se excellentius gerere studuerunt ; quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt. Qui ea quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares ; qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur ». Cæsarem autem popularem fuisse, non solum a Cicerone, sed perplurimis e Suetonio locis intelligi potest.

2. *Auctore et cognitore.* Auctor sententiæ dicitur is, qui primus eam protulit ; *cognitor*, qui prolatam sententiam defendit. *Cognitor* in jure is est qui civis præsentis ; *procurator*, qui absentis causam defendit. Asconius.

3. *Populares impetus.* Seditiosi tumultus populi ægre ferentis cives romanos capite damnatos fuisse.

4. *Rationes.* Id est, considerationem. Hinc dicitur rationem habere alicujus rei. — *Sed tamen... vincat.* Id est, salus reipublicæ anteponatur meis periculis.

5. *Habemus enim.* Laudat Cæsarem ex hac sententia, tamquam de republica bene sentientem, quod de industria factum videtur, quia non ignorabat Cæsaris suspectam voluntatem.

6. *Levitatem concionatorum.* Al. *lenitatem. Concionator* in malam partem accipitur, idemque est, qui concitat populum seditiosis concionibus ; demagogus, vulgi turbator. Tangit tribunos plebis, qui seditiosas orationes ad populum sæpe habebant.

7. *Video de istis.* Notat quempiam e senatoribus (scholiastes putat innui Q. Metellum) qui, ut popularis haberetur, eo die venire in senatum

volunt, abesse non neminem, ne de capite videlicet civium romanorum sententiam ferat. Is et nudiustertius in custodiam cives romanos dedit, et supplicationem [8] mihi decrevit, et indices hesterno die maximis præmiis affecit. Jam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quæsitori [9] gratulationem, indici præmium decrevit, quid de tota re et causa judicarit.

At vero C. Cæsar intelligit, legem [10] Semproniam esse de civibus romanis constitutam; qui autem reipublicæ sit hostis, eum civem esse [11] nullo modo posse; denique ipsum latorem legis Semproniæ, jussu populi [12] pœnas reipublicæ dependisse. Idem etiam ipsum Lentulum largitorem et prodigum [13], non

noluerat; ejusque stultitiam ostendit, qui vereatur judicare de iis quos jam condemnaverit. Ei autem anteponit Cæsarem, quem revera popularem esse dicit, id est, salutis studiosum publicæ. Illi blanditur, quo illum facilius superet.

8. *Supplicationem.* Diem festum, quo publice diis gratiæ aguntur.

9. *Quæsitori.* Illi nempe qui de conjuratorum crimine in rempublicam quæsivit et ad senatum retulit. Optime hoc nomine utitur Cicero, quum vere senatus judicum, et consul quæsitoris partes egerit.

10. *Legem Semproniam.* Latam a C. Graccho, ne quisquam civis romanus morte multaretur.

11. *Eum civem esse nullo modo posse.* Non prorsus dubitandum quin hoc argumentum captiosum sit. Nam aut conjurati vere damnati erant pridianis actis, et tum cives erant manifesto scelere convicti; aut nondum condemnabantur, tum jure civitatis fruebantur usque ad definitivum judicium. Et quidem, damnatorio solum judicio legitima auctoritate rite decreto, poterant hostes denuntiari. Sed senatus censuit oblivisci leges sanctissimum, ut salva fieret patria. Præcipue spectat Cicero ad partem orationis Cæsaris qua Porciam et Semproniam legem invocavit, quæ penitus refellitur, si fatetur Cæsar hostem publicum jus civitatis perdidisse; et quidem hæc propositio tanta opponitur industria, ut fere non queat Cæsar contra repugnare.

12. *Jussu populi.* Causæ serviens hoc dicit; neque enim populi jussu interfectus est Gracchus. Quum ei maxima populi pars faveret. Verum quum consulum ac magistratuum jussu interfectus fuerit, qui populi suffragii creati ejusdem populi auctoritate agere videbantur, ideo jubente populo, occisum merito dicit. —Imprudens Ernest. et aliud agens hoc loco reposuit *injussu*. Servamus lect. MSS. J. V. L.

13. *Lentulum largitorem et prodigum.* Hoc vitium largitionis in Lentulo notat etiam Sallustius.

putat, quum de pernicie populi romani, exitio hujus urbis, tam acerbe, tamque crudeliter cogitarit, appellari posse popularem. Itaque homo mitissimus atque lenissimus non dubitat P. Lentulum æternis tenebris vinculisque mandare; et sancit in posterum, ne quis hujus supplicio levando se jactare [14], et in pernicie populi romani posthac popularis esse possit. Adjungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus, et corporis, etiam egestas ac mendicitas consequatur [15].

VI. Quamobrem sive hoc statueritis [1]; dederitis mihi comitem [2] ad concionem, populo carum atque jucundum [3]. Sive Silani sententiam [4] sequi malueritis; facile me atque vos a crudelitatis vituperatione defendetis; atque obtinebo, eam multo leviorem [5] fuisse.

Quamquam, patres conscripti [6], quæ potest esse in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas? Ego enim de meo sensu judico. Nam ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut [7] ego, quod in hac

14. *Se jactare.* Popularem auram captare.

15. *Egestas ac mendicitas consequatur.* Urget consulto Tullius severitatem Cæsaris, qui acerbissimam pœnam decerni se velle dixit; quod consul probe percepit et hanc consignatam auctoritatem habet. Cæsar dicta retractare non jam potest, et senatus, non invito Cæsare, severiorem pœnam infligere poterit, si qua invenitur. Eam peritissimus orator ex Cæsaris oratoriis concessionibus utilitatem capit, ut illum suis ipsius acuminibus penitus compungat.

VI. 1. *Sive hoc statueritis.* Quod Cæsar censuerat.

2. *Comitem.* Scilicet auctorem ipsum hujus popularis sententiæ.

3. *Populo carum atque jucundum.* Viam enim Cæsar, quæ populo placebat, sequutus erat. Al. *populo romano.* Lallem. nihil mutavit.

4. *Sive Silani sententiam.* Quam primo de capite tulerat, et non temperatum consilium, ut supra diximus.

5. Garaton. malit e MSS *leniorem.*

6. *Quamquam, patres conscripti.* Quia lenitatis mentionem injecerat, idcirco reprehendit se ipsum, affirmans nullam in tanti sceleris atrocitate vindicanda metuendam esse crudelitatis famam, ac tum demum ipsos in patriam crudeles fore, si in eis qui de illius incendio ac vastitate consilia inierunt, puniendis remissi, et misericordes esse voluerint.

7. *Ita... ut.* Formula jurisjurandi.

causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor (quis enim est mitior?), sed singulari quadam humanitate et misericordia. Videor enim mihi hanc urbem videre [8], lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem; cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos acervos civium; versatur mihi ante oculos adspectus Cethegi et furor in vestra cæde bacchantis. Quum vero mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse se ex fatis sperasse [9] confessus est, purpuratum esse hunc Gabinium [10], cum exercitu venisse Catilinam, tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco : et, quia mihi vehementer hæc videntur misera atque miseranda [11], idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque præbeo [12]. Etenim quæro si quis paterfa-

Orator, si quid proferat minus verum, concedit ut voti sui non sit compos.

8. *Videor enim mihi.... videre.* Hypotyposis, id est, ea vel ad movendum, vel ad delectandum figura, quum res acta verbis ita exprimitur, ut oculis subjecta videatur; aptissima est ad senatorum animos inflammandos.

9. *Ex fatis sperasse.* Ex libris Sibyllinis fata prædicentibus.

10. *Purpuratum esse hunc Gabinium.* Ille præcipuus Lentuli amicus erat. Si Lentulus rex creatus fuisset, Gabinium purpura ornavisset ut ministrum, præfectum aut amicum. Purpurati enim, ut adnotat scholiastes, majores sunt tyrannorum satellites, ac primi ministri.

11. *Misera atque miseranda.* Miser non semper miserandus, ut homicida. Innocens, si torqueatur, et miser est, et miserandus.

12. *Præbeo.* Cæsar apud Sallustium ait plerosque composite ac magnifice casum reipublicæ miseratos esse; quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravisse; quam enumerationem ad nullam rem pertinuisse innuit, nisi ut cresceret oratio. Cicero autem conjuratorum nomina et consilia appellando, illos non locos communes fuisse facile demonstrat. Ceterum fuere qui crederent locum illum in quo Cæsar cogitata explicat omnino a Sallustio excogitatum ac confictum, qui post bellum scribens, ironice pulcherrimæ Ciceronis descriptioni alludere velle videtur. Verum omissa illa conjectatione quæ nullis certis fundamentis nititur, arbitrari licet a prioribus oratoribus deploratas calamitates, quas resp. effugisset; quas voces vehementi affectu expressas postea Cæsarem frigide et derisorie recitavisse.

milias [13], liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servo [14] non quam acerbissimum sumpserit : utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus et crudelissimus esse videatur? Mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis suum dolorem cruciatumque lenierit [15]. Sic nos in his hominibus [16], qui nos, qui conjuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt; qui singulas uniuscujusque nostrum domos, et hoc universum reipublicæ domicilium delere conati sunt; qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis hujus urbis [17], atque in cinere deflagrati imperii collocarent : si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur; sin remissiores [18] esse voluerimus, summæ nobis crudelitatis [19] in patriæ civiumque pernicie

Secundum autem Cæsarem quum Cicero diceret, necesse forsan erat, ut vividis eloquentiæ coloribus affectus illos iterum suscitaret, quos Cæsar compositis verbis exstinxerat.

13. *Etenim quæro si quis paterfam.* Argumentum ab exemplo ficto.

14. *De servo.* Plerique MSS et edd. *servis.* Qui ita sentiunt, sic ratiocinantur : Tullius antea dixerat *a servo;* nunc quum supplicium sumendum est, *de servis*, in multitudinis numero loquitur propter romanam legem *de servis*, qui sub eodem tecto manserant, ob parricidium unius, interficiendis. Tacitus lib. XIV, cap. 42 : « Vetere ex more, familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oportebat ». Tamen Lambin. Olivet. Lallem. al. invito Ernestio habent *de servo.* Videtur enim plurium servorum pœna, quum unus deliquerit, nulla ex parte clemens existimari posse, neque ullo modo lenitati consulis convenire, qui ne omnes quidem conscios, sed paucos conjurationis principes volebat morte puniri, atque hoc ipsum a crudelitatis vituperatione defendere exemplo illo instituerat. Tacitus reipsa narrat eodem capite Pediano ab uno servorum suorum interfecto, servos omnes ejus ex Silaniano senatusconsulto damnatos, sed adjicit : « Concursu plebis, quæ tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est ».

15. *Lenierit.* Ad leges pertinet vindicta, non ad virum probum.

16. *In his hominibus.* Pro *in hos homines.*

17. *In vestigiis hujus urbis.* Non in hac urbe quam incendio delere cogitabant; sed, urbe incensa, in ejus vestigiis. Propterea sequitur : « In cinere deflagrati imperii ». Quod etiam alludit ad primum id urbis incendium a Gallis conflatum.

18. *Remissiores.* Id est, leniores, faciliores.

19. *Crudelitatis.* Quod patriæ ac

fama subeunda est. Nisi vero cuipiam L. Cæsar, vir fortissimus et amantissimus reipublicæ, crudelior nudiustertius visus est, quum sororis suæ [20], feminæ electissimæ, virum præsentem [21] et audientem, vita privandum esse dixit [22]; quum avum jussu [23] consulis interfectum, filiumque ejus impuberem, legatum a patre missum, in carcere necatum esse dixit : quorum, quod simile factum? quod initum delendæ reipublicæ consilium? Largitionis voluntas tum in republica [24] versata est, et partium quædam [25] contentio. Atque illo tempore hujus avus Lentuli [26], clarissimus vir, armatus Gracchum est persequutus; ille etiam grave tum vulnus accepit, ne quid de summa [27] republica minueretur : hic ad evertenda fundamenta rei-

civium salutem minoris quam pessimorum hominum vitam fecerimus.

20. *Sororis suæ.* Juliæ, quæ patri Antonii, postea triumviri, nupserat, et illo mortuo, uxor Lentuli conjuratorum principis erat.

21. *Virum præsentem et audientem.* Lentulum, in senatu præsentem, ut supra dictum est.

22. *Vita privandum esse dixit.* Minime quidem ita dixit Cæsar, quia conjuratiuni affinis erat; sed omnes cruciatus minores, quam facinora illorum conjuratorum esse. Multa enixus est ut suspicionem tolleret et amicissimus reipublicæ crederetur, sed eos in vinculis habendos censuit, ut illos salvos faceret.

23. *Avum jussu consulis.* M. Fulvium Flaccum, L. Cæsaris avum maternum; nam L. Cæsar hujus L. Cæsaris pater filiam Fulvii Flacci in matrimonio habuerat. Fulvius Flaccus, socius furoris C. Gracchi, in derelicto sudatorio post pugnam latuit cum filio suo natu majore; sed detecti, jussu consulis L. Opimii interfecti sunt. Alter filius ejus ad eumdem consulem missus, pari sorte occubuit. Plutarch. vita Gracchorum. Stragem illam non improbaverat senatus. Populus ipse Opimium statim ac consulatu defunctus est, de cæde romanorum civium postulatum absolvit. Tamen L. Cæsar et Cicero ipse illa consulto retulerunt facta, ut concluderent a fortiori contra Lentulum et socios ejus esse sæviendum.

24. *Largitionis voluntas tum in republica.* Quum C. Gracchus agros dividere, et frumentum plebi dare institueret.

25. *Et partium quædam contentio.* Quod alii populares essent, alii optimates.

26. *Hujus avus Lentuli.* P. Lentulus princeps senatus. Videuræt. III, cap. 5.

27. *Ne quid de summa republica minueretur.* Alii, « dignitate reipublicæ m. » J. V. L.

publicæ Gallos arcessit, servitia concitat[28], Catilinam vocat, attribuit nos trucidandos Cethego, ceteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinæ. Veremini, censeo[29], ne in hoc scelere tam immani ac nefando nimis aliquid severe statuisse videamini; quum multo magis sit verendum, ne remissione pœnæ[30] crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur.

VII. Sed ea, quæ exaudio[1], patres conscripti, dissimulare non possum. Jaciuntur enim voces, quæ perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis præsidii ad ea, quæ vos statueritis hodierno die, transigunda[2]. Omnia et provisa, et parata, et constituta sunt, patres conscripti, quum mea summa cura atque diligentia, tum multo etiam majore populi romani, ad summum imperium retinendum, et ad communes fortunas conservandas, voluntate. Omnes adsunt omnium ordinum homines, omnium denique ætatum: plenum est forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus hujus loci ac templi[3]. Causa enim est post urbem conditam hæc inventa sola[4], in qua omnes sentirent unum at-

28. Al. « arcessivit... concitavit... evocavit.... » J. V. L.

29. *Veremini, censeo*. Alii, *vereamini*. Ironice.

30. *Remissione pœnæ*. Imminutione, lenitate.

VII. 1. *Sed ea, quæ exaudio*. Qui timebant ne conjurati vita privarentur, dicebant, si senatus necem decrevisset, vereri se, ne illorum e supplicio tumultus in urbe oriretur, ad quem comprimendum Cicero satis præsidii non haberet. Eum timorem ipse non elevat, ostendit tantum omnium ætatum atque ordinum in hac causa esse consensum, nihil ut tale sit extimescendum.

2. *Transigunda*. Ad supplicium de conjuratis sumendum.

3. *Ac templi*. Jovis Statoris.

4. *Hæc inventa sola*. Neminem latent in civilibus dissensionibus secessiones, et studia partium; hic nihil simile.

que idem, præter eos, qui, quum sibi viderent esse pereundum[5], cum omnibus potius, quam soli perire voluerunt[6]. Hosce ego homines excipio et secerno libenter: neque enim in improborum civium, sed in acerbissimorum hostium numero habendos puto. Ceteri vero, dii immortales! qua frequentia, quo studio, qua virtute ad communem dignitatem salutemque consentiunt!

Quid ego hic equites romanos commemorem? qui vobis ita summam ordinis consiliique concedunt[7], ut vobiscum de amore reipublicæ certent: quos ex multorum annorum dissensione[8] ad hujus ordinis societatem concordiamque revocatos, hodiernus dies vobiscum atque hæc causa conjungit: quam conjunctionem si in consulatu confirmatam meo, perpetuam in republica tenuerimus; confirmo vobis, nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam reipublicæ partem esse venturum. Pari studio defendendæ reipublicæ convenisse video tribunos ærarios[9], fortissimos viros; scribas item universos[10]: quos quum

5. *Esse pereundum.* Ære alieno. Hi sunt quos in quartum genus improborum civium retulit, oration. II, cap. 10.

6. *Perire voluerunt.* Communem perniciem maluerunt, quam soli perire.

7. *Ordinis consiliique concedunt.* Id est, locum principem inter ordines, et summam auctoritatem in capiendis consiliis.

8. *Dissensione.* Propter judicia, quæ C. Gracchus a senatoribus ad equestrem ordinem transtulerat, et quæ postea Sulla victor ab equitibus ad senatum revocavit. Hinc inter duos ordines dissidia; hinc bella Marii et Sullæ, quorum causa fuit uter ordo judicaret. Anno 683, Aurelius Cotta jus divisit inter tres ordines, et concordia inde restituta est, quam confirmare enixus est Cicero.

9. *Tribunos ærarios.* Ordinis erant plebeii, et ad judicandum adhibiti. Vide lib. I, epist. 16, ad Atticum, ubi ludit in judicio Claudiano eos fuisse non tam æratos (divites) quam ærarios (ære corruptos). Eorum munus erat, stipendium militum de ærario annumerare quæstori, ut inter milites divideretur. Asconius et Festus. Aut ipsi dividebant. Varro.

10. *Scribas item universos.* Qui leges, edicta, rationes, epistolas, etc. in scriptum referebant. Distributi erant in aliquot decurias. Sorte distribuebantur inter magistratus, ut *quæstorii*,

casu hic dies[11] ad ærarium frequentasset, video[12] ab exspectatione sortis ad communem salutem esse conversos. Omnis ingenuorum adest multitudo, etiam tenuissimorum. Quis est enim, cui non hæc[13] templa, adspectus urbis, possessio libertatis, lux denique hæc ipsa, et hoc commune patriæ solum, quum sit carum, tum vero dulce atque jucundum?

VIII. Operæ pretium est, patres conscripti, libertinorum hominum studia cognoscere; qui virtute[1] sua fortunam civitatis[2] consequuti, hanc vere suam patriam esse judicant: quam quidam hinc nati, et summo nati loco[3], non patriam suam, sed urbem hostium esse judicaverunt. Sed quid ego hujusce ordinis homines commemorem[4], quos privatæ fortunæ, quos communis respublica, quos denique libertas ea, quæ dulcissima est, ad salutem patriæ defendendam excitavit? Servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis[5], qui non audaciam

ædilitii, *prætorii*, et sic porro dicerentur. Scribarum munus apud Græcos multo honorificentius fuisse quam apud Romanos, ait Cornelius in vita Eumenis, cap. 1.

11. *Hic dies*. Alii, *hæc*. Nonæ decembr. — *Frequentasset*. Id est, frequentes convocasset, effecisset ut adessent frequentes. Convenerant autem decuriæ, ad sortiendas procurationis suæ partes. Sortem non exspectarunt, sed præsidii causa ad templum conversi sunt.

12. Græv. addit e suis MSS, « ab amore debitæ pecuniæ». Ignorant regii.

13. *Hæc templa*. Quæ plurima circa forum erant.

VIII. 1. *Virtute*. Sua probitate, suisque meritis erga eos quibus antea serviebant.

2. *Fortunam civitatis*. Id est, jus civitatis. Qui enim justam plenamque libertatem assequebantur, simul et liberi fiebant, et cives romani, ut qui manu mittebantur vindicta—*Vindicta*. Id est, virga qua accensus leviter caput feriebat illius quem prætor in libertatem vindicabat. — Al. «Fortuna sua civitatis jus consequuti ». Lallem. « qui sua virtute fortunam huj. civ. c.» J. V. L.

3. *Summo nati loco*. Ut Lentulus et Catilina, uterque patricii generis.

4. *Commemorem*. Al. *commemoro*. Formula præteritionis, quæ tum usurpatur, quum animus est jam cognita et relata præterire.

5. *Tolerabili conditione sit servitutis*. Servorum quasi gradus erant, aliorum melior, aliorum deterior conditio.

civium perhorrescat; qui non hæc stare[6] cupiat; qui non tantum, quantum audet, et quantum potest, conferat ad communem salutem, voluntatis[7]. Quare si quem vestrum forte commovet hoc, quod auditum est, lenonem quemdam Lentuli[8] concursare circum tabernas, pretio sperantem[9] sollicitari posse animos egentium atque imperitorum: est id quidem cœptum atque tentatum; sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellæ, atque operis, et quæstus quotidiani locum; qui non cubile ac lectulum illum[10] suum; qui denique non cursum hunc otiosum vitæ suæ, salvum esse vellent[11]. Multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt; imo vero (id enim potius est dicendum) genus hoc universum amantissimum est otii. Etenim omne eorum instrumentum, omnis opera ac quæstus, frequentia civium sustinetur, alitur otio: quorum si quæstus, occlusis tabernis[12], minui solet, quid tandem incensis futurum est?

6. *Qui non hæc stare.* Quum hæc diceret Tullius, manu porrecta, ædificia urbis Romæ publica et privata demonstrabat. Ita et cap. 4: «Qui hæc delere conati sunt».

7. *Quantum audet et quantum potest ... voluntatis.* Optime conveniunt hæc verba: non servorum est, in causam, quæ ad cives duntaxat pertinet, intervenire. Conditionis suæ memor servus cupit, *quantum audet;* novit se nihil posse, *quantum potest.*

8. *Lenonem quemdam Lentuli.* Sallustius, cap. 50, sic narrat: «Dum hæc in senatu geruntur... liberti et pauci ex clientibus Lentuli, diversis itineribus, opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant, partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rempublicam vexare soliti erant, etc.» Appianus et Dio scripserunt: «Lentuli et Cethegi famulos libertosque, plurimis fabris collectis, per posticas vias prætorum domos circumobsedisse, ut dominos abriperent; Ciceronem vero de periculo admonitum, cucurrisse cum copiis, custodiaque conjuratis septis, in senatum rediisse, ut eorum judicium maturaret».

9. *Sperantem.* Al. *sperare.* J. V. L.

10. *Illum* edd. non habent. Dedit Lallem. e MSS. J. V. L.

11. *Vellent.* Sic Ernestius pro vulg. *velint.* J. V. L.

12. *Occlusis tabernis.* Quum periculum esset, claudebantur tabernæ edicto consulum.

Quæ quum ita sint, patres conscripti, vobis populi romani præsidia non desunt: vos ne populo romano deesse videamini, providete.

IX. Habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis, atque ex media morte, non ad vitam suam, sed ad salutem vestram reservatum. Omnes ordines ad conservandam rempublicam mente, voluntate, studio, virtute, voce, consentiunt. Obsessa facibus et telis impiæ conjurationis, vobis supplex manus tendit patria communis[1]; vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis arcem et Capitolium, vobis aras Penatium, vobis illum ignem Vestæ perpetuum ac sempiternum, vobis omnia templa deorum atque delubra, vobis muros atque urbis tecta commendat. Præterea de vestra vita, de conjugum vestrarum ac liberorum anima, de fortunis omnium, de sedibus, de focis vestris, hodierno die vobis judicandum est. Habetis ducem, memorem vestri, oblitum sui; quæ non semper facultas datur[2]: habetis omnes ordines, omnes homines, universum populum romanum, id quod in civili causa hodierno die primum videmus, unum atque idem sentientem[3]. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox[4] pæne delerit. Id ne umquam posthac non modo confici, sed ne cogitari quidem possit a civibus, hodierno die providen-

IX. 1. *Patria communis.* Personæ fictio ad animos commovendos efficacissima.

2. *Facultas datur.* Id est, cujus generis ducem non semper habere contingit.

3. *Primum videmus, unum atque idem sentientem.* Nam multi erant dissentientes cum Sp. Melio, quem occidit Servilius Ahala, et cum Gracchis, quorum alterum P. Scipio pontifex maximus, alterum L. Opimius consul interfecit, et cum Saturnino et Glaucia, quos C. Marius consul leto dedit.

4. *Una nox.* Prima Saturnalium. Grævius addit *quam* e MSS.

dum est. Atque hæc, non ut vos, qui mihi studio pæne præcurritis, excitarem, loquutus sum; sed ut mea vox, quæ debet esse in republica princeps, officio functa consulari videretur.

X. Nunc antequam[1], patres conscripti, ad sententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus est conjuratorum, quam videtis esse permagnam, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video: sed eam esse judico turpem et infirmam, contemptam[2] et abjectam. Quod si aliquando, alicujus furore et scelere concitata, manus ista plus valuerit, quam vestra ac reipublicæ dignitas: me tamen meorum factorum atque consiliorum numquam, patres conscripti, pœnitebit. Etenim mors, quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est parata: vitæ tantam laudem, quanta vos me vestris decretis[3] honestastis, nemo est assequutus. Ceteris enim semper[4] bene gestæ, mihi uni conservatæ reipublicæ gratulationem[5] decrevistis.

Sit Scipio[6] clarus ille, cujus consilio atque virtute Hannibal in Africam redire, atque ex Italia decedere coactus est; ornetur alter eximia laude Africanus[7],

X. 1. *Nunc antequam, patres conscripti.* Abest *P. C.* — *Ad sententiam.* Subaud. *rogandam.*

2. *Et infirmam, contemptam.* Et infirmam, *et* contemptam.

3. *Vestris decretis.* Quid intersit senatus decretum, ac senatusconsultum e Sex. Pompeio cognosces.

4. Gruterus abjecit *semper*, quod Grævius quoque delevit. Servant vero Lallem. Ernest. al. Rectius. J. V. L.

5. *Gratulationem.* Id est, supplicationem qua diis gratias agebant.

6. *Sit Scipio.* P. Cornelius Scipio. — *Cujus consilio.* Quia putavit in Africam transeundum, ut Hannibal ab Italia, cui septemdecim annos hærebat, decedere tandem aliquando cogeretur. — *Atque virtute.* Sine qua consilium inutile fuisset. In Africa Carthaginienses pluribus præliis vicit, ita ut in auxilium publicæ salutis Hannibalem ex Italia revocarent. Bellum Punicum secundum confecit. De Scipione vide Livium.

7. *Africanus.* P. Africanus Minor, L. Æmilii Pauli filius, a quo Æmilianus dicitur, quia familiæ Æmiliæ fuit. Adoptatus est a superioris Africani filio.

qui duas urbes huic imperio infestissimas, Carthaginem Numantiamque delevit; habeatur vir egregius, L. Paullus [8] ille, cujus currum rex potentissimus quondam, et nobilissimus, Perses [9] honestavit; sit in æterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit [10]; anteponatur omnibus Pompeius [11], cujus res gestæ atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. Erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostræ gloriæ: nisi forte majus est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur [12]. Quamquam est uno loco conditio melior externæ victoriæ, quam domesticæ: quod hostes alienigenæ aut oppressi serviunt, aut recepti beneficio se obligatos putant; qui autem ex numero civium, dementia aliqua depravati, hostes patriæ semel esse cœperunt, eos, quum a pernicie reipublicæ repuleris, nec vi coercere, nec beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis civibus æternum bellum susceptum esse video: quod ego vestro, bonorumque omnium auxilio, memoriaque tantorum pericu-

8. *L. Paullus.* L. Æmilius Paullus, Macedonicus, Africani Minoris pater naturalis. De hujus vita et de toto hoc bello vide Livium, lib. XLIV, XLV; Florum, lib. II, cap. 12; Plutarch.

9. *Perses.* Rex Macedoniæ, Philippi II filius. — *Currum.* Scilicet triumphalem, ante quem Perses in catenis ductus est. Vide Livium, lib. XLV, cap. 35; Flor. lib. II, cap. 2.

10. *Bis... liberavit.* Semel quum Teutonos in Gallia Narbonensi ad internecionem delevit; iterum quum Cimbros sub Alpibus in Insubria fudit. Utraque vero hostium multitudo ac veluti nubes Italiam occupatura veniebat. Vell. Paterc. lib. II, cap. 11; Flor. lib. III, cap. 3. Hinc dicitur custos Urbis, orat. III.

11. *Pompeius.* Laudes Cn. Pompeii Magni ipse Cicero exposuit in oratione pro lege Manilia.

12. *Quo victores revertantur.* Huc pertinet dictum Pompeii, quod refert lib. I, cap. 22 de Officiis: «Mihi quidem Pompeius hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in remp. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus».

lorum, quæ non modo in hoc populo, qui servatus est, sed etiam in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper hærebit, a me atque meis facile propulsari posse confido. Neque ulla profecto tanta vis reperietur, quæ conjunctionem vestram equitumque romanorum, et tantam conspirationem [13] bonorum omnium perfringere et labefactare possit.

XI. Quæ quum ita sint, patres conscripti, pro imperio [1], pro exercitu, pro provincia, quam neglexi, pro triumpho, ceterisque laudis insignibus, quæ sunt a me, propter urbis vestræque salutis custodiam, repudiata, pro clientelis hospitiisque [2] provincialibus, quæ tamen urbanis opibus [3] non minore labore tueor, quam comparo; pro his igitur [4] omnibus rebus, pro meis in vos singularibus studiis, proque hac, quam conspicitis, ad conservandam rempublicam [5] diligentia, nihil aliud a vobis, nisi hujus temporis, totiusque

13. *Conspirationem*. Id est, consensum.

XI. 1. *Pro imperio*. Id est, pro dignitate imperatoria, qua præditus est is qui præest exercitui. — *Pro exercitu*. Quem habuisset in provincia Macedonia, quam ut pinguiorem collegæ Antonio concesserat, ut illum a societate Catilinæ abduceret. — *Pro provincia quam neglexi*. Scilicet Gallia quam, mutata cum Antonio provincia, acceperat; sed judicans se Romæ præsentem magis profuturum, illam ipsam provinciam prætori Metello Celeri dari curavit.

2. *Pro clientelis hospitiisque*. Id est, pro dignitate, quam mihi clientum multitudine et hospitiis comparaturus fuissem in provincia. Clientela significat multitudinem clientum qui se in fidem patrociniumque alicujus potentis principisve dederunt. Non solum autem privati ec plebeii ex patriciis patronos sibi elegerunt, sed etiam coloniæ et sociæ civitates. Siculi, exempli gratia, fuerunt in clientela Marcellorum, Allobroges in clientela Fabiorum. Vide Sallust. cap. 41.

3. *Urbanis opibus*. Quæ auctoritate, gratia, potentia mea, quam Romæ, pro clientum et amicorum multitudine habeo, tueor, et quæ quotidie comparo. Testatur enim Plutarchus multo plures ad Ciceronis domum quoque mane concurrere clientes, quam ad ditissimi cujusque ædes.

4. *Igitur*. Loco *inquam*. Vide Tursell. de particulis.

5. *Rempublicam diligentia*. Græv. adnotat in Erfurt. legi: « adeo conservanda reip. diligentia ». Verum solus ille ea miscuit, neque hujus generis recipienda constructio videtur, etiamsi alii codices vulgatam impugnarent.

mei consulatus memoriam postulo[6]: quæ dum erit vestris mentibus infixa, firmissimo me muro septum esse arbitrabor. Quod si meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit; commendo[7] vobis parvum meum filium : cui profecto satis erit præsidii, non solum ad salutem, verum etiam ad dignitatem, si ejus, qui hæc omnia suo solius periculo[8] conservaverit, illum esse filium memineritis. Quapropter de summa salute vestra, populique romani[9], patres conscripti, de vestris conjugibus ac liberis, de aris ac focis[10], de fanis ac templis, de totius urbis tectis ac sedibus, de imperio, de libertate, de salute Italiæ, deque universa republica decernite diligenter, ut instituistis[11] ac fortiter. Habetis[12] enim eum consulem, qui et parere vestris decretis non dubitet, et ea, quæ

6. *Postulo*. Quia nempe meorum in consulatu beneficiorum memoria me satis contra improborum prava consilia firmum præstabunt.

7. *Commendo*. Verissimi affectus plena hæc peroratio, et qua consul, quid in futurum prospexerit, optime demonstrat. Scilicet non eum fugiebant quot ei a reliquis conjuratis pericula imminerent; verum hæc omnia et vidit, et sensit; nec tamen a servandæ patriæ voluntate, ne uno quidem temporis momento, deterritus est. Legant istam orationem, quibuscumque visus est Cicero parum animi in magnis rebus habuisse, et discant non sine summo robore hæc agere potuisse Ciceronem, quum sibi omnia insumeret, se pro patria omnino devoveret, ac suum exsilium, consecratam domum, erepta bona, jam divinaret!

8. *Suo solius periculo*. Olim « suo solus ». Optime Grævius e MSS correxit, licet ceteri codd. et pleræque edd. dissentiant. Abunde formulam non vulgarem, in qua una errare literula facillimum librariis fuit, quinque Græviani codices vindicant. Sic alibi Tullius, et ejus simillimos locos duos attulit Rhunkenius ad Rutil. sup. de fig. I, 7.

9. *Populique rom*. Addit Grævius ex nonnullis MSS, « P. C. populique R. » hunc sequutus est Garatonius.

10. *De aris et focis*. *Aræ* et *foci* in hac formula privatarum ædium sunt. *Aras* in impluvio, *focos* in atriis collocabant. Jam ad publica venit, de fanis ac templis, etc.

11. *Ut instituistis*. Nam superiori senatu, quem habuit in æde Concordiæ, indiciis contra conjuratos expositis, confessisque conjuratis, quum senatum consuluisset, de summa reipublicæ quid fieri placeret; dictæque essent a principibus acerrimæ ac fortissimæ sententiæ, senatus eas sine ulla varietate est consequutus. Orat. III.

12. *Habetis*. Gruter. ex editione principe : « Habetis enim eum consu-

statueritis, quoad vivet, defendere, et per se ipsum præstare[13] possit.

lem ». Sed bene abest vocula hæc a codd. plerisque. Voces *enim* et *eum* sæpius apud librarios confusæ fuerunt ac permixtæ.

8. *Per se ipsum præstare*. Efficere ne quis eas civis improbus infirmare possit. *Per se ipsum* dicit, quod aliorum opem exspectaturus in ea defensione non sit.—Tullius usque adeo movit animos, ut, Catuli et Catonis habita deinde oratione, omnes fere ad unum ad sententiam mortis reversi sint. Supplicium de conjuratis eodem momento sumptum est.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO L. MURENA

ARGUMENTUM.

Anno U. C. 690, quum Cicero consul comitia consularia haberet, consules in annum proximum designati sunt Decimus Silanus et L. Murena, repulsam autem tulit Serv. Sulpicius jureconsultus. Is ea re commotus ambitus Murenam accusavit cum tribus subscriptoribus, M. Catone, Cn. Postumio, et Ser. Sulpicio adolescente. Murenam prima actione defendit Q. Hortensius, altera M. Crassus, tertia M. T. Cicero consul.

In exordio primum ait se Murenam, quem in comitiis consularibus diis commendavisset, nunc judicibus commendare, c. 1. Deinde respondet Catonis reprehensioni, qui negaverat rectum fuisse, Ciceronem et consulem et legis de ambitu latorem, et tam severe gesto consulatu causam M. Murenæ attingere; docetque consulem designatum a consule reipublicæ causa defendendum esse, nec legis de ambitu lationem impedire, quo minus hominem innocentem periculo liberet, 2, 3. Deinde accedit ad Ser. Sulpicii conquestionem, qui se gravissime et acerbissime ferre dixerat, Ciceronem familiaritatis necessitudinisque oblitum causam L. Murenæ contra se defendere; cui Cicero reponit, nihil ipsi consulatum petenti a se defuisse, quod esset aut ab amico, aut a gratioso, aut a consule postulandum. Nunc autem se ei contra salutem Murenæ nihil debere, nec æquum esse, se consulem designatum, quicum sibi vetus et magna amicitia sit, in capitis dimicatione deserere, 4.

Jam quum tres totius accusationis partes fuissent, quarum una in reprehensione vitæ Murenæ, altera in contentione dignitatis, tertia in criminibus ambitus esset versata, in prima parte diluenda orator primum occurrit Sulpicio, qui Asiam Murenæ objecerat, quam docet Cicero ab eo non ad voluptatem et luxuriam expetitam esse, sed in militari labore peragratam, 5; deinde Catoni, qui eum saltatorem appellaverat, quod maledictum conviciatoris potius, quam accusatoris esse, nihilque in vitam Murenæ vere dici posse ostenditur, 6.

Sequitur altera pars de contentione dignitatis. Nempe quia Sulpicius ipse sibi dignior consulatu candidatus visus erat, ut

Murenam non sine ambitu consulatum adipisci potuisse crederet: Cicero ostendit in utroque parem esse dignitatem generis, integritatis, industriæ cetcrorumque ornamentorum, quibus fretus aliquis ad consulatus petitionem aggredi possit, ut neque Murena dignitate a Sulpicio vinci potuerit, neque ille hunc dignitate superarit. Itaque primum de utriusque genere ac nobilitate, 7; deinde de quæstura, tum de rebus post quæsturam gestis agit; ubi ostendit Sulpicium jurisprudentiæ laude, Murenam rei militaris gloria floruisse; summam autem esse dignitatem ad consulatum obtinendum in iis qui militari laude antecellant, deinde in dicendi facultate; juris civilis scientiam quamvis utilem, tamen minus amplam et gratiosam esse, 8-16. Et quoniam Sulpicius objecerat, se in præturæ petitione priorem esse renuntiatum, demonstratur ex eo non sequi, Sulpicium etiam priore loco consulem fuisse designandum. In præturæ petitione Murenæ duas res obfuisse, vehementer desideratas; unam, quod quum ædilis non fuisset, munus, h. e. ludos populo deberet, alteram, quod ii quos in provincia ac legatione liberalitatis et virtutis suæ testes habuerat, nondum provincia decessissent. Utrumque ei in consulatu petendo multum profuisse. Nam munus in petitione præturæ desideratum, in prætura amplissimum populo dedisse, et L. Luculli exercitum, qui ad triumphum convenerat, eumdem comitem L. Murenæ præsto fuisse; hanc autem militum voluntatem in consule declarando multum apud universum populum romanum auctoritatis habere, 17-19. In ipsa prætura gerenda Murenæ sortem juris dicundi, Sulpicio quæstionem peculatus obtigisse; in illa majorem fuisse facultatem multorum sibi benivolentiam adjungendi. Et quum post præturam Sulpicius in provinciam ire noluerit, Murenam in regenda Gallia Transalpina multas bonas gratias cum optima existimatione attulisse, 20. Postremo in consulatus petitione Sulpicio obfuisse, quod pæne quotidie in accusationibus elaborarit, quibus et populi opinionem a spe adipiscendi consulatus averterit, et amicorum studia debilitarit, et impeditus sit, ne posset omnem curam, operam diligentiamque in petitione ponere; denique etiam multorum animos offenderit, 21-23. Magnum vero ad Murenam præferendum momentum accessisse, quod quum homines Sulpicium remissiorem in petendo putarent,

Catilinam vero in petendo consulatu spe et cupiditate inflammatum viderent, omnes, qui illam a republica pestem depellere cuperent, ad Murenam se statim contulerint, 24-26.

Sequitur tertius locus de ambitus crimine, in quo quod Postumius dixerat, per divisores a Murena ad suffragia obtinenda pecunias distributas easque deprehensas fuisse; Sulpicius filius, a L. Murenæ privigno L. Natta equites ad prandium invitatos esse : primum Cicero Murenæ fortunam conqueritur, quod quum ex honoribus continuis familiæ majorumque suorum summum adscendere gradum dignitatis conatus sit, veniret in periculum, ne propter studium novæ laudis etiam in veteris fortunæ discrimen adducatur; et quod, præter Sulpicium patrem, quem non injuria Murenæ, sed honoris contentio permoverat, accusetur a Cn. Postumio, paterno amico, et vetere vicino ac necessario, deinde a Ser. Sulpicio, adolescente, filii sodali, a quo exspectandum esset, ut paternos amicos potius defenderet, quam accusaret; denique a Catone, qui quum numquam a Murena alienus fuisset, ea conditione in civitate natus esset, ut ejus opes et ingenium præsidio multis etiam alienissimis, vix cuiquam inimico exitio esse deberent, 27.

Jam quæ Cicero Postumio et Sulpicio adolescenti respondit, ea omnia interciderunt. Superest ea pars, qua Catonem confutavit. Cujus primum deprecatur auctoritatem ne forte reo noceat, 28. Deinde mores ejus laudat; tum stoicæ philosophiæ, cui Cato se addixerat, asperitatem ac duritiem facete ridet, 29-31; deinde quæ Cato attulerat ad confirmandum ambitus crimen, refutat, 32-36. Postremo Murenam in consulatu retinendum esse docet, ob pericula a Catilinæ reliquiis urbi imminentia, quæ magis etiam, quam ipse ejus exercitus, timenda sint, 37-39.

In peroratione judices hortatur, ut otio, ut paci, ut saluti, ut vitæ civium consulant, eosque obsecrat, ut Murenæ beneficium populi conservent, eumque reipublicæ consulem reddant, simulque eum ita commendat, ut cupidissimum otii, studiosissimum bonorum, acerrimum contra seditionem, fortissimum in bello, inimicissimum conjurationi Catilinariæ futurum esse spondeat, 40, 41.

Murenam absolutum esse constat, et consulatum cum Silano anno 691 gessisse. Cf. orat. pro Flacco, 31. Ceterum habet

hæc oratio plurimum suavitatis et artis. Nam illa contentio jurisconsulti cum imperatore, et reprehensio juris scientiæ ac philosophiæ stoicæ longe jucundissima est, sed ita comparata, ut non posset magnopere aut Sulpicium aut Catonem offendere, quamquam Plutarchus commemorat, Catonem, quum ita disputaret Cicero, dixisse omnibus audientibus, ut erat in isto genere magna Romæ libertas : « O dii boni, quam ridiculum consulem habemus ! » Ceterum juvat de hac stoicæ philosophiæ reprehensione audire, Cicero quid dixerit lib. IV de Fin. B. et M. c. 27 : « Omnia peccata paria dicitis. Non ego jam tecum ita loquar, Cato, ut iisdem his de rebus, quum L. Murenam, te accusante, defenderem. Apud imperitos tum illa dicta sunt : aliquid etiam coronæ datum. Nunc agendum subtilius ». De artificio autem, quo Sulpicium et Catonem reprehendit, ita Quintilianus, lib. XI, 1, 68 sq. « Plus est difficultatis, ubi ipsos, contra quos dicimus, veremur offendere. Duæ simul hujusmodi personæ Ciceroni pro Murena dicenti obstiterunt, M. Catonis et Serv. Sulpicii. Quam decenter tamen Sulpicio, quum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi consulatus ademit ? quid enim aliud esset, quo se homo nobilis et juris antistes victum magis ferret? Ut vero rationem suæ defensionis reddidit, quum se studuisse petitioni Sulpicii contra honorem Murenæ, non idem debere accusationi contra caput, diceret ? Quam molli autem articulo tractavit Catonem ? cujus naturam summe admiratus, non ipsius vitio, sed stoicæ sectæ, quibusdam rebus duriorem videri factam volebat, ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse ».

Habita est hæc oratio mense novembri, anno U. 690, post Catilinariam secundam.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PRO L. MURENA ORATIO.

ORATIO TERTIA ET VICESIMA.

I. Quæ deprecatus[1] a diis immortalibus[2] sum, judices, more institutoque majorum[3], illo die, quo auspicato[4], comitiis centuriatis, L. Murenam consulem renuntiavi[5]; ut ea res mihi, magistratuique meo, populo plebique romanæ, bene atque feliciter eveniret:

I. 1. Alii, ut Manut. Lambin. Lallem. *precatus*. Revocavit Gruter. *deprecatus* e pr. ed. et MSS. J. V. L.

2. *A diis immortalibus*. Solemnem hunc exordiendi modum, quo deos omnes advocat Cicero, videtur a præclarissimo Demosthenis pro Cor. exordio desumpsisse. Sed et hoc loco maxime convenit, quum consul pro designato consule sit dicturus, augustissima quæque quasi Rostris circumdare, et deorum majestatem cum humana dignitate communicare.

3. *More institutoque majorum*. Solebant magistratus, priusquam ea exponerent populo, propter quæ cognoscenda ille convocatus esset, ad deorum invocationem quædam composita pronuntiare, quibus salus populi romani illis commendaretur, et peteretur felicitas.

4. *Quo auspicato*. Non enim sine auspiciis comitia in campo habebantur. Quod si infausta signa de cælo essent nuntiata, vitiosa comitia in alium diem rejiciebantur, solemni formula auguris dicentis, *alio die*. Hinc quantum fraudi, artibusque profuerint auspicia facile judicaveris. Vid. de Natura Deorum II, 4; de Divin. I, 17.

5. *Consulem renuntiavi*. Consules inter se sortiebantur uter comitia haberet et suffragia centuriarum annuntiaret.

eadem precor ab iisdem diis immortalibus ob ejusdem hominis consulatum una cum salute[6] obtinendum, et ut vestræ mentes atque sententiæ cum populi romani voluntatibus[7] suffragiisque consentiant, eaque res vobis, populoque romano, pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat. Quod si illa solemnis comitiorum precatio, consularibus auspiciis consecrata, tantam habet in se vim et religionem, quantam reipublicæ dignitas postulat: idem ego sum precatus, ut eis quoque hominibus, quibus hic consulatus, me rogante[8], datus esset, ea res fauste, feliciter, prospereque eveniret. Quæ quum ita sint, judices, et quum omnis deorum immortalium potestas aut translata sit ad vos, aut certe communicata vobiscum: idem consul eum vestræ fidei commendat, qui antea diis immortalibus commendavit; ut ejusdem hominis voce et declaratus consul, et defensus, beneficium populi romani cum vestra atque omnium civium salute tueatur. Et, quoniam[9] in hoc officio studium meæ defensionis ab accusatoribus, atque etiam ipsa susceptio causæ reprehensa est: antequam pro L. Murena dicere instituo, pro me ipso pauca dicam; non quo mihi potior, hoc quidem in tempore, sit officii[10] mei,

6. *Consulatum una cum salute.* Si Murena in judicio superatus fuisset, non solum consulatu, sed etiam jure ipso civis exutus et capite deminutus esset.

7. Olim, *voluntate.* J. V. L.

8. *Me rogante.* Comitia habente. Fallitur Manutius, quum dicit eum, qui comitiis præerat, populum rogare, quos vellet, magistratus faceret et nominato quoque candidato, dicere: « Rogo vos, Quirites, velitisne L. Licinium Murenam consulem fieri ». Quod si populus probaret, suffragiorum tabellas ferebat ita inscriptas, V. R. id est, uti rogas. Quod et longius fuisset, et omnino absurdum rogare simul de omnibus et tabellas *uti rogas* inscriptas distribuere. Tabellæ nomen candidatorum inscriptum habebant. Cf. pro Domo, 43; T. Liv. XXIV, 7.

9. *Et quoniam.* Cicero, antequam pro Murena respondet, collatam in se accusatorum invidiam amolitur, ita ut ad causam animos judicum præparet ac præmuniat.

10. *Officii mei.* Cujus mihi, ut publico magistratui, est reddenda ratio.

quam hujusce salutis defensio, sed ut, meo facto vobis probato, majore auctoritate ab hujus honore, fama, fortunisque omnibus, inimicorum impetus propulsare possim.

II. Et primum M. Catoni, vitam ad certam rationis normam dirigenti[1], diligentissime perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo respondebo. Negat fuisse rectum Cato, me et consulem, et legis ambitus[2] latorem, et tam severe gesto consulatu, causam L. Murenæ attingere. Cujus reprehensio me vehementer movet, non solum ut vobis, judices, quibus maxime debeo, verum etiam ut ipsi Catoni, gravissimo atque integerrimo viro, rationem facti mei probem. A quo tandem, M. Cato, est æquius consulem defendi, quam a consule? Quis mihi[3] in republica potest, aut debet esse conjunctior, quam is, cui respublica a me una[4] traditur sustinenda, magnis meis laboribus et periculis sustentata? Quod si in iis rebus repetendis, quæ mancipi sunt[5], is periculum judicii

II. 1. *Normam dirigenti.* E stoica disciplina. — *Momenta officiorum.* Est gravitas officiorum, quanti quodlibet officium sit faciendum, quod alii præferendum. Est enim aliud officium alio gravius, ut Tullus in primo et tertio de Officiis docet.

2. *Legis ambitus.* Quum populum profusione omni ac largitionibus tentarent candidati, et suffragia mercede compararent, severas leges de crimine hoc tulit senatus; quæ quum non ambitiosos homines satis a cupiditate deterrerent, et sancitæ pœnæ honorum spe leviores viderentur, novam tulit Cicero consul, qua præter quam reus multa afficiebatur, et publicis muneribus perpetuo removebatur, quod jam Calpurnia lege jubebatur, etiam exsilii pœnam per decem annos subibat. De lege hac vide plura ad calc. prim. vol. in Excurs. de jud. publ. § de ambitu, et in Indice Legum.

3. *Quis mihi.* Quia ego sorte ductus eum renuntiavi consulem et cavi ut salva esset respublica.

4. Lamb. conj. *uno*, quod Græv. recepit. Ernest. malit utrumque abesse. J. V. L.

5. *Quæ mancipi sunt.* Quæ mancipio alienantur, ita ut ea abalienatio per nexus quamdam solemnitatem fiat. Qui rem mancipi dabat, illud facere non poterat, nisi adhibita libra, et ære, et quinque testibus civibus romanis præsentibus, ut ad evictionem obstringeretur, id est, ad ablationem rei emptæ, interveniente judicis decreto. Nam

præstare debet[6], qui se nexu obligavit: profecto etiam rectius in judicio consulis designati, is potissimum consul, qui consulem declaravit, auctor[7] beneficii populi romani, defensorque periculi esse debebit. Ac, si, ut nonnullis in civitatibus fieri solet, patronus huic causæ publice[8] constitueretur: is potissime honore affecto defensor daretur, qui eodem honore præditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis, quam facultatis. Quod si portu solventibus[9], ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, præcipere summo studio solent et tempestatum rationem, et prædonum, et locorum; quod natura fert[10], ut eis faveamus, qui eadem pericula[11], quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo tandem me animo esse oportet, prope jam ex magna jactatione terram videntem[12], in hunc, cui video maximas reipublicæ

evinci res dicitur aliena, quæ non a vero possessore vendita est tertio, et legitimo possessori repetita sententia judicis redditur et ab eo anfertur.

6. *Periculum judicii præstare debet.* Periculum evictionis suscipere, quod in rebus mancipi venditor præstabat; efficere ut alienatio illa, et venditio rata sit, ne quid is, qui emit, damni patiatur. — *Qui se nexu obligavit.* Qui pro rebus mancipio alienatis ita promisit, ut se et sua bona obligaret.

7. *Auctor.* Quo nomine proprie is, qui rem mancipio vendit ac tradit, appellatur. Cf. Plaut. Curcul. IV, 2.

8. *Publice.* Non a reo, sed civitate electus et receptus.

9. Victorius, post Quintil. V, 11, 23, *e portu solventibus.* J. V. L.

10. Sic ex eodem Quintil. Lambin. Muret. Græv. pro vulg. *affert.* J.V. L.

11. *Eadem pericula.* Ex his verbis deducit Manutius, post non. decembr. conjuratorum principibus interfectis habitam hanc orationem fuisse; tunc enim *periculis perfunctus* omnibus Cicero fuit. Verum hæc generatim de consulatu dicuntur, eoque difficili, et additur *eadem* quod nondum temporum conditio esset mutata. Certe ut ex c. 3 constat, Catilina expulso judicium hoc habitum fuit, quod intra tricesimum diem erat de more absolvendum, verum nondum ceteri conjurati morte multati apparent. Hoc etiam conficitur ex c. 37, neque enim tantus injici conjurationis metus potuit, si omnia jam essent patefacta, suppliciumque de reis jam sumptum.

12. *Terram videntem.* Periculorum maxima parte defunctum et tamquam ad portum succedentem. Verba sunt comparationem exceptione quadam exigua, sed nullo temporis spatio definita exigentis; iisque respondent, *qui jam*, etc.

tempestates esse subeundas? Quare, si est boni consulis, non solum videre, quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit: ostendam alio loco, quantum salutis communis intersit, duos consules in republica kalendis jan.[13] esse. Quod si ita est, non tam me officium debuit ad hominis amici fortunas, quam respublica consulem ad communem salutem defendendam vocare.

III. Nam quod legem de ambitu tuli, certe ita tuli, ut eam, quam mihimet ipsi jampridem tulerim de civium periculis defendendis, non[1] abrogarem. Etenim si largitionem factam esse confiterer, idque recte factum esse defenderem, facerem improbe, etiamsi alius legem tulisset: quum vero nihil commissum contra legem esse defendam, quid est, quod meam defensionem latio legis[2] impediat?

Negat esse[3] ejusdem severitatis, Catilinam exitium reipublicæ intra mœnia molientem, verbis et pæne imperio urbe expulisse; et nunc pro L. Murena dicere. Ego autem has partes[4] lenitatis et misericordiæ, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi; sed ab republica mihi impositam[5] sustinui, sicut hujus

13. *Kalendis jan.* Primo die januarii magistratus et præcipue consules munnsinibant. Designabantur quinque mensibus antequam officio fungi inciperent; quo intervallo quærebatnr an pravis rationibus ad consulatnm essent grassati.

III. 1. *Non abrogarem.* Qnum legem de ambitu tnli consnl, non ea mihi mens fuit ut eam tollerem mihi natura insitam, qua cives meos defendere et tueri constitui.

2. *Latio legis.* Quid est cur non reum defendere possim, qui lege mea non tenetur.

3. *Negat esse.* Cato ait se in eo qui Murenam defendit, non eum consulem agnoscere, cujus eloquentia ac pæne imperium Catilinam urbe expulit.

4. *Has partes.* Cuilibet naturam propriam seqnendam esse non vitiosam, nec affectandum quod assequi non possumus, docet Cicero de Officiis, lib. I, cap. 31.

5. *Mihi impositam.* Pro salute sua. — *Hujus imperii.* Consularis.

imperii dignitas, in summo periculo civium, postulabat. Quod si tum, quum respublica vim et severitatem desiderabat, vici naturam [6], et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam : nunc, quum omnes me causæ ad misericordiam atque ad humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturæ meæ consuetudinique servire? At [7] de officio defensionis meæ ac [8] de ratione accusationis tuæ, fortasse etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit.

Sed me [9], judices, non minus hominis sapientissimi atque ornatissimi, Ser. Sulpicii, conquestio, quam Catonis accusatio commovebat : qui gravissime et acerbissime ferre dixit, me familiaritatis necessitudinisque [10] oblitum, causam L. Murenæ contra se defendere. Huic ego, judices, satifacere cupio, vosque adhibere arbitros [11]. Nam quum grave est, vere accusari in amicitia, tum, etiamsi falso accuseris, non est negligendum.

Ego, Ser. Sulpici, me in petitione tua tibi omnia studia atque officia, pro nostra necessitudine, et debuisse confiteor, et præstitisse arbitror. Nihil tibi, consulatum petenti, a me defuit, quod esset aut ab amico, aut a gratioso [12], aut a consule postulandum. Abiit illud tempus : mutata ratio est. Sic existimo, sic mihi persuadeo, me tibi contra honorem [13] L. Murenæ,

6. *Vici naturam*. Meam indolem.

7. Vulg. *Ac*. Paruimus auctoritati Gœrenzii, ad Cic. Acad. II, 8. J.V.L.

8. Lallem. ne duplicaret *ac*, post dedit, *et de r. acc. tuæ*. J. V. L.

9. *Sed me*. Transit a Catone ad alium accusatorem Ser. Sulpicium, cui probare studet se omni culpa læsæ amicitiæ carere, nec quidquam pristini studii ei detraxisse.

10. *Familiaritatis necessitudinisque*. Cicero ipse in oratione pro rege Dejotaro has duas voces explanavit : familiaritatem consuetudo attulit, summam vero necessitudinem magna ejus officia in me et in exercitum meum effecerunt.

11. *Arbitros*. Egregie facit *arbitros* judices hujus rei, quæ extra causam esset.

12. *A gratioso*. Ab homine qui gratia aliqua valeret.

13. *Contra honorem*. Ut obstarem

quantum tu a me postulare ausus sis, tantum debuisse; contra salutem [14], nihil debere. Neque enim, si tibi tum, quum peteres consulatum, affui, idcirco nunc, quum Murenam ipsum petas [15], adjutor eodem pacto esse debeo. Atque hoc non modo non laudari, sed ne concedi quidem potest, ut, amicis nostris accusantibus, non etiam alienissimos [16] defendamus.

IV. Mihi autem cum Murena, judices, et vetus, et magna amicitia est, quæ in capitis dimicatione [1] a Ser. Sulpicio non idcirco obruetur, quod ab eodem in honoris contentione [2] superata est. Quæ si causa non esset, tamen vel dignitas hominis, vel honoris ejus, quem adeptus est, amplitudo, summam mihi superbiæ crudelitatisque famam inussisset, si hominis, et suis et populi romani ornamentis amplissimi, causam tanti periculi [3] repudiassem. Neque enim jam mihi licet, neque est integrum [4], ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam. Nam quum præmia [5] mihi tanta pro hac industria sint data, quanta antea nemini: labores, per quos ea ceperis, quum adeptus sis, deponere, esset hominis et astuti, et in-

quominus Murena consul designaretur.

14. *Contra salutem*. Quum vero non jam res agatur, ut a consulatu petendo Murena dejiciatur, sed ab ipsa Urbe et fortunis depellatur.

15. *Quum Murenam ipsum petas*. Invadas, oppugnes. Nihil jam me tibi debere arbitror.

16. *Alienissimos*. Nedum Murenam quocum et vetus et magna mihi est amicitia.

IV. 1. *Dimicatione*. Quam cum Murena amicitiam non ideo Sulpicio condonabo, et obliviscar, quod apud me pluris valuit, quum de consulatu ageretur.

2. *In honoris contentione*. In petitione consulatus. — *Superata est*. Amicitia.

3. *Tanti periculi*. In qua causa fortunæ omnes aguntur.

4. *Neque est integrum*. Id est absolutum. In mea potestate non versatur. Sic Att. II, 4: « Mihi integrum est facere vel non facere »; pro Rab. 28: « Ego, si mihi esset integrum, susciperem hoc crimen ».

5. *Præmia*. Cicero ornatus fuerat quæstura, ædilitate, prætura, et consulatu. Quæ pleraque munera aut competitorum primus, aut in primis obtinuerat.

grati[6]. Quod si licet desinere[7], si te auctore possum, si nulla inertiæ, nulla superbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur, ego vero libenter desino. Sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit : nimirum hæc causa est ejusmodi, quam nec industrius, nec misericors, nec officiosus deserere possit. Atque hujusce rei conjecturam de tuo ipsius studio, Servi, facillime ceperis[8]. Nam si tibi necesse putas, etiam adversariis amicorum tuorum, de jure consulentibus, respondere; et, si turpe existimas, te advocato[9], illum ipsum, quem contra veneris, causa cadere : noli tam esse injustus, ut, quum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere. Etenim, si me tua familiaritas ab hac causa removisset, et si, hoc idem Q. Hortensio, M. Crasso[11], clarissimis viris, si item ceteris, a quibus intelligo tuam gratiam magni æsti-

6. *Et astuti, et ingrati.* Qui et spe atque exspectatione sua frustrari populum romanum, et callide suorum commodorum causa ad tempus illi inservire, et oblivisci beneficiorum quæ in se collata essent maxima, non dubitaret.

7. *Quod si licet desinere.* Non jam miseris succurrere, et a solitis laboribus respirare.

8. *Conjecturam.... ceperis.* Judicaveris.

9. *Te advocato.* Fingit Cicero Sulpicium, postquam ab uno amici sui adversario consultus bene rem cessuram responderit, si postea ab amico advocatus fuerit ut præsentiam suam ipsi commodet, et hoc ipso judicum auctoritatem commoveat, tamen ægre laturum, si adversarius is, quem priorem consiliis adjuverat, causa ceciderit, contra responsum tuum.

10. *Quem contra veneris.* Adversarium amici tui, contra quem nunc venis, quamvis eum tuis primo consiliis adjuveris. Argumentum autem hoc haurit inde Cicero : Si tu ne inimicis quidem tuis deesse vis; cur ego amicis desim? Quamquam ego in arte mea parum, tu multum in tua valeas; ut, si ego tecum conferar, rivuli cum fontibus conferri videantur.

11. *Q. Hortensio, M. Crasso.* Unam causam a pluribus defendi ostendit Cicero, et hunc morem improbans, ait : « Neque tam multa quam nostra ætate, judicia fiebant, neque hoc quod nunc fit, ut causæ singulæ defenderentur a pluribus, quo nihil est vitiosius ».

mari, accidisset; in ea civitate consul designatus defensorem non haberet, in qua nemini umquam infimo majores[12] nostri patronum deesse voluerunt. Ego vero[13], judices, ipse me existimarem nefarium, si amico, crudelem, si misero, superbum, si consuli defuissem. Quare quod dandum est amicitiæ, large dabitur a me, ut tecum agam, Servi[14], non secus, ac si meus esset frater, qui mihi est carissimus, isto[15] in loco: quod tribuendum est officio, fidei, religioni[16], id ita moderabor, ut meminerim, me contra amici studium pro amici periculo dicere.

V. Intelligo[1], judices, tres totius accusationis partes fuisse, et earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.

Atque harum trium partium prima illa, quæ gravissima esse debebat, ita fuit infirma et levis, ut illos lex magis quædam accusatoria[2], quam vera maledicendi facultas de vita L. Murenæ dicere aliquid coegerit. Objecta est enim Asia[3]: quæ ab hoc non ad

12. *Infimo.* Prætor enim iis qui advocato carebant dicere solebat: « Si non habebunt advocatum, ego dabo ». Nec solum hisce personis prætor hanc humanitatem solet adhibere, verum etiam si quis alius sit, qui certis ex causis, vel ambitione adversarii, vel metu patronum non invenerit.

13. *Ego vero.* Elegans disjunctio commatum, qua fit oratio et illustris, et aucta atque ornata.

14. *Servi.* Ita in epistolis aliquoties solo prænomine appellat, et infra sæpius facit; quod familiaritatem et amicitiam indicat.

15. *Isto in loco.* In accusatorum subselliis. Vide orationem pro Cluentio, cap. 24.

16. *Religioni.* Quia eum auspicato enunciaverim.

V. 1. *Intelligo.* Partitionem hanc confutationis laudat et commendat Quintilianus, ut qua causam lucidissime ostendat, et nihil fecerit supervacuum.

2. *Lex accusatoria.* Accusatorum mos et consuetudo. Solent enim accusatores ante actæ vitæ crimina reo objicere, quo magis credibile sit crimen id quod causæ proprium est; id autem quam maxime observant accusatores, quod criminibus ante actis ad cetera credenda præparentur et quasi manu ducantur judices; itaque accusatoria quædam lex esse videtur.

3. *Objecta est enim Asia.* Asia om-

voluptatem et luxuriam expetita est, sed in militari labore peragrata. Qui si adolescens, patre suo imperatore, non meruisset [4]; aut hostem, aut patris imperium timuisse; aut a parente repudiatus videretur. An, quum sedere in equis triumphantium prætextati [5] potissimum filii soleant, huic donis militaribus [6] patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis pæne simul cum patre triumpharet [6]? Hic vero, judices [8], et fuit in Asia, et viro fortissimo, parenti suo, magno adjumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Et, si habet Asia suspicionem luxuriæ quamdam; non Asiam numquam vidisse, sed in Asia continenter vixisse, laudandum est.

Quamobrem non Asiæ nomen objiciendum Murenæ fuit, ex qua laus familiæ, memoria generi, honos et gloria nomini constituta est: sed aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. Meruisse [9] vero stipendia in eo bello, quod tum populus romanus non modo maximum, sed etiam solum gerebat, virtutis; patre imperatore libentissime meruisse, pietatis; finem stipendiorum, patris victoriam ac triumphum fuisse, felicitatis fuit. Maledicto

nibus libidinum illecebris repleta, maxime deplorandam romanis moribus luxuriam invexerat.

4. *Non meruisset.* Nempe stipendia: non militasset.

5. *Prætextati.* Moris erat, ut qui triumphans in Urbem introibat, liberos utriusque sexus, si modo prætextati essent, in curru juxta se haberet; sin grandiores essent, equis jugalibus funalibusque imponeret. Quod si plures essent, equis singularibus vecti currum prosequebantur. Cf. Suet. in Tib. 5.

6. *Donis militaribus.* Ob virtutem a patre acceptis.

7. *Cum patre triumpharet.* Murenæ pater, Sullæ legatus, de Mithridate triumphavit, ut etiam in Manilia dicitur.

8. *Hic vero, judices.* Gloriosa objecti criminis confessio et egregia defensio.

9. *Meruisse vero stipendia in eo bello*, etc. Conclusio, qua præterquam honestatis, fortitudinis etiam ac pietatis laus continetur.

quidem idcirco nihil in hisce rebus loci est, quod omnia laus occupavit [10].

VI. Saltatorem [1] appellat L. Murenam Cato. Maledictum [2] est, si vere objicitur, vehementis accusatoris; sin falso, maledici conviciatoris. Quare quum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convivio [3], neque temere consulem populi romani saltatorem vocare; sed conspicere [4], quibus præterea vitiis affectum esse necesse sit eum, cui vere istud objici possit. Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto. Tempestivi convivii [5], amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum; relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omnino esse non potest. Nullum turpe convivium, non amor, non comissatio, non libido, non sumptus

10. *Laus occupavit.* De Asia defensio nimirum splendida; nempe accusationem non modo refellit, sed et accusatoribus invidiam conflat, et gratia reum adauget populari.

VI. 1. *Saltatorem.* Fuit saltatio apud Romanos inter turpissima. Vide Cornelii Nepotis præfationem primumque cap. Epaminondæ vitæ.—*Spatiatorem* inutilis est conjectura P. Pithœi e Macrob. Saturn. II, 10.

2. *Maledictum.* Cicero maledictum et accusationem in Cœliana discernit his verbis: « Aliud est maledicere, aliud accusare. Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet. Maledictio autem nihil habet propositi præter contumeliam, quæ si petulantius jactatur, convicium, si facetius, urbanitas nominatur ».

3. *Convivio moderato.* Quod tunc scurræ advocentur, qui salsa et faceta dicant. Frustra Gruter. ex MSS « convicio ».

4. *Conspicere.* Quidam legi volunt *considerare.* Gulielm. *circumspicere.* Temere.

5. *Tempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum*, etc. Legitima cœnæ hora erat nona, ut narrat Martialis: « Quum jubet exstructos frangere nona toros ». Quæ igitur certo diei tempore longe ante horam suam cœperant agitari convivia, tempestiva dicebantur, quamvis in multam noctem protraherentur. Sic Juvenalis: « Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur dis Iratis ». Probrosa erant ista convivia, quia cupiditatibus favebant. Conf. de Sen. 14. Male aliquot codd. et edd. *intempestivi.*

ostenditur. Et, quum ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitiosa[6], sunt: in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas? Nihil igitur in vitam L. Murenæ dici potest? Nihil, inquam, omnino, judices. Sic a me consul designatus defenditur, ut ejus nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vita[7] proferatur. Bene habet[8]: jacta sunt fundamenta defensionis. Nondum enim nostris laudibus, quibus utar postea, sed prope inimicorum confessione[9], virum bonum, atque integrum hominem defendimus.

VII. Quo constituto[1], facilior est mihi aditus ad contentionem dignitatis: quæ pars altera fuit accusationis.

Summam video esse in te, Ser. Sulpici, dignitatem generis, integritatis, industriæ, ceterorumque ornamentorum omnium, quibus fretum ad consulatus petitionem aggredi par est. Paria cognosco esse ista in L. Murena, atque ita paria, ut neque ipse dignitate vinci potuerit, neque te dignitate superarit. Contempsisti L. Murenæ genus; extulisti tuum. Quo[2] loco si tibi hoc sumis, nisi qui patricius sit, neminem

6. *Quæque vitiosa.* Turpia et crimini danda.

7. Verba *in vita* Ernestius gennina esse negat; Beck. uncis includit. Uterque levius. Schütz. vero omnino delet. J. V. L.

8. *Bene habet.* Nempe *res.* Feliciter nobis succedit defensio.

9. *Confessione.* Dum Murenæ inimici nihil veri, nihil probabilis flagitii aut sceleris objiciunt, tacite hos virum bonum atque integrum fateri innuit Cicero.

VII. 1. *Quo constituto.* Accedit ad secundam partem propositam et dignitatem Murenæ tuetur contra adversariorum obtrectationem. Postquam antiquius et nobilius Servii genus quam Murenæ concessit, tandem ne spectandam quidem generis vetustatem nobilitatemque docet, neque quidquam magis ad honores adipiscendos valere debere, quam virtutem confirmat.

2. *Quo loco.* Si in hoc loco neminem honesto genere natum contendis, nisi qui sit patricia gente, hac tua intolerabili superbia cogere vis iterum plebem a patribus secedere.

bono esse genere natum; facis, ut rursus plebs in Aventinum[3] sevocanda esse videatur. Sin autem sunt amplæ et honestæ familiæ plebeiæ: et proavus L. Murenæ[4], et avus, prætores fuerunt; et pater quum amplissime atque honestissime ex prætura triumphasset, hoc faciliorem huic gradum consulatus adipiscendi reliquit, quod is, jam patri debitus, a filio petebatur. Tua vero nobilitas, Ser. Sulpici, tametsi summa est, tamen hominibus literatis et historicis[5] est notior; populo vero et suffragatoribus obscurior. Pater enim fuit equestri loco[6]; avus nulla illustri laude celebratus. Itaque non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ. Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo, quod virtute industriaque perfecisti, ut, quum equitis romani esses filius, summa tamen amplitudine dignus putarere: nec mihi umquam minus[7] in Q. Pompeio[8], novo homine, et fortissimo viro, virtutis esse visum est, quam in homine nobilissimo, M. Æmilio[9]. Etenim ejusdem animi atque ingenii est, posteris suis, quod Pompeius fecit, amplitudinem no-

3. *In Aventinum.* De priore plebis secessione jocatur Cicero, quæ, ut refert Piso T. Livio vetustior, ideo facta est, quod plebs patricios sibi debitas propter generis nobilitatem dignitates arrogare, indignaretur. Loco «plebs» multi et optimi codices «plebes», quam formam recepit cum Beck. Sch.

4. *Proavus L. Murenæ.* P. fuit Licinius Murena prætor an. U. C. 596. —*Avus.* P. Licinius P. F. Murena prætor, ann. U. C. 640.

5. *Literatis et historicis.* Iis qui vetera legunt, qui totam retro antiquitatem cognoscunt.

6. *Equestri loco.* Sulpicium fuisse patricium ante significavit, et testatur Pomponius, Digest. I de origine juris. Inde conjicitur nonnullos, quamvis patricios, in equestri ordine manere posse. Confer Brut. cap. 16, et vide Servii Sulpicii vitam a celebri Ever. Ottone confectam, cap. 1, § 3, tom. V Thes. jur. Rom.

7. Est qui conjic. *magis*, dissimili totius hujus loci sententia. J. V. L.

8. *Q. Pompeio.* Qui humili et obscuro loco natus cum Q. Metello Macedonico prætor et postea consul, nobilissimæ gentis fuit auctor.

9. *M. Æmilio.* Scauro, qui consul fuit anno 638, iterum anno 646.

minis, quam non acceperit, tradere; et, ut Scaurus, memoriam prope intermortuam generis sui virtute renovare.

VIII. Quamquam ego jam putabam, judices, multis viris fortibus ne ignobilitas objiceretur generis, meo labore esse perfectum : qui, non modo Curiis [1], Catonibus, Pompeiis, antiquis illis, fortissimis viris, novis hominibus, sed his recentibus, Mariis [2], et Didiis, et Cœliis commemorandis, jacebant [3]. Quum ego vero tanto intervallo claustra ista nobilitatis [4] refregissem, ut aditus ad consulatum posthac, sicut apud majores nostros [5] fuit, non magis nobilitati, quam virtuti, pateret : non arbitrabar, quum ex familia vetere et illustri consul designatus ab equitis romani filio, consule, defenderetur, de generis novitate accusatores esse dicturos. Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo [6] atque optimo viro, peterem : superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Quod si id crimen homini novo esse deberet; profecto mihi neque inimici, neque invidi defuissent. Omittamus igitur de genere dicere, cujus est magna in utroque dignitas : videamus cetera.

VIII. 1. *Curiis*. M'. Curius Dentatus, homo novus, ter consul fuit ann. U. C. 463, 468, 479. — *Catonibus*. M. Porcius Cato, consul anno 558, deinde censor anno 569.— *Pompeiis*. Respicitur Q. Pompeius A. F. consul anno 612. Brut. 25 dicitur « homo per se cognitus ». Errat toto hoc loco Manutius, quum putat intelligi Q. Pompeium Rufum cos. anno 665, ideoque pro *Pompeiis* legi vult *Appiis*.

2. *Mariis*. Significantur C. Marius septies consul, T. Didius cos. an. 655, C. Cœlius Caldus consul anno 659.

3. *Jacebant*. In oblivione marcebant, quamvis tot fortissimos viros ex obscuro genere ad summos honores evectos commemorarent.

4. *Claustra nobilitatis*. Quæ plebeiis patriciorum superbia opponebat; tamquam in eorum possessionem omnino consulatus venisset.

5. *Apud majores nostros*. Consulatus cum plebe communicatus est circiter anno 390.

6. *Altero modestissimo*. Duo patricii L. Sergius Catilina, sceleribus et audacia famosus, et P. Sulpicius Galba,

Quæsturam una petiit, et sum ego factus prior. Non est respondendum ad omnia. Neque enim quemquam vestrum fugit, quum multi pares dignitate fiant, unus autem primum solus possit obtinere, non eumdem esse ordinem dignitatis, et renuntiationis: propterea quod [7] renuntiatio gradus habeat, dignitas autem sit persæpe eadem omnium. Sed quæstura utriusque propemodum pari momento sortis [8] fuit. Habuit hic lege Titia [9] provinciam tacitam [10] et quietam: tu illam, cui, quum quæstores sortiuntur, etiam acclamari solet, Ostiensem [11], non tam gratiosam et illustrem, quam negotiosam et molestam. Consedit [12] utriusque nomen in quæstura. Nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique posset.

IX. Reliqui temporis spatium in contentionem vocatur: ab utroque dissimillima ratione tractatum [1] est. Servius hic nobiscum [2] hanc urbanam militiam respon-

vir sobrius ac sanctus, consulatum cum Cicerone petierunt. Vid. ad Attic. I, 1.

7. *Propterea quod.* Necesse est enim unum primo loco solum renuntiari, alterum secundo, etc. Verum dissimulanter Cicero in hac responsione versatur; alibi enim de his, quæ nunc elevat, vel potius omnino tollit, ipse gloriatur, ut in Pis. et pro lege Manil.

8. *Momento sortis.* Fuere sortis et generis ejusdem provinciæ, nimirum utraque Italica, quas tunc temporis, ut quietas nimium, non magni faciebant.

9. *Lege Titia.* Quæstura hæc nata videtur ex agraria lege Sexti Titii trib. pl. ann. 488, ad colligendum scilicet vectigal agris publicis impositum, cujus meminit Val. Maximus, VIII, 1. Ferratii explanationem sequimur. Multum hoc in loco desudant interpretes, frustraque Manutius legi velit «lautia».

10. *Provinciam tacitam.* Quia una erat ex quatuor provinciis quæstoriis Italicis, in qua nulla gloriæ materia.

11. *Ostiensem.* Dicebatur eadem *agraria* et *frumentaria*, quia ad quæstorem Ostiensem, cujus meminit Cicero in Sextiana, pertinebat cura adsportandi frumenti et rei maritimæ in mari infero, ut ostendit Lips. ad Tac. Ann. IV, 27. Cf. Pigh. ad ann. 488.

12. *Consedit.* Jacuit, sine laude fuit.

IX. 1. Cod. Franc. *certatum est*, quod Grævius præferendum censuit, et recepit Lallem. ex uno cod. reg. J. V. L.

2. *Nobiscum.* In urbano otio. Excusare Servium videtur, dum civilem hanc militiam irridet.

dendi, scribendi, cavendi [3], plenam sollicitudinis ac stomachi [4], sequutus est; jus civile didicit; multum vigilavit; laboravit; præsto multis fuit; multorum stultitiam perpessus est; arrogantiam pertulit; difficultatem exsorbuit [5]; vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum. Magna laus, et grata hominibus, unum hominem elaborare in ea scientia, quæ sit multis profutura. Quid Murena interea [6]? fortissimo et sapientissimo viro, summo imperatori legatus, L. Lucullo, fuit: qua in legatione duxit exercitum; signa contulit; manum conseruit; magnas copias hostium fudit; urbes partim vi, partim obsidione cepit; Asiam [7] istam refertam, et eamdem delicatam, sic obiit, ut in ea neque avaritiæ, neque luxuriæ vestigium reliquerit; maximo in bello [8] sic est versatus, ut hic multas res et magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator. Atque hæc, quamquam præsente L. Lucullo [9] loquar, tamen, ne ab ipso, propter periculum nostrum, concessam videamur habere licentiam fin-

3. *Cavendi.* Tribus verbis JCtorum consuetudinem expressit, qui aut respondent de jure consulentibus, aut formulas litigantibus scribunt; aut cavent, quum aliquem consilio juvant atque instruunt.

4. *Stomachi.* Molestiæ et offensionis.

5. *Exsorbuit.* Multa exhausit et exantlavit.

6. *Quid Murena interea.* Apparet Servium de juris civilis scientia ita verba fecisse, ut vellet excellere hanc in pace reliquis ornamentis; ideo Cicero non modo infra bellicam gloriam illam deprimit, qua obruuntur ac superantur omnes pacis artes, sed inter has etiam docet nequaquam eam principem locum tenere, et hanc mirifice verbis extenuat et elevat. Nos utpote romano jure omnino hospites ac peregrini suæ tuendæ causæ provinciam jureconsulto commisimus, et partim notas quibus refellatur Cicero ex Joannis Lusac observationibus apologeticis pro jurisconsultis rom. desumpsimus, partim etiam nonnullas ejus hac de re curas ad calcem orationis subjunximus.

7. *Asiam istam.* Cujus nomen et deliciæ Murenæ objiciuntur.—*Refertam.* Opibus; ut in ea nullum vestigium avaritiæ reliquisse Murenam magna laus sit habenda.

8. *Maximo in bello.* Mithridatico scilicet.

9. *Quamquam præsente L. Lucullo loquar.* Qui causæ adesse advocatus videtur.

gendi, publicis [10] literis testata sunt omnia; quibus L. Lucullus tantum laudis impertiit, quantum neque ambitiosus imperator, neque invidus, tribuere alteri in communicanda gloria debuit.

Summa in utroque est honestas, summa dignitas; quam ego, si mihi per Servium liceat [11], pari atque eadem in laude ponam. Sed non licet. Agitat rem militarem; insectatur totam hanc legationem; assiduitatis [12] et operarum harum quotidianarum putat esse consulatum. Apud exercitum mihi fueris, inquit, tot annos? forum non attigeris? abfueris tamdiu? et, quum longo intervallo veneris, cum iis, qui in foro habitarunt [13], de dignitate [14] contendas? Primum ista nostra assiduitas [15], Servi, nescis, quantum interdum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. Mihi quidem vehementer expediit, positam in [16] oculis esse gratiam; sed tamen ego mei satietatem magno meo labore superavi, et tu idem fortasse: verumtamen utrique nostrum desiderium [17] nihil obfuisset. Sed, ut, hoc omisso, ad studiorum atque artium contentionem revertamur: qui potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis, rei militaris, quam juris civilis gloria? Vigilas

10. *Publicis.* Publice ab imperatore missis, et tantis laudibus scriptis, ut eas scribere numquam adductus fuisset Lucullus, nisi omnino et arrogantia et invidia careret.

11. *Per Servium liceat.* Si concederet Servius, qui plus sibi dignitatis assumit quam Murenæ concedit.

12. *Assiduitatis.* Contendit ei suæ in foro assiduitati mercedem deberi consulatum.

13. *Habitarunt.* In foro veluti in suo domicilio versati sunt ac sedem posuerunt.

14. *De dignitate.* Præpositionem multi omiserunt, sed habent codices plurimi et edd. pr.

15. *Ista nostra assiduitas.* Illorum nempe, qui semper sunt præsto, et in oculis quotidie versantur. Vid. Epist. ad Div. X, 24.

16. *In oculis.* In promptu, in populi conspectu fuisse beneficia, quibus mihi populum devinxi.

17. *Desiderium.* Nostris non nocuisset utilitatibus Roma procul versari, et nostri desiderium apud cives facere.

tu de nocte [18], ut tuis consultoribus respondeas; ille, ut eo, quo intendit [19], mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves, ne tui consultores; ille, ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet et scit, ut hostium copiæ; tu, ut aquæ pluviæ arceantur [20]: ille exercitatus est [21] in propagandis finibus; tu in regendis [22]. Ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus præstat ceteris omnibus [23]. Hæc nomen populo romano, hæc huic urbi æternam gloriam peperit; hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit. Omnes urbanæ res, omnia hæc nostra præclara studia, et hæc forensis laus et industria, latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis. Simul atque increpuit [24] suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt.

X. Et, quoniam mihi videris istam scientiam juris tamquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari, ut istud nescio quid, quod tantopere didicisti, præclarum aliquid esse arbitrere. Aliis ego te virtutibus, continentiæ [1], gravitatis, justitiæ, fidei,

18. *De nocte.* Ante lucem, ut apud Horat. Epistol. I, 2 : « Ut jugulent hominem, surgunt de nocte latrones ».

19. *Intendit.* Quintilianus, IX, 2, habet « contendit », at ibidem IX, 3, legitur « intendit ». Apud Rufin. de figg. 37, scribitur « ut mature, quo intendit ».

20. *Arceantur.* Ne noceant; nocent enim aut loci vitio, aut manu. Digest. I, 1, de aqua pluv. arcend.

21. Quintil. IX, 3, 32, et aliquot MSS, « exercitatur ».

22. *In regendis.* Agrorum finibus; ne quis de alieno detrahat.

23. *Præstat ceteris omnibus.* Non idem semper sensit Cicero, quum celebri illo versu jactaret : « Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ ». Et aliter in primo libro Officiorum ac in Bruto disputavit Cicero, præstare sapientiam et eloquentiam dignitate sua bellicis utilitatibus. Sed, ut ipse de Offic. II, 19 ait : « Apud imperitos illa dicebantur, et aliquid etiam coronæ datum est ».

24. *Increpuit.* Insonuit.

X. 1. Schützius, post Lambinum, « continentia, gravitate, justitia, fide ». J. V. L. — Defendit Garaton. quod ut *virtus continentiæ*, sic dicitur *crimen furti*, etc.

ceteris omnibus, consulatu et omni honore semper dignissimum judicavi. Quod quidem jus civile didicisti; non dicam, operam perdidisti : sed illud dicam, nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatum viam. Omnes enim artes, quæ nobis populi romani studia conciliant, et admirabilem dignitatem, et pergratam utilitatem debent habere.

Summa dignitas est in iis, qui militari laude antecellunt : omnia enim, quæ sunt in imperio, et in statu civitatis, ab iis defendi et firmari putantur. Summa etiam utilitas : siquidem eorum consilio et periculo, quum republica, tum etiam nostris rebus perfrui possumus. Gravis etiam illa est et plena dignitatis, dicendi facultas, quæ sæpe valuit in consule deligendo, posse consilio atque oratione, et senatus, et populi, et eorum, qui res judicant, mentes permovere. Quæritur consul, qui dicendo nonnumquam comprimat tribunitios furores, qui concitatum populum flectat, qui largitioni resistat. Non mirum, si ob hanc facultatem [2] homines sæpe etiam non nobiles consulatum consequuti sunt : præsertim quum hæc eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat. Quorum in isto vestro artificio, Sulpici, nihil est.

XI. Primum dignitas in tam tenui scientia quæ potest esse? res enim sunt parvæ, prope in singulis literis [1] atque interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde, etiam si quid apud majores nostros fuit in

2. *Ob hanc facultatem.* Dicendi, a qua non remotum tamen Sulpicium in Bruto declarat.

XI. 1. *Singulis literis.* In uniuscujusque literæ observatione constat, et distinctionibus verborum, quas Cicero pro Cæcina laqueos verborum et angustias appellat, et quarum quanta sit vis in syngraphis, in contractibus, in testamentis, etc. vel quotidianus usus satis docet. Male olim Pithœus « in pactionibus ».

isto studio admirationis, id, enuntiatis vestris mysteriis, totum est contemptum et abjectum. Posset agi lege, necne, pauci quondam sciebant[2]. Fastos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui consulebantur : a quibus etiam dies, tamquam a Chaldæis, petebatur[3]. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius[4], qui cornicum oculos confixerit[5], et singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit, et ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilarit[6]. Itaque irati illi, quod sunt veriti, ne dierum ratione pervulgata et cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam[7] composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent.

XII. Quum hoc fieri bellissime posset : Fundus Sabinus meus est : imo meus; deinde judicium : noluerunt. Fundus, inquit, qui est in agro, qui Sa-

2. *Pauci sciebant.* « Omnium harum rerum, inquit Pomponius, et interpretandi scientia et actiones apud collegium pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset privatis. Postea quum Appius Claudius proposuisset et ad formam redegisset has actiones, Cn. Flavius, scriba ejus, libertini filius, subreptum librum populo tradidit, et adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, et senator, et ædilis curulis ».

3. Olim *petebantur*. J. V. L.

4. *Cn. Flavius.* Ex ipsius Ciceronis verbis apparet illum et occultatas actiones protulisse, et actiones quæ ante illum incertæ aut in ordinem non redactæ fuerant, composuisse. Multa in hanc rem dabunt JCti qui plurimum alii ab aliis dissentiunt.

5. *Confixerit.* Qui sapientes fefellerit. Ortum forte proverbium a magis qui cornicum oculos effodiebant, quasi magno et efficaci in rebus magicis usui inservirent. Vid. Propert. IV, 5, 16, et Macrob. VII, 5.

6. *Compilarit.* Involarit, suffuratus sit.

7. *Notas quasdam.* Novas actionum formulas, antea non adhibitas, excogitarunt et composuerunt, et has actiones notis, seu signis scripserunt. Cujacius primus *notas* observavit signa esse quædam a communi literas ducendi consuetudine diversa, quibus certæ voces designantur, *siglas* autem sive *singulas* literas esse communes, a quibus certæ voces incipiunt, quibusque singulatim positis totæ illæ intelliguntur. Siglarum mentionem habet Valerius Probus cap. 24, E. I. M. C. V. ex jure manu consertum vocare. I. D. T. S. P. in diem tertium sive perendinum. Q. R. S. I. D. O. quam rem sive litem dicere oportet.

BINUS VOCATUR [1]. Satis verbose : cedo, quid postea? EUM EGO EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO. Quid tum? INDE IBI [2] EGO TE EX JURE MANU CONSERTUM VOCO. Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur [3], non habebat. Transit idem jureconsultus, tibicinis Latini modo [4] : UNDE TU ME, inquit, EX JURE MANU CONSERTUM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Prætor interea ne pulchrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen [5] compositum est, quum ceteris rebus absurdum, tum vero in illo [6] : SUIS UTRISQUE SUPERSTITIBUS [7] PRÆSENTIBUS, ISTAM VIAM DICO : INITE VIAM [8]. Præsto aderat sapiens ille, qui inire viam doceret. REDITE VIAM. Eodem duce redibant. Hæc jam tum apud illos barbatos [9] ridicula, credo, videban-

XII. 1. *Sabinus vocatur.* Solemnem esse vindicationis formulam præter alias, docuerunt Brissonius de formul. V, p. 357; Rævardus ad ll. XII tabb. cap. 6; Heineccius Antiq. Rom. IV, 6, 24.

2. Ernest. hic atque infra delevit IBI contra codd. et edd. Caius, Digest. I, 2, 1, « Et quum ibi venerimus, etc.» J. V. L.

3. Al. *petebantur.* J. V. L.

4. *Tibicinis Latini modo.* Varie modò de his Tullii verbis senserunt viri docti : Sylvius a comœdiis translata putat, in quibus agendis Latini tibicines a tibiis dextris ad sinistras transibant, ita ut sic agere dicatur, qui petitoris et defensoris causam agit, aut probationes invenit. Putat Grævius non in eo JCtos tibicini comparari, quod nunc hanc, nunc illam partem ad certamen instruunt, sed quod et partibus, et prætori solemnia verba præscripserant. Putat Lusacius Ciceronis ironiam et a sacris duci posse, quibus semper præcinebant tibicines, vel etiam a re militari, in qua ad tibiæ cantum milites incedebant. Nos Grævii sententiæ adquiescimus, pro quo facit etiam T. Livius VII, 2.

5. *Carmen.* Dicebatur sic solemnis formula, et mire verbum hoc cum tibicinis comparatione, convenit.

6. Al. « nullo usu : UTRISQUE ».

7. *Superstitibus.* Omnes has abunde vindicationis formulas explicuerunt JCti supra laudati, et satis erit Festi locum recitare : « *Superstites* testes præsentes significat; cujus rei testimonium est, quod *superstitibus præsentibus* ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur ». Unde contra Manutium, Ernestium, etc. probatur non e glossa natum verbum hoc esse.

8. Priscian. et Serv. habent ITE VIAM. quod multi editores rescripsere, ut paullo post, *ire viam.* J. V. L.

9. *Barbatos.* Priscos Romanos barbam aluisse nulli non notum.

tur, homines, quum recte atque in loco constitissent, juberi abire; ut, unde abissent, eodem statim redirent. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia, QUANDO TE IN JURE CONSPICIO[10], et hæc, SED ANNE TU DICIS CAUSA VINDICAVERIS[11]? Quæ dum erant occulta, necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata, atque in manibus jactata et excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem et stultitiæ plenissima.

Nam quum permulta præclare legibus essent constituta, ea jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. Mulieres omnes[12], propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt: hi invenerunt genera tutorum[13], quæ po-

10. *Te in jure conspicio.* De formula hac quam totam exponit Valerius Probus Q. I. J. T. C. P. A. F. A. Quando in jure te conspicio, postulo anne fiat auctor; plura disputant JCti: quæritur utrum illa locum habuerit in actionibus in rem, an tantum in actionibus in personam, an vero in utrisque simul. Constat autem olim in solis actionibus in rem, præsertim in vindicatione, habuisse. Verum et ea non ad Ciceronem, sed ad jus civile explicandum pertinent. Confer pro Cæcin. c. 19.

11. *Vindicaveris.* Quorsum hæc formula pertineat, quando et a quo in vindicatione adhibita fuerit, in tanta antiquitatis caligine, et monumentorum inopia, quum illa formula non aliunde innotuerit, difficile dictu videtur. Partem fecisse illam manuum consertionis verisimile videtur. De origine et usu vocum *dicis causa* scripserunt Antonius Augustinus Thes. jur. civ. IV, p. 1472; Petrus Faber Arver. ad Cic. Acad. I, 3, etc. LUSAC.

12. *Mulieres omnes.* Illæ antiquo jure omnes perpetua tutela continebantur, neque ratum habebatur quidquam quod a muliere sine auctoritate tutoris actum esset. Hac de re totis dissertationibus egere Otto de perpet. femin. tutel. Heineccius de marit. tutor.

13. *Genera tutorum.* Non una de his tutoribus, qui in mulierum erant potestate, est doctorum sententia; quippe JCtos exagitans Cicero ironiis suis ita omnia auxit, detorsit, alienisque causis attribuit, ut Delphico natatore opus sit, qui rei fallaciis objectæ et immersæ veritatem detegat et a fundo extrahat. In hanc opinionem jam fere omnes consentiunt, quam verisimillimam conjecturam edidit maximus JCtorum Cujac. Obs. VIII, 11. Mariti in quorum manum uxores convenerant, quorumque adeo in potestate erant patris, iis testamento tutores dabant, qui ne feminis nimium graves essent, indulgentes mariti conjugibus suis testamento facultatem permittebant, quem vellent tutorem

testate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas [14], interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. In omni denique jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt: ut, quia in alicujus libris, exempli causa, id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres [15], quæ coemptionem facerent, Caias vocari. Jam illud mihi quidem mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse [16], utrum diem tertium,

eligendi; ita ut is, illarum arbitrio constitutus severum non indueret Catonem, tutorisve supercilium, patruive rigorem. Lusac.

14. *Ad coemptiones faciendas.* Quum nullus sit in tota oratione locus qui tot controversias genuerit, ne in nimiam molem crescant hæ, quæcumque sunt, notulæ, satis erit explanationem afferre quæ maxime probanda videtur: « Ut itaque, ait Conradus, missis conjecturis, verisimilem rei tam obscuræ explicationem assequamur, videamus, quid JCtis agendum fuerit, ut, salvo jure pontificio, bona defuncti patrisfamilias sine sacrorum onere possent ad heredem pervenire; et apparet inveniendum fuisse modum, quo bona ad heredem viderentur pervenire morte testatoris. Hoc vero commenti genus utique procedebat, siquidem in posterum alius et ab heredis persona diversus adhiberetur familiæ emptor; is dicis causa, et addita sacra lege, ut ille, qui in tabulis clausis scriptus esset, bona consequeretur, hereditatem ære et libra sibi compararet. Ad hunc familiæ mancipem quum bona testatoris morte pervenissent, auctores erant JCti, ut heres in tabulis scriptus, si molestia sacrorum adstringi nollet, pecuniam sive res, quæ essent in hereditate, sibi ab emptore familiæ adstipularetur, ac deinde ex stipulatione acciperet: quo fiebat, ut totum sacrorum onus maneret apud imaginarium heredem, familiæ mancipem, qui quidem adhibitus erat senex orbus, capularis, et de herede sibi futuro parum sollicitus, qui certa pecunia ad impensam tolerandam accepta, et lucello aliquo adspersus, sacra testatoris familiaria, secum interitura, administraret ». Id.

15. *Omnes mulieres.* Noverat tamen Cicero quænam de hujus consuetudinis ratione, quam temporis jam aboleverat antiquitas, sua ætate disputarent viri eruditi. Quanto rectius, et magis ingenue Plutarchus illius nominis primam originem explorat: Τοῖςδε ὀνόμασι τούτοις (Γάϊος, Γαΐα) ἄλλως κέχρηνται κοινοῖς οὖσιν, ὥσπερ οἱ νομικοὶ Γάϊον, Σήϊον καὶ Λούκιον Τίτιον, καὶ οἱ φιλόσοφοι Δίωνα καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσι. Quæst. Rom. II, 271. Id.

16. *Statuere non potuisse.* Non accusandi JCti, verum illæ XII tabulæ quas per Crassi personam omnium philosophorum libris ac bibliothecis præfert Cicero. Ibi reperitur: Si quid horum fuat unum, judici arbitrove reove, eo dies diffensus esto; et in alia tabula, si judex arbiterve, etc.

an perendinum; judicem, an arbitrum; rem, an litem dici oporteret.

XIII. Itaque, ut dixi, dignitas in ista scientia consularis numquam fuit, quæ tota ex rebus fictis commentitiisque constaret; gratiæ vero multo etiam minores. Quod enim omnibus patet [1], et æque promptum est mihi, et adversario meo, id esse gratum nullo pacto potest. Itaque non modo beneficii collocandi spem [2], sed etiam illud [3], quod aliquamdiu fuit, LICET CONSULERE, jam perdidistis. Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quæ neque extra Romam usquam, neque Romæ, rebus prolatis [4], quidquam valet; peritus ideo haberi nemo [5] potest, quod in eo, quod sciunt omnes, nullo modo possunt inter se discrepare; difficilis autem res ideo non putatur, quod et perpaucis, et minime obscuris [6] literis continetur. Itaque [7], si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me jurisconsultum esse profitebor. Etenim quæ de scripto aguntur, scripta sunt omnia; neque tamen quidquam tam

XIII. 1. *Omnibus patet.* Quæ ex ea scientia conciliari gratia potest, quæ omnium communis est, quæ partes oppositas potest juvare?

2. *Spem.* Ut beneficium in quemquam jam conferre possitis.

3. *Illud.* Jam non verbum illud præclarum usurpare possunt, quod olim adeo in eorm ore erat: «licet consulere» quo utebantur, quum consulti concessionem significabant. Ludit autem in ambiguo orator, quod et illud ad consulatum referri potest.

4. *Rebus prolatis.* Sic dicebantur, quum feriari licebat, munerum urbanorum concessa vacatione: exempli gratia, quum ludi fiebant. Cf. ad Att. VII, 12; ad Q. Fratrem, III, 8, etc.

5. *Nemo.* Jurisconsultus. — *Quod sciunt.* Quod se scire solos JCti profitentur, id sciunt omnes, itaque de eo controversia exstare nullo modo potest.

6. *Minime obscuris.* Quod quum breve sit jus civile et minime obscurum, cognosci ab omnibus facile potest.

7. *Itaque.* Ne tamquam difficili re glorientur JCti, minatur eis per jocum Cicero, si paullo magis commoveatur, se triduo juris civilis peritum fore. Vide quemadmodum his respondeat cl. Lusac, cujus observationes orationi huic subjecimus.

anguste[8] scriptum est, quo ego non possim, QUA DE RE AGITUR, addere[9]. Quæ consuluntur autem, minimo periculo respondentur. Si id, quod oportet, responderis; idem videare respondisse, quod Servius: sin aliter; etiam controversum jus[10] nosse et tractare videare.

Quapropter non solum illa gloria militaris vestris formulis atque actionibus anteponenda est, verum etiam dicendi consuetudo longe et multum isti vestræ exercitationi ad honorem antecellet. Itaque mihi videntur plerique initio multo hoc[11] maluisse: post, quum id assequi non potuissent, istuc potissimum sunt delapsi[12]. Ut aiunt in Græcis artificibus, eos aulœdos[13] esse, qui citharœdi fieri non potuerint: sic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire[14]. Magnus

8. *Tam anguste*. Formulæ omnes scriptæ sunt, nec eæ adeo præcisis verbis inclusæ, ut non possit illis addi : *qua de re agitur*. H. e. ipsius quæstionis objectum et casum. Iisdem verbis utitur in Brut. c, 79 : « Qua de re agitur autem, illud quod multis locis in JCtorum includitur formulis, id ubi esset, videbat ». Errat toto loco Schütz. qui supervacaneæ emendationi sensum imponit pravum, quasi significet Cicero nihil tam angustis literis scriptum esse, ut illam formulam *qua de re agitur* videre et legere non possit.

9. Schütz. emendat, « in quo.... videre ». Male quidem; sed interpretatio pejor, ut videtur. Quam exeutere non vacat. J. V. L. — Vide notam superiorem.

10. *Controversum jus*. Quod interpretationis est dubiæ, et in utramque partem disputari potest.

11. *Hoc*. Dicendi facultatem. — *Istuc*. Ad vestram scientiam.

12. *Delapsi*. Casus potius quam voluntas indicatur; quum enim eloquentiam adipisci eis non successit, ad jus civile sunt delapsi, non sponte devenerunt, non judicio se contulerunt.

13. *Aulœdos*. Quantæ artis sit citharæ nervos impellere, et eomdem voce accinere indicavit Quintilianus I, 12, 3. Minus multo est aulœdum esse, h. e. tibias inflanti alii vocem accommodare. Igitur qui prius infeliciter tentavit, omissa cithara, tamen aulœdus esse potest. Contra MStorum fidem Manut. et Ald. jon. *auletas*.

14. *Ad juris studium devenire*. Otto in vita Servii, IV, 3, ista sic accipit, quasi de Servio temporia causa dicantur. Quod longe secus est, ut ipse testatur in Bruto Cicero, c. 4 : « Servius, Rhodo ut rediit, videtur mihi

dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa autem gratia. Etenim a vobis salubritas quædam[15]; ab iis, qui dicunt, salus ipsa petitur. Deinde vestra responsa[16] atque decreta, et evertuntur sæpe dicundo, et sine defensione oratoris firma esse non possunt: in qua re[17] si satis profecissem, parcius de ejus laude dicerem; nunc nihil de me dico, sed de iis, qui in dicendo magni sunt, aut fuerunt.

XIV. Duæ sunt artes, quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: una imperatoris, altera oratoris boni. Ab hoc enim pacis ornamenta[1] retinentur; ab illo belli pericula repelluntur. Ceteræ tamen virtutes ipsæ[2] per se multum valent: justitia, fides, pudor, temperantia; quibus te, Servi, excellere omnes intelligunt: sed nunc de studiis ad honorem dispositis[3], non de insita cujusque virtute disputo. Omnia ista nobis studia[4] de manibus excutiuntur, simul atque aliquis motus novus bellicum canere cœpit. Etenim, ut ait ingeniosus poeta, et auctor valde

in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus; atque haud scio, an par principibus esse potuisset; sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non ejusdem modo ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in jure civili esse princeps ». Hoc autem in loco ars ipsa extenuatur, non homo. Tullius certe non omnes JCtos hac nota adspergit, non præcipue Servium, sed plerosque de turba leguleiorum quibus ad eloquentiam ingenium deerat et industria. Summum est artificium ad universam juris scientiam deprimendam.

15. *Salubritas quædam.* Salutis quoddam instrumentum. Jurisconsultus clientiea vere tantum, orator eum servare debet.

16. *Vestra responsa.* Quæ respondetis ac decernitis ea deferuntur in judicium, eumque plerumque eventum sortiuntur qui oratoribus placuit; prout ea eloquentia aut extollunt, aut elevant.

17. *In qua re.* In qua facultate dicendi. Frustra Cortius ad Sall. Catil. XVIII, 1, delendam censet voculam *re*.

XIV. 1. *Pacis ornamenta.* Quidquid pax commodi habet et ornamenti.

2. *Virtutes ipsæ.* Cetera virtutum ac dotum genera, jam ab eloquentia remota.

3. *Ad honorem dispositis.* De virtutibus quibus ad consulatum itur.

4. *Omnia ista studia.* Libri illi quibus studemus, jus illud civile aut dicendi facultas.

bonus [5], præliis promulgatis [6], « pellitur e medio » non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiæ, sed etiam ipsa illa domina rerum [7], « sapientia; vi geritur res; spernitur orator », non solum odiosus in dicendo, ac loquax, verum etiam « bonus; horridus miles amatur. » Vestrum vero studium totum jacet. « Non ex jure manu [8] consertum, sed mage ferro, » inquit, « rem repetunt. » Quod si ita est, cedat, opinor, Sulpici, forum castris, otium militiæ, stylus gladio, umbra soli; sit denique in civitate ea prima res, propter quam ipsa est civitas omnium princeps.

Verum hæc Cato [9] nimium nos nostris verbis magna facere demonstrat, et oblitos esse, bellum illud omne Mithridaticum cum mulierculis esse gestum. Quod ego longe secus existimo, judices; deque eo pauca disseram: neque enim causa in hoc continetur.

Nam, si omnia bella, quæ cum Græcis gessimus, contemnenda sunt: derideatur de rege Pyrrho triumphus M' Curii [10]; de Philippo, T. Flaminini; de Ætolis, M. Fulvii; de rege Perse, L. Paulli; de Pseudophilippo, Q. Metelli; de Corinthiis, L. Mummii. Sin hæc bella gravissima, victoriæque eorum bellorum gravissimæ fuerunt: cur Asiaticæ nationes, atque ille a te hostis contemnitur? Atqui ex veterum rerum monumentis vel maximum bellum populum romanum cum

5. *Auctor valde bonus.* Ennius, cujus hi versus et a Gellio referuntur, XX, 9.

6. *Promulgatis.* Publicatis, justitio indicto.

7. *Domina rerum.* Quæ orbi imperat, non vanis et inanibus verbis, ut juris prudentia.

8. *Manu.* Al. *manum.* J. V. L.

9. *Verum hæc Cato.* Sed si res militaris tanti facienda est, illi tantum laude ea digni sunt, qui in bello magnas res virtute gesserunt; quos inter non numerandum Murenam Cato censet, quod non laboris plenum bellum gesserit. Ingeniose ad alteram partem transit.

10. *M'. Curii.* Quum notiora sunt bella hæc, benivolus lector Livium adeat, qui plura de his dabit.

Antiocho gessisse video: cujus belli victor L. Scipio, parta [11] cum Publio fratre gloria, quam laudem [12] ille, Africa oppressa, cognomine ipso præ se ferebat, eamdem hic sibi ex Asiæ nomine assumpsit. Quo quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis [13], proavi tui: quo ille, quum esset, ut ego mihi statuo, talis, qualem te esse video, numquam [cum [14] Scipione] esset profectus, si cum mulierculis bellandum esse arbitraretur. Neque vero cum P. Africano senatus egisset, ut legatus fratri proficisceretur, quum ipse, paullo ante, Annibale ex Italia expulso, ex Africa ejecto, Carthagine oppressa, maximis periculis rempublicam liberasset [15], nisi illud grave bellum et vehemens putaretur.

XV. Atqui, si diligenter, quid Mithridates potuerit, et quid effecerit, et qui vir fuerit, consideraris: omnibus regibus, quibuscum populus romanus bellum gessit, hunc regem nimirum antepones: quem L. Sulla, maximo et fortissimo exercitu, pugna excitatum [1], non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, bello invectum [2] totam in Asiam, cum pace dimisit [3]; quem L. Murena, pater hujusce, vehementissime vigilan-

11. *Parta cum Publio fratre.* Una cum fratre gloriam adeptus. Schütz. cum Lambin. legit *partita*. Ernest. vulgatam tuetur.

12. *Quam laudem.* L. Scipio, qui cum fratre Publio, hujus confecti belli gloriam habet, ex Asiatici cognomine, eamdem collegit laudem quam P. Scipio, quod Africanus appellatus est.

13. *M. Catonis.* Præsertim ad Thermopylas, quum esset tribunus militum M'. Acilii consulis.

14. *Cum Scipione.* Merito expungendus error hic; quum Cato, non cum Scipione, sed cum Acilio Glabrione sit profectus. T. Liv. XXXVI, cap. 21.

15. Al. *liberavisset.* J. V. L.

XV. 1. Al. codd. *excitaret*: al. « quum exacerbasset pugna », quod Olivet. recepit. Conjicit Lamb. « exacerbatum », vel « exasperatum ». J. V. L.

2. *Bello invectum.* Vulg. « cum bello ». Frigidius. J. V. L.

3. *Cum pace dimisit.* Sulla peritissimus imperator, ne majus quid dicam, et fortissimi exercitus dux, postquam victoria Mithridatem excitasset et lacessivisset, regiis armis vastata ex Asia ei impune excedere permisit.

tissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit; qui rex, sibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes et copias belli, tantum ipse opibus conatuque invaluit, ut se Oceanum cum Ponto[4], Sertorii copias cum suis conjuncturum putaret. Ad quod bellum duobus consulibus ita missis, ut alter Mithridatem persequeretur, alter Bithyniam tueretur: alterius[5] res et terra et mari calamitosæ, vehementer et opes regis, et nomen auxerunt; L. Luculli vero res tantæ exstiterunt, ut neque majus bellum commemorari possit, neque majore consilio et virtute gestum. Nam, quum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia constitisset, eamque urbem sibi Mithridates Asiæ januam fore putavisset, qua effracta et revulsa, tota pateret provincia: perfecta ab Lucullo hæc sunt omnia, ut urbs fidelissimorum sociorum defenderetur, et omnes copiæ regis diuturnitate obsidionis[6] consumerentur. Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, quum contento cursu, acerrimis ducibus[7], hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret; mediocri certamine et parva dimicatione commissam arbitraris? Mitto prælia; prætereo oppugnationes oppidorum: expulsus regno tandem aliquando, tantum tamen consilio atque auctoritate valuit, ut se, rege Armeniorum[8] adjuncto, novis opibus copiisque renovarit.

XVI. Ac, si mihi nunc de rebus gestis esset nostri

4. *Oceanum cum Ponto.* Oceanum tenebat Sertorius, Pontum Mithridatem. De tota hac historia plura dabit oratio pro lege Manilia.

5. *Alterius.* M. Aurelii Cottæ, quem Mithridates irruptione in Bithyniam facta, terra fudit, mari pulcherrima classe exuit.

6. *Diuturnitate obsessionis.* Alii, « obsessionis ». J. V. L.

7. *Acerrimis ducibus.* Sertorianis, ut in Maniliana scribit.

8. *Rege Armeniorum adjuncto.* Tigrane Mithridatis genero, cujus ille in matrimonio filiam Cleopatram habebat.

exercitus imperatorisque dicendum, plurima et maxima prælia commemorare possem: sed non id agimus. Hoc dico: si bellum hoc, si hic hostis, si ille rex contemnendus fuisset; neque tanta cura senatus et populus romanus[1] suscipiendum putasset, neque tot annos gessisset, neque tanta gloria L. Luculli; neque vero ejus belli conficiendi curam tanto studio populus romanus ad Cn. Pompeium detulisset: cujus ex omnibus pugnis, quæ sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa[2], quæ cum rege commissa est, et summa contentione pugnata. Qua ex pugna quum se ille eripuisset, et Bosporum confugisset, quo exercitus adire non posset: etiam in extrema fortuna et fuga, nomen tamen retinuit regium[3]. Itaque ipse Pompeius, regno possesso, ex omnibus oris ac notis sedibus hoste pulso, tamen tantum in unius anima posuit, ut, quum omnia, quæ ille tenuerat, adierat, sperarat, victoria possideret, tamen non ante, quam illum vita expulit[4], bellum confectum judicarit. Hunc tu hostem, Cato, contemnis, quocum per tot annos,

XVI. 1. *Senatus et populus rom.* Orator hic non unam aut alteram belli hujus partem attingit, sed universam amplectitur, et exponit quemadmodum susceptum gestumque fuerit per multos annos, atque ita concludit : *si bellum hoc*, etc. Ex tribus membris, quibus hoc totum constat, primum, quo de agimus : *neque tanta cura*, etc. non ad Lucullum pertinet, sed ad annum 664 aut 665 refertur, quum ex SCto, ut mos erat, lata fuit lex centuriatis comitiis de bello Mithridati indicendo. Alterum, *neque tot annos*, etc. comprehendit res gestas a tribus imperatoribus, Sulla, cujus primum ea fuit provincia; Murena, qui Sullæ jussu eam administraverat, et Lucullo, qui tandem ex SCto acceperat. Tertium membrum legem Maniliam significat, qua triennio ante populus rom. contra voluntatem senatus, illud negotium Pompeio demandaverat.

2. *Acerrima mihi videtur illa.* De hac pugna vide Dionem Cass. XXXVI, 32; Appianum in Mithrid. Plutarch. in Pompeio.

3. *Retinuit regium.* Vide pro lege Manil. cap. 9.

4. *Illum vita expulit.* Incredibili lætitia affectum Pompeii exercitum, nuntiata illius morte, tradit Plutarchus, ὡς ἐν τῷ σώματι Μιθριδάτου μυρίων τεθνηκότων πολεμίων.

tot præliis, tot imperatores bella gesserunt? cujus expulsi et ejecti vita tanti æstimata[5] est, ut, morte ejus nuntiata, tum denique bellum confectum arbitraretur[6]? Hoc igitur in bello L. Murenam, legatum fortissimi animi, summi consilii, maximi laboris cognitum esse defendimus; et hanc ejus operam non minus ad consulatum adipiscendum, quam hanc nostram forensem industriam, dignitatis habuisse.

XVII. At enim[1] in præturæ petitione prior renuntiatus est Servius. Pergitisne vos, tamquam ex syngrapha[2], agere cum populo, ut quem locum semel honoris cuipiam dederit, eumdem reliquis honoribus debeat? Quod enim fretum, quem Euripum[3] tot motus, tantas, tam varias[4] habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita, sæpe perturbat omnia; et totam opinionem parva nonnumquam commutat aura rumoris. Sæpe etiam sine ulla aperta causa[5] fit aliud, atque existimamus, ut nonnumquam ita factum esse etiam

5. *Æstimata.* Duo codd. regii, « existimata ». J. V. L.

6. Lambin. « arbitraremur ». Malim ego « arbitrarentur ». Nihil variant codd. J. V. L.

XVII. 1. *At enim.* Supra idem objectum adversariorum de quæstura breviter perstrinxit. Nunc iterum illis urgentibus ac de prætura inculcantibus, verbosius respondet.

2. *Ex syngrapha.* Quasi ex obligatione certæ ac definitæ voluntatis, quæ a populo candidatis certe non debetur. Est autem *syngrapha* debitæ pecuniæ perscriptio et solvendi conditiones continet. Eo accommodatior figura, quod cum JCtis agit.

3. *Quem Euripum.* Quod fretum, quum multo crebrius quam maria cetera, exæstuare veteres putarent, ad omnium rerum inconstantiam ac levitatem transtulerunt. Causam hujus opinionis, cur septies reciprocare die ac nocte æstum creditum fuerit, egregie docet Vossius ad Melam, II, 7.

4. *Tam varias habere putatis*, etc. Quintil. VIII, 6, 49, memoriter, ut videtur, « tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas pertubationes et quantos æstus ratio comitiorum ». J. V. L.

5. *Sine ulla aperta causa.* Sæpius obscura et incognita causa exspectatas designationes immutat, ita ut ipse populus quod fecerit miretur, nec sui facti possit rationes reddere.

populus admiretur : quasi vero non ipse fecerit. Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis Q. Catulum, humanitate, sapientia, integritate antecellentem, a Cn. Manlio[6]? quis M. Scaurum[7], hominem gravissimum, civem egregium, fortissimum senatorem, a Q. Maximo? Non modo horum nihil ita fore putatum est, sed ne quum esset factum quidem, quare ita factum esset, intelligi potuit. Nam ut tempestates sæpe certo aliquo cæli signo commoventur, sæpe improviso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa excitantur : sic in hac[8] comitiorum tempestate populari, sæpe intelligas, quo signo commota sit; sæpe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur.

XVIII. Sed tamen, si est reddenda ratio, duæ res[1] vehementer in prætura desideratæ sunt, quæ ambæ in consulatu tum[2] Murenæ profuerunt : una, exspectatio muneris[3], quæ et rumore nonnullo, et studiis

6. *Cn. Manlio.* Hic, dejecto Catulo, consul factus est. Man. placet *Mallio*.

7. *M. Scaurum.* Qui postea senatus princeps fuit, patrem ejus, pro quo exstant fragmenta. — *Q. Maximo.* Cui Eburno cognomen fuit.

8. *Sic in hac.* Lambinus nulla idonea causa edidit : « Sic hæc comitiorum tempestas popularis », et paullo infra conjicit : « sæpe ejus ita obscura causa est ».

XVIII. 1. *Duæ res.* Una, quod, quum præturam petiit Murena, exercitus Luculli, ejus virtutis ac liberalitatis idem testis, nondum ex provincia discesserat; qui si adfuisset, ita prior in præturæ petitione renuntiatus esset Murena, ut consul creatus est; adfuit enim hoc anno exercitus, quum ad Luculli imperatoris triumphum venisset; altera res, quæ Murenæ profuit in consulatu, munus illud fuit, quod prætor populo amplissimum dedit.

2. Ernest. delet *tum*. J. V. L.

3. *Exspectatio muneris.* Ludorum frustratio, quos ad conciliandam sibi populi gratiam, dare solebant futuri prætores, qui plerumque ædiles antea fuerant. Omissa autem ædilitate Murena, quod eam aut petere, aut gerere non potuisset, quum in Asia, belli causa, moraretur, populum sibi minus gratum habebat, quod nondum ludos edidisset, quos ceteri competitores non neglexerant. Sic de Off. II, 17 : « Mamerco, homini ditissimo, præter-

sermonibusque competitorum creverat; altera, quod ii, quos in provincia ac legatione[4] omnis[5] et liberalitatis et virtutis suæ testes habuerat, nondum decesserant[6]. Horum utrumque ei fortuna ad consulatus petitionem reservavit. Nam et L. Luculli exercitus, qui ad triumphum convenerat, idem comes[7] L. Murenæ præsto fuit; et munus amplissimum, quod petitio præturæ desiderabat[8], prætura restituit[9]. Num tibi hæc parva videntur adjumenta et subsidia consulatus? Voluntas militum? quæ quum per se valet multitudine, tum apud suos gratia: tum vero in consule declarando multum etiam apud universum populum romanum auctoritatis habet suffragatio militaris? Imperatores enim comitiis consularibus, non verborum interpretes deliguntur. Quare gravis est illa oratio « Me saucium recreavit; me præda donavit; hoc duce « castra cepimus, signa contulimus; numquam iste « plus militi laboris imposuit, quam sibi sumpsit ipse; « quum fortis, tum etiam felix ». Hoc quanti putas esse ad famam hominum ac voluntatem? Etenim, si tanta illis comitiis religio est, ut adhuc semper omen valuerit prærogativum[10]: quid mirum est, in hoc felicitatis famam sermonemque valuisse?

missio ædilitatis repulsam consulatus attulit ». Verum sensum dedit Ferratius; errant ceteri interpretes. Non enim de Apollinaribus ludis intelligi potest, ut vult Manutius, quum nondum prætor renuntiatus esset.

4. *Legatione*. Quam sub L. Lucullo obierat.

5. *Omnis*. Non male, ut nostra sententia fert, legeretur *omnes*. J. V. L.

6. *Decesserant*. Nondum e provincia Romam redierant.

7. *Comes*. Murenam adjuvit, cujus virtutis testis idem ac comes fuerat. Lamb. edidit *comitiis*, e conjectura Hottomanni, Garaton. et Beck. probantibus.

8. *Desiderabat*. Quod jam tum desiderabatur, quum præturam peteret.

9. *Restituit*. Sortitus enim prætoriam provinciam urbanam, magnifice ludos Apollinares, quos a prætore urbano fieri quotannis necesse erat, ut ad prim. in Verr. 22 vidimus, apparavit; qua ratione multum illi gratiæ apud populum accessit consulatum petenti.

10. *Omen prærogativum*. Prærroga-

XIX. Sed, si hæc leviora ducis, quæ sunt gravissima, et hanc urbanam suffragationem militari anteponis; noli ludorum hujus [1] elegantiam, et scenæ magnificentiam [2] valde contemnere : quæ huic admodum profuerunt. Nam quid ego dicam, populum ac vulgus imperitorum ludis magnopere delectari? Minus est mirandum : quamquam huic causæ id satis est. Sunt enim populi ac multitudinis comitia. Quare si populo ludorum magnificentia voluptati est; non est mirandum, eam L. Murenæ apud populum profuisse. Sed si nosmet ipsi [3], qui et ab delectatione omni negotiis impedimur, et in ipsa occupatione delectationes alias multas habere possumus, ludis tamen oblectamur et ducimur; quid tu admirere de multitudine indocta [4]? L. Otho [5], vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini, cum splendore, fructus quoque jucunditatis est restitutus. Quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos, qui dissimulant, non solum eos, qui fatentur : quod ego in mea petitione sensi. Nam nos

tiva centuria, cujus voluntatem et judicium centuriatis comitiis reliquæ centuriæ sequebantur. De ejus potestate vide Gronov. Observ. IV, 1.

XIX. 1. *Ludorum.* Apollinarium, quos edidit.

2. *Scenæ magnificentiam.* Argenteam scenam dedisse Murenam infra cognosces : de qua Plinius, XXXIII, 3, « L. Murena et Caius princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo cxxiv ».

3. *Si nosmetipsi.* Si nos, qui impedimur negotiis, quo minus ullam delectationem consectemur, aut capiamus, et in ipsis negotiis multas alias delectationes habere possumus, quam quæ e ludis percipiuntur, ludis tamen oblectamur; quid mirum est indoctam multitudinem ludis delectari?

4. *De multitudine indocta.* Lambin. *multitudinem indoctam.* Inutili conjectura. J. V. L.

5. *L. Otho.* Ille tribunus plebis, Cicerone consule, legem tulit, ut in theatro equitibus rom. quatuordecim gradus proximi, spectandi causa, darentur.

quoque habuimus scenam competitricem[6]. Quod si ego, qui trinos ludos[7] ædilis feceram, tamen Antonii ludis commovebar : tibi, qui casu[8] nullos feceras, nihil hujus istam ipsam, quam irrides, argenteam scenam[9], adversatam putas?

XX. Sed hæc sane sint paria omnia; sit par forensis opera militari; sit par militari suffragatio urbana; sit idem, magnificentissimos, et nullos umquam fecisse ludos : quid? in ipsa prætura nihilne existimas inter tuam, et istius sortem interfuisse? Hujus[1] sors ea fuit, quam omnes tui necessarii tibi optabamus, juris dicundi : in qua gloriam conciliat magnitudo negotii; gratiam, æquitatis largitio; qua in sorte sapiens prætor, qualis hic fuit, offensionem vitat æquabilitate decernendi, benivolentiam adjungit lenitate audiendi. Egregia et ad consulatum apta provincia, in qua laus æquitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum ludorum voluptate concluditur. Quid tua sors? tristis, atrox : quæstio peculatus[2], ex altera par-

6. *Scenam competitricem*. Ego quoque sensi ludos a competitore Antonio factos huic valde profuisse. Sed auctoris nostri verbis inest vis quædam ac lepor, quæ omnino delet interpretatio.

7. *Trinos ludos*. Quos ipse nominat Verr. V, 14.

8. *Casu*. Quod sors Murenæ, non Sulpicio dedit ut prætor urbanus esset, ad quem ludorum Apollinarium cura pertinuit.

9. *Argenteam scenam*. Plinius, XXXIII, 3 : « Cæsar, qui postea dictator fuit, primus in ædilitate, munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo usus est, ferasque argenteis vasis incessere tum primum visum ». Conf. supra not. 2.

XX. 1. *Hujus sors*. Illi provincia juris dicendi obtigit. Erat autem ea prætura urbana, quam qui consequutus erat, *honoratus prætor* dicebatur. Illi etiam soli, et peregrino prætori jurisdictio dicebatur assignata esse, reliqui prætores, qui quæstiones sortiti erant, jurisdictione carebant. Sic apud Tacit. Agric. 6, « idem præturæ tenor, et silentium : nec enim jurisdictio obvenerat ».

2. *Quæstio peculatus*. Sortitus es quæstionem, h. e. judicium de peculatu, seu furto publicæ pecuniæ. Ceteri enim prætores, excepto urbano et peregrino, quæstiones inter se sortiebantur. Ista quæstio dicitur tristis et atrox, quia peculatus rei in squalore, omnesque illorum necessarii in lacrymis versabantur.

te[3], lacrymarum et squaloris, ex altera, plena catenarum[4] atque indicum[5]. Cogendi judices inviti, retinendi contra voluntatem; scriba damnatus[6], ordo totus alienus; Sullana gratificatio[7] reprehensa: multi viri fortes[8], et prope pars civitatis offensa est; lites severe æstimatæ[9]: cui placet[10], obliviscitur; cui dolet, meminit. Postremo tu in provinciam ire noluisti: non possum id in te reprehendere, quod in me ipso et prætor, et consul probavi. Sed tamen L. Murenæ provincia[11] multas bonas gratias cum optima existimatione attulit. Habuit proficiscens delectum in Umbria: dedit ei facultatem respublica liberalitatis; qua usus, multas sibi tribus, quæ municipiis Umbriæ conficiuntur, adjunxit: ipsa[12] autem in Gallia, ut nostri homines desperatas jam pecunias exigerent, æquitate diligentiaque perfecit. Tu interea Romæ scilicet ami-

3. *Ex altera parte*. Reorum.— *Altera*. Accusatorum.

4. *Catenarum*. Carceris imago, qui damnatos manet, et quem accusator peculatus reo minatur. Putat Schütz. fortasse metaphorice dictum, sicut pro Sext. cap. 16: « Legum sacrarum catenis constrictus ». Verum exemplum hoc non ad hunc locum facit.

5. MSS et edd. variant, ut passim, inter *indicum* et *judicum*. Illa vox unice vera est. J. V. L.

6. *Scriba damnatus*. Scribam Servius prætor de peculatu damnaverat, quo totus ordo offensus, quin comitiis consularibus Murenam Servio præposuerit, non est cur dubitetur. His ordinum offensionibus referti sunt romani annales.

7. *Sullana gratificatio*. Sulla victor iis, qui suas partes in bello adjuverant, bona de publico largitus est; ea largitio post illius interitum, peculatus nomina in judicium vocata; multique Servio prætore damnati, unde illi pars civitatis infensa.

8. *Multi viri fortes*. Qui pro Sulla pugnaverant, et quibus ille post victoriam gratificatus erat.

9. *Lites æstimatæ*. Damnatis reis, vel de repetundis, vel de peculatu, lites æstimari solebant, cum quibus tamen interdum benignius agebatur; severius autem actum esse Servio prætore in causa peculatus, hic locus ostendit.

10. *Cui placet*. Qui gaudet damnatum reum et litem severe æstimatam, brevi hujus rei obliviscitur; sed cui dolet, diu meminit pœnæ et semper quærit ulciscendi prætoris occasionem.

11. *L. Murenæ provincia*. Gallia Transalpina, quam post præturam rexit.

12. Sic emendavit Ernestius. Vulgo *ipse*. Probant multi. J. V. L.

cis præsto fuisti : fateor; sed tamen illud cogita, nonnullorum amicorum studia minui solere in eos, a quibus provincias contemni intelligant.

XXI. Et, quoniam ostendi, judices, parem dignitatem ad consulatus petitionem, disparem fortunam provincialium negotiorum in Murena, atque in Sulpicio fuisse : dicam jam apertius, in quo meus necessarius fuerit inferior Servius, et ea dicam, vobis audientibus, amisso jam tempore[1], quæ ipsi soli, re integra, sæpe dixi. Petere consulatum nescire te, Servi, persæpe tibi dixi; et in iis rebus ipsis, quas te magno et forti animo et agere, et dicere videbam, tibi solitus sum dicere, magis te fortem senatorem mihi videri, quam sapientem candidatum. Primum accusandi terrores[2] et minæ, quibus tu quotidie uti solebas, sunt fortis viri; sed et populi opinionem[3] a spe adipiscendi avertunt, et amicorum studia debilitant. Nescio quo pacto semper hoc fit; neque in uno aut altero animadversum est, sed jam in pluribus : simul atque candidatus accusationem meditari visus est, ut honorem desperasse videatur. Quid[4] ergo ? acceptam injuriam persequi non placet ? imo vehementer placet : sed aliud tempus est petendi, aliud persequendi. Petitorem ego, præsertim consulatus, magna spe, magno animo, magnis copiis et in forum, et in campum deduci volo : non placet mihi inqui-

XXI. 1. *Amisso jam tempore.* Quum jam occasio præteriit. — *Re integra.* Quum non frustra monere possem.

2. *Accusandi terrores.* Minas illas de ambitu accusandi, quos tuos competitores contra leges agere animadvertebas. Apparet Servium, ut virum bonum et reipublicæ amantem, quum illegitimas cupiditates in æmulis cerneret, accusationem adversus eos se instituturum sæpius minatum esse.

3. *Populi opinionem.* Efficiunt, ut populus opinetur, eum qui terroribus ejusmodi utitur, adipisci consulatum non posse, quum illis minis se parum consulatum sperare ostendat.

4. Lambin. sic distinxit, ut sæpius, *Quid ? ergo.* J. V. L.

sitio candidati[5], prænuntia repulsæ; non testium potius, quam suffragatorum comparatio: non minæ magis, quam blanditiæ; non declamatio potius, quam persalutatio[6]: præsertim quum jam hoc novo[7] more omnes fere domos omnium concursent, et ex vultu candidatorum conjecturam faciant, quantum quisque animi et facultatis habere videatur. Videsne tu illum tristem? demissum? jacet, diffidit, abjecit[8] hastas. Serpit hic rumor: « Scis tu illum accusationem cogi« tare? inquirere in competitores? testes quærere? « alium faciam, quoniam sibi hic ipse desperat». Ejusmodi candidatorum amici intimi debilitantur, studia deponunt, aut testatam rem abjiciunt[9], aut suam operam[10] et gratiam judicio et accusationi reservant.

XXII. Accedit eodem, ut etiam ipse candidatus totum animum atque omnem curam, operam, diligentiamque suam in petitione non possit ponere. Adjungitur enim accusationis cogitatio, non parva res, sed nimirum omnium maxima: magnum est enim, te comparare ea, quibus possis hominem e[1] civitate,

5. *Inquisitio candidati.* Quam facit candidatus de rei criminibus. Accusatori enim constituto certum aliquod tempus dabatur ad inquirenda rei crimina.

6. *Persalutatio.* Significat candidato tempus potius in prensandis et salutandis civibus consumendum esse, quam in declamando.

7. *Hoc novo more.* Quem ambitio peperit; alius enim erat mos majorum. Videtur hoc loco orator non ita Servium qui viles illas conciliandæ gratiæ rationes contempsit, quam eos qui iis abutuntur, callide reprehendere.

8. *Abjecit hastas.* Translatio ab iis, qui se victos in pugna, armis abjectis confitentur.

9. *Testatam rem abjiciunt.* Causa discedunt, testati cur omittant; ne scilicet ei faveant, qui sibi ipse desperet. Sic Manutius. Potius cum Ferratio interpretandum: causam deserunt, quam ipsi candidati pessimam desperatione sua testantur. Schützius ex Lambino ita totum locum reponit: «aut totam rem abjiciunt, et suam operam, etc.»

10. *Aut suam operam.* Si candidatum non omnino deserunt, accusationi auctoritatem et gratiam suam reservant, ut candidato advocati præsto sint, qui unum de competitoribus de ambitu accusaturus est.

XXII. 1. *E civitate.* Damnati enim de ambitu post legem, quam hoc an-

præsertim non inopem, neque infirmum, exturbare; qui et per se, et per suos, et vero etiam per alienos defendatur. Omnes enim ad pericula propulsanda concurrimus; et qui non aperte inimici sumus, etiam alienissimis, in capitis periculis, amicissimorum officia et studia præstamus. Quare ego expertus et petendi, et defendendi, et accusandi molestiam[2], sic intellexi : in petendo[3], studium esse acerrimum ; in defendendo, officium; in accusando, laborem. Itaque sic statuo, fieri nullo modo posse, ut idem accusationem, et petitionem consulatus diligenter adornet atque instruat. Unum sustinere pauci possunt, utrumque nemo. Tu, quum te[4] de curriculo petitionis deflexisses, animumque ad accusandum transtulisses, existimasti, te utrique negotio satisfacere posse? Vehementer errasti. Quis enim dies[5] fuit, posteaquam in istam accusandi denuntiationem ingressus es, quem tu non totum in ista ratione consumpseris?

XXIII. Legem ambitus flagitasti[1], quæ tibi non deerat. Erat enim severissime scripta Calpurnia[2]. Gestus est mos et voluntati, et dignitati tuæ. Sed tota[3]

no Cicero consul ante comitia consularia tulit, in exsilium ibant.

2. *Accusandi molestiam.* Quum C. Verrem accusavit.

3. *In petendo.* Expertus animadverti in petendis honoribus maximam esse impendendam assiduitatem; in defendendo autem reo, studium diligentissimum; et in accusando pertinacissimum laborem.

4. Edd. vett. omiserant *te :* dedit Gruter. e MSS suis. J. V. L.

5. *Quis enim dies.* Studium Servianæ accusationis exaggerat, quo illum petitioni minus vacare potuisse ostendat.

XXIII. 1. *Legem ambitus flagitasti.* Petiisti a senatu ut nova de ambitu lex ferretur, quum tu Calpurnia lege severissime scripta contentus esse posses.

2. *Calpurnia.* C. Calpurnius Piso, non multis annis ante Ciceronis consulatum, tulit ex senatusconsulto legem de ambitu, in qua, præter alias pœnas, pecuniaria erat addita. Hanc legem, quod multis gravior videbatur, non nisi magna manu stipatus in foro tulit.

3. *Tota illa lex.* Quam flagitasti, et quæ lata est. Mira arte totus hic locus tractatur, in quo legem suo ipsius nomine inscriptam Cicero non tam ipse tulisse quam amico Servio condonasse innuit.

illa lex accusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armasset; petitioni vero refragata est. Pœna gravior in plebem tua voce efflagitata est: commoti animi sunt[4] tenuiorum. Exsilium[5] in nostrum ordinem: concessit senatus postulationi tuæ; sed non libenter duriorem fortunæ communi conditionem, te auctore, constituit[6]. Morbi excusationi pœna addita est[7]: voluntas offensa multorum, quibus aut contra valitudinis commodum laborandum est, aut incommodo morbi etiam ceteri vitæ fructus relinquendi[8]. Quid ergo? hæc quis tulit[9]? is, qui auctoritati senatus, voluntati tuæ paruit; denique is tulit, cui minime proderant[10]. Illa, quæ mea summa voluntate senatus frequens repudiavit[11], mediocriter adversata tibi esse existimas? Confusionem suffragiorum[12] flagitasti,

4. Abest *sunt* a multis MSS. Beck. Schütz. delevere. J. V. L.

5. *Exsilium.* Quod lege Calpurnia non irrogabatur.

6. *Constituit.* Sed invitus conditionem nostram duriorem, te postulante, effecit.

7. *Pœna addita est.* Reis, testibus aut judicibus morbum excusantibus.

8. *Relinquendi.* Quod aut contra valitudinem agendum est, aut propter morbi incommodum multa solvenda, quasi ex industria judicio abfuerit.

9. *Hæc quis tulit?* Cicero ipse consul ad reprimendos Catilinæ conatus, ex senatusconsulto legem novam de ambitu tulit, superiorum omnium severissimam, cujus tria capita hic numerantur. 1° *Pœna gravior in plebem efflagitata.* Nempe in eos qui suffragia vendere solebant. 2° *Exsilium in nostrum ordinem.* Soli enim senatores ad magistratus petendos plerumque accedebant (excepta quæstura), iique antea lege Calpurnia damnati et ordinem, et jus petendorum honorum amittebant; nunc exsilium lex Tullia addit. 3° *Morbi excusationi pœna addita.* Ne quis morbi excusatione uti posset reus, lege Tullia cautum est, ut pro damnato haberetur quicumque morbi causam prætendens, judicii dilationem quæreret, donec, adveniente ineundi magistratus die, elaberetur.

10. Idem Schütz. e conjectura, *qui minime probaret.* J. V. L.

11. *Repudiavit.* Legis autem capita, quæ, me maxime adnitente, senatus rejecit, tibi non nocuisse arbitraris? Nunc ita personas invertit Cicero, ut quamvis lata a se lex illa fuerit, Servii duntaxat instrumentum fuisse videatur.

12. *Confusionem suffragiorum.* Petierat Servius, non ut, latis suffragiis, centuriæ numerarentur, quod fieri solebat; sed ut omnia centuriarum omnium suffragia confunderentur; iisque numeratis, quis consul factus esset, quis rejectus intelligeretur. Ita fiebat, ut ambitus ex magna parte tolleretur, quum nullius centuriæ beneficium appareret.

prorogationem legis Maniliæ [13], æquationem [14] gratiæ, dignitatis, suffragiorum. Graviter homines honesti, atque in suis civitatibus et municipiis gratiosi tulerunt, a tali viro esse pugnatum, ut omnes et dignitatis, et gratiæ gradus tollerentur. Idem edititios judices esse voluisti, ut odia occulta civium, quæ tacitis nunc discordiis continentur, in fortunas optimi cujusque erumperent. Hæc omnia tibi accusandi viam muniebant, adipiscendi obsepiebant.

Atque ex omnibus illa plaga est injecta [16] petitioni tuæ, non tacente me, maxima : de qua ab homine ingeniosissimo et copiosissimo, Hortensio, multa gravissime dicta sunt. Quo etiam mihi durior locus [17] est dicendi datus : ut, quum ante me [18] et ille dixisset, et vir summa dignitate, et diligentia, et facultate dicendi, M. Crassus, ego in extremo non partem aliquam agerem causæ, sed de tota re dicerem, quod mihi videretur. Itaque in iisdem rebus fere versor, et, quod possum [19], judices, occurro vestræ sapientiæ.

13. *Prorogationem legis Maniliæ.* Vel lex Manilia de suffragiorum confusione, quæ jam abrogata fuerat, in posterum valeret, ut Manutio placet; aut in tempus longius continuaretur, quod explicat Ernest.

14. *Æquationem gratiæ.* Confusis suffragiis hoc sequebatur, ut eorum, qui suffragia ferebant, non gratia, non dignitas exstaret.

15. *Edititios judices.* Ut accusator ipse ederet, quos de ambitu judicare vellet, quod senatus repudiavit. Vidit enim fore ut ederentur judices ii tantum, qui reo quacumque causa infensi essent; hoc postea tamen latum ut in crimine sodalitii, quod ad ambitum pertinuit. Id ex oratione pro Plancio perspicuum fit.

16. *Plaga est injecta.* Illud tibi maxime nocuit.

17. *Durior locus est dicendi.* Difficilior labor.

18. *Ante me.* Quum ita accusare plures poterant, tum eamdem causam orabant patroni aliqui aut etiam inter se ita dividebant, ut suam quisque partem ageret. Sic sæpius Ciceroni peroratio erat attributa. De more hoc et legibus quarum supra mentio exstitit, vide plura in Excurs. ad calcem Verr. I, de Judic. public.

19. *Quod possum.* Intra res easdem conclusus, ego in ea re servio, quoad possum, vobis, judices, ut re breviter cognita et repetita possitis recte judicare. Schütz. mutat in *potissimum ;* alii, quod æque improbandam vide-

XXIV. Sed tamen, Servi, quam te securim putas injecisse petitioni tuæ, quum tu populum romanum in eum metum adduxisti, ut pertimesceret, ne consul Catilina fieret, dum tu accusationem comparares, deposita atque abjecta petitione? Etenim te inquirere videbant, tristem ipsum; mœstos amicos, observationes [1], testificationes [2], seductiones testium, secessionem subscriptorum [3] animadvertebant: quibus rebus certe ipsi candidatorum vultus obscuriores [4] videri solent. Catilinam interea alacrem atque lætum, stipatum choro juventutis, vallatum indicibus [5] atque sicariis, inflatum quum spe militum [6], tum collegæ mei [7], quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluente colonorum Arretinorum et Fesulanorum [8] exercitu. Quam turbam, dissimillimo ex genere, distinguebant [9] homines perculsi [10] Sullani temporis

tur, pro *sapientiæ*, legunt *satietati*. J. V. L.

XXIV. 1. *Observationes*. Dum tu illorum quorum deferre nomina volebas, peccata inquireres.

2. *Testificationes*. Testium comparationes. — *Seductiones*. Quum seorsum ab aliis cum quibus erant, duceret Servius, ac variis percuntationibus, quales ab accusatore haberi possunt, exploraret.

3. *Subscriptorum*. Subscribebant accusationi ii, qui profitebantur se ei auxilio futuros ad peragendum reum.

4. *Obscuriores*. Non, ut candidatorum bene sperantium, solent esse alacres et læti. Quod paullo infra de Catilinæ vultu declarat.

5. *Indicibus*. Delatoribus, qui ceteris periculum facere consueverant. Res nimirum apud Romanos turpis indicium facere: et Vettius ad Atticum II, 26, extremum fortunarum famæque profligatæ subsidium constituebat, *indicium postulare*. Eodem sensu vox ista pro Sull. 25, et pro Flacco, 38, usurpatur. Hunc igitur locum frustra docti nonnulli sollicitant.

6. *Spe militum*. Satellitum suorum, qui olim sub Sulla stipendia erant meriti.

7. *Collegæ mei*. Antonii, quem cum Catilina consentientem Cicero suæ provinciæ concessione retinuit.

8. *Fesulanorum*. Quos veteres Sullæ milites cum Mallio advocaverat, qui sibi consulatum petenti præsto forent.

9. *Distinguebant*. Quum alii a Sulla bellorum civilium spoliis essent ditati, alii autem ab eodem bonis et possessionibus exuti, itidem Catilinam sequebantur, quamvis contraria sentirent, spe recuperandi amissos fundos in illo reipublicæ tumultu.

10. *Homines perculsi*. Olim, *percussi*. J. V. L.

calamitate. Vultus erat ipsius plenus furoris; oculi, sceleris; sermo, arrogantiæ: sic ut ei jam exploratus et domi conditus[11] consulatus videretur. Murenam contemnebat; Sulpicium accusatorem suum numerabat, non competitorem; ei vim denuntiabat; reipublicæ minabatur.

XXV. Quibus rebus qui timor bonis omnibus injectus sit, quantaque desperatio reipublicæ, si ille factus esset, nolite a me commoneri velle: vosmet ipsi vobiscum recordamini. Meministis enim, quum illius nefarii gladiatoris voces percrebruissent, quas habuisse in concione domestica[1] dicebatur; quum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse, nisi eum, qui ipse miser esset[2]; integrorum et fortunatorum promissis saucios[3] et miseros credere non oportere; quare qui consumpta replere[4], erepta recuperare vellent, spectarent, quid ipse deberet, quid possideret, quid auderet; minime timidum, et valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum.

Tum igitur, his rebus auditis, meministis fieri senatusconsultum, referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus. Itaque postridie, frequenti senatu, Catilinam excitavi, atque eum de his rebus jussi, si quid vellet, quæ ad me allatæ essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus[5], non se purgavit, sed indicavit atque

11. *Jam exploratus et domi conditus.* Loco prædæ in manu ac potestate habitus.

XXV. 1. *In concione domestica.* Quam domi habuit, quum universos conjuratos excitaret.

2. *Ipse miser esset.* Nam, ut ait Sallustius in ea quam Catilinæ affingit oratione, idem velle et idem nolle, ea demum firma amicitia.

3. *Saucios.* Damno aliquo affectos.

4. *Consumpta replere.* Quod in fortunis vacuum est implere; damna luxuriæ sancire.

5. *Apertissimus.* Ut solebat, audacissimus.

induit. Tum enim dixit, duo corpora esse reipublicæ, unum debile, infirmo capite[6]; alterum firmum, sine capite : huic, quum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum. Congemuit senatus frequens, neque tamen satis severe[7], pro rei indignitate, decrevit. Nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant; partim, quia timebant. Tum erupit e senatu, triumphans gaudio, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat : præsertim quum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante, Catoni, fortissimo viro, judicium minitanti ac denuntianti, respondisset, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina[8] restincturum.

XXVI. His tum rebus commotus, et quod homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo præsidio fortissimorum virorum, et cum illa lata insignique lorica[1], non quæ me tegeret (etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et

6. *Infirmo capite.* Corpus optimatum, cujus caput sit infirmum, quum duce forti et belli perito careat. Pompeius enim erat in Asia; Cicero autem pro bono imperatore haberi non poterat. Eadem omnino refert Plutarchus in Cic. Τί γὰρ πράττω δεινὸν, εἰ δυεῖν σωμάτων ὄντων τοῦ μὲν ἰσχνοῦ καὶ κατεφθινηκότος, ἔχοντος δὲ κεφαλὴν, τοῦ δὲ ἀκεφάλου μὲν, ἰσχυροῦ δὲ καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν αὐτὸς ἐπιτίθημι; Frustra Manutius, ut elegantiorem contra positis comparationem habeat, legit « firmo capite »: Contra sensum omnino est; *infirmum* enim *caput* Tullium vocabat, quem timidum, inquilinum Urbis, ignobilemque se contemnere præ se ferebat.

7. *Congemuit senatus frequens, neque tamen satis severe, pro rei indignitate, decrevit.* Quid senatus decreverit, non apparet; proprie tamen nihil in Catilinam decrevisse, ex eo conjicere licet, quod infra dicitur « erupit e senatu triumphans gaudio ».

8. *Ruina.* Excidio totius urbis et reipublicæ. Vide eumdem hunc locum apud Sallustium, Catil. IX. In eo tamen errare videtur Sallustius, quod verba ea dixisse Catilinam narrat, quo die Cicero consul in eum oratione præclarissima est invectus, cujus principium nemo nescit.

XXVI. 1. *Lata et insigni lorica.* De qua etiam Plutarchus meminit, in vita Ciceronis.

collum[2] solere petere), verum ut omnes boni animadverterent, et quum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem præsidiumque meum concurrerent. Itaque quum te, Servi, remissiorem in petendo putarent, Catilinam et spe et cupiditate inflammatum viderent, omnes, qui illam ab republica pestem depellere cupiebant, ad Murenam se satim contulerunt. Magna est autem comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, præsertim quum incubuit ad virum bonum[3], et multis aliis adjumentis petitionis ornatum. Qui quum honestissimo patre atque majoribus, modestissima adolescentia, clarissima legatione, prætura probata in jure[4], grata in munere[5], ornata in provincia[6], petisset diligenter, et ita petisset, ut neque minanti cederet[7], neque cuiquam minaretur; huic mirandum est magno adjumento Catilinæ subitam spem[8] consulatus adipiscendi fuisse?

Nunc mihi tertius ille locus est[9] orationis de ambitus criminibus, perpurgatus ab iis, qui ante me dixerunt; a me, quoniam ita Murena voluit, retractandus: quo in loco Postumio, familiari meo, ornatissimo

2. *Caput et collum.* Sciebam enim gladiatorem illum Sullanum non latus ferire, sed colli secandi ex proscriptionibus usum callere. Conjectum hoc est in Sullana tempora, in quibus qui proscriptorum civium capita ad dictatorem afferebant, præmio donabantur; qua tempestate iidem fere erant, ut pro Rosc. Amer. ait « sectores collorum et bonorum ».

3. *Ad virum bonum.* Qualis est Murena. — *Adjumentis.* Quæ statim dicuntur.

4. *In jure.* Illa sua juris administrandi prudentia.

5. *Munere.* Ludis Apollinaribus, quos prætor edidit.

6. *Ornata in provincia.* Propter liberalitatem et virtutem.

7. *Neque minanti cederet.* Qua ratione constantiam suam ostendebat. — *Nec cuiquam minaretur.* Quum suffragiis populi fideret.

8. *Catilinæ subitam spem consulatus adipiscendi.* Ortam ex eo, quia videbat te accusationem comparare, abjecta consulatus petitione.

9. *Nunc mihi tertius ille locus est.* Male addunt quidam codd. *relictus.* J. V. L.

viro, de divisorum[10] indiciis, et de deprehensis pecuniis; adolescenti[11] ingenioso et bono, Serv. Sulpicio, de equitum centuriis[12]; M. Catoni, homini in omni virtute excellenti, de ipsius accusatione, de senatusconsulto, de republica[13] respondebo.

XXVII. Sed pauca[1], quæ meum animum repente moverunt, prius de L. Murenæ fortuna conquerar. Nam quum sæpe antea, judices, et ex aliorum miseriis, et ex meis curis laboribusque quotidianis, fortunatos eos homines judicarem, qui remoti a studiis ambitionis[2], otium ac tranquillitatem vitæ sequuti sunt; tum vero in his L. Murenæ tantis, tamque improvisis periculis ita sum animo affectus, ut non queam satis neque communem omnium[3] nostrum conditionem, neque hujus eventum fortunamque miserari : qui primum, dum ex honoribus[4] continuis familiæ majorumque suorum unum adscendere gradum dignitatis conatus est, venit in periculum, ne et ea, quæ relicta[5], et hæc, quæ ab ipso parta sunt, amittat; deinde, propter studium novæ laudis, etiam in veteris fortunæ discrimen[6] adducitur. Quæ quum sint gra-

10. *Divisorum*. A quibus pecunias populo pro Murena divisas esse Postumius dicebat.

11. *Adolescenti*. Servii filio, qui paternam causam tuebatur.

12. *De equitum centuriis*. A L. Natta Murenæ privigno ad prandium invitatis, et fortasse tentatis, ut infra narratur.

13. *De republica*. Quod se reipublicæ utilitate ad accusandum adductum Cato dixerat.

XXVII. 1. *Sed pauca*. Excursio ad animos judicum commovendos, ut faveant Murenæ, cujus, quum ob virtutem invidia laboret, causa cum aliorum fortunis communicatur, qui non reip. servire, et huic administrandæ voluptates et vitam otiosam præponere decreverint.

2. *A studiis ambitionis*. Quos homines egregie describit et laudat de Offic. 1, 20.

3. *Omnium nostrum*. Qui studiis ambitionis tenemur, aut magistratum gerimus.

4. *Honoribus continuis*. Ex illa prætura quæ in ejus familia veluti gentilis honor est.

5. *Relicta*. Dignitatem et splendorem familiæ et nominis illis magistratibus partum.

6. *Veteris fortunæ discrimen*. Primum est ei timendum, ne avitam di-

via[7], judices, tum illud acerbissimum est, quod habet eos accusatores, non qui odio inimícitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderunt[8]. Nam, ut omittam Servium Sulpicium, quem intelligo non injuria L. Murenæ, sed honoris contentione[9] permotum, accusat paternus amicus, Cn. Postumius, vetus, ut ait ipse, vicinus ac necessarius, qui necessitudinis causas complures protulit, simultatis nullam commemorare potuit; accusat Serv. Sulpicius, sodalis filii[10], cujus ingenio paterni omnes necessarii munitiores esse debebant; accusat M. Cato, qui quamquam a Murena nulla re umquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac civitate natus, ut ejus opes et ingenium præsidio multis etiam alienissimis, vix cuiquam inimico exitio esse deberent[11].

Respondebo igitur Postumio primum, qui nescio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus[12] in consularem, quasi desultorius[13] in quadrigarum curriculum incurrere : cujus competitores si nihil deliquerunt[14], dignitati eorum concessit, quum petere desti-

gnitatem et propriam amittat; deinde ne, dum studet novæ laudi, veteris etiam fortunæ jacturam faciat. Si enim ambitus damnabitur Murena, veteri fortuna dejectus erit, et capite diminutus.

7. *Sint gravia.* Al. *sunt.* J. V. L.

8. Al. *descenderent.* J. V. L.

9. *Contentione.* Quod de consulatu contendat.

10. *Sodalis filii.* Murenæ junioris comes, cujus ex ingenio nemini creari periculum debuit, sed salus potius defendi paternorum amicorum.

11. *Deberent.* Al. *deberet.*

12. *Prætorius candidatus.* Prætorius candidatus Postumius præturam petere destiterat, ut candidatum consularem accusaret Murenam. Quod mirari sane licuit : cur enim suos non potius competitores accusabat? Nimirum, ait Cicero, ejusmodi hoc est, ut si desultorius in quadrigarum curriculum incurrat, i. e. e minore certamine in majus se conjiciat.

13. *Desultorius.* Intellig. *equus*, a desultore, quod erat genus equitum, qui in circo equos plures agitabant, ita ut ex uno in alterum transvolarent. Gallicus interpres de homine ipso h. l. intelligit, quod nullis exemplis firmatum videtur.

14. *Nihil deliquerunt.* Largiti non sunt, ut præturam adipiscerentur.

tit; sin autem eorum aliquis largitus est, expetendus amicus est[15], qui alienam potius injuriam, quam suam persequatur.

Ea omnia, quæ et Postumio, et Serv. Sulpicio, adolescenti, responsa sunt, desiderantur[16].

XXVIII. Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum[1] ac robur totius accusationis: qui tamen ita gravis est accusator et vehemens, ut multo magis ejus auctoritatem[2], quam criminationem pertimescam. In quo ego accusatore, judices, primum illud deprecabor, ne quid L. Murenæ dignitas illius, ne quid exspectatio tribunatus[3], ne quid totius vitæ splendor et gravitas noceat; denique ne ea soli huic obsint bona M. Catonis, quæ ille adeptus est, ut multis prodesse posset. Bis consul fuerat P. Africanus, et duos terrores hujus imperii, Carthaginem Numantiamque, deleverat, quum accusavit L. Cottam[4]: erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in ipso[5] imperio populi romani, quod illius opera tenebatur. Sæpe hoc majores natu dicere audivi, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottæ profuisse. Noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam judicabant,

15. *Expetendus amicus est.* Postumium illum nobis amicum expetamus, qui alienas persequitur injurias, suas ipse contemnit.

16. Forte ipse Cicero ea non scripserat, teste Plinio, Epist. I, 20.

XXVIII. 1. Cod. unus ap. Lambin. *fundamentum*. J. V. L.

2. *Ejus auctoritatem.* Quum summam Catonis ex virtutibus auctoritatem metueret, in quemdam locum communem excurrit orator, de accusatorum gratia, quam in judiciis valere et reo nocere nequaquam debere ait.

3. *Exspectatio tribunatus.* Erat enim tribunus designatus.

4. *L. Cottam.* Vide omnino Val. Max. VIII, 1, 11, ubi de hoc judicio agit, et egregie hunc locum illustrat. Exemplum illud jam recitavit orator Divin. in Cæcil. 21, et pro Font. 16; in Bruto, c. 21, etiam L. Cottæ meminit, qui tribunus plebis anno 599, et consul an. 609 fuit.

5. Delevit Græv. *ipso*, quod abest ab aliquot MSS. J. V. L.

ita quemquam cadere[6] in judicio, ut nimiis adversarii viribus abjectus videretur. Quid? Serv. Galbam[7] (nam traditum memoriæ est) nonne proavo tuo, fortissimo atque florentissimo viro, M. Catoni, incumbenti ad ejus perniciem, populus romanus eripuit[8]? Semper in hac civitate nimis magnis accusatorum opibus et populus universus, et sapientes ac multum in posterum prospicientes judices restiterunt. Nolo accusator in judicium potentiam afferat, non vim majorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam. Valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum; in periculo vero, et in pernicie civium, repudientur. Nam si quis[9] hoc forte dicet, Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa judicasset, iniquam legem, judices, et miseram conditionem instituet periculis hominum, si existimabit, judicium accusatoris in reum pro aliquo præjudicio valere oportere.

XXIX. Ego tuum consilium, Cato, propter singulare animi mei de tua virtute judicium, vituperare non audeo; nonnulla in re forsitan conformare, et

6. *Cadere in judicio.* In judicio victum fuisse.

7. *Serv. Galbam.* Serv. Sulpicium Galbam, hominem eloquentissimum accusavit ad populum L. Libo tribunus plebis, rogatione in eum lata, quod Lusitanos contra interpositam fidem prætor occidisset; eam rogationem M. Cato Censorius paullo ante mortem suasit, et in Originibus ipse refert, nisi pueris et lacrymis usus esset, pœnas eum daturum fuisse.

8. *Eripuit.* Effecit, ne propter potentiam et dignitatem Catonis damnaretur. Nam illi *eripi* et *auferri* dicuntur judicibus, qui præter æquitatem absolvuntur.

9. *Si quis.* Si quis eo argumento utatur, ut dicat judicatam omnino causam eo ipso quod accuset Cato; et hac una ratione Murenæ cadendum contendat, quod a Catone accusetur, qui nisi justas haberet causas, non accusaret; iniquam ille reo conditionem instituit. Apparet ex hac oratoria præmunitione quanta æquitatis fama excelleret Cato, ut vix rem nimio plus auxisse videatur Lucanus, quum diis victori faventibus Catonem pro victo stantem opponeret.

leviter emendare possim. Non multa peccas [1], inquit ille fortissimo viro senior magister; sed, si [2] peccas, te regere possum. At ego te verissime dixerim peccare nihil, neque ulla in re te esse hujusmodi, ut corrigendus potius, quam leviter [3] inflectendus esse videare. Finxit enim te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem et excelsum. Accessit his [4] tot doctrina non moderata, nec mitis, sed, ut mihi videtur, paullo asperior, et durior, quam veritas aut natura patiatur. Et quoniam non est nobis hæc oratio habenda aut cum imperita multitudine [5], aut in aliquo conventu agrestium, audacius paullo de studiis humanitatis, quæ et mihi et vobis nota et jucunda sunt, disputabo.

In M. Catone, judices, hæc bona, quæ videmus, divina et egregia, ipsius scitote esse propria [6] : quæ nonnumquam requirimus, ea sunt omnia non a natura, sed a magistro. Fuit enim quidam summo inge-

XXIX. 1. *Non multa peccas.* Videtur hic designari Achilles, ejusque magister Phœnix. Ætate Quintiliani nota illa fabula erat, ut ex ipsius verbis constat, VIII, 6; nunc autem quum ea penitus ignoretur, opera in his divinandis nominibus perditur. Versus ex Ennii, vel Attii Achille depromptus esse videtur.

2. Quintil. VIII, 6, « et, si peccas ».

3. Edidit Manut. *leniter*. J. V. L.

4. *Accessit his.* Cicero elevare quodammodo percallide Catonis auctoritatem conatur, quam paullo ante summam constituerat, quum absurdæ ferme cujusdam doctrinæ opinionem illi conciliare studet, quæ non tantum a populi romani gravitate, sed etiam ab humana sapientia abhorrere videtur. Vide Quintilianum, XI, 1, 65.

5. *Cum imperita multitudine.* Operæ pretium est animadvertere quantum causæ serviat Cicero, qui omnino contraria alio loco de hoc ipso consessu dicit, eumdem Catonem alloquens, quem severe adeo h. l. exagitat : « Non ego tecum jam ita loquar, ut iisdem his rebus, quum L. Murenam, te accusante, defenderem; apud imperitos tunc illa dicta sunt, aliquid etiam coronæ datum; nunc agendum est subtilius ». De Fin. IV, 27.

6. *Esse propria.* Callide profitetur orator ea, quæ dicturus est, in M. Catonem minus quam in Stoicam sectam esse casura.— *Requirimus.* Quod desideramus, quasi paullo sit imperfectius.

nio vir, Zeno[7], cujus inventorum æmuli Stoici nominantur. Hujus sententiæ[8] sunt et præcepta ejusmodi: sapientem gratia numquam moveri[9], numquam cujusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse, nisi stultum et levem; viri non esse, neque exorari, neque placari; solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos[10]; si mendicissimi, divites; si servitutem serviant, reges; nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt; omnia peccata esse paria; omne delictum, scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit; sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare numquam.

XXX. Hæc homo ingeniosissimus, M. Cato, auctoribus eruditissimis inductus arripuit[1]; neque disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi. Petunt aliquid publicani[2]? cave quidquam habeat momenti

7. *Zeno.* Hic Citticus patria, ex insula Cypro, quum Athenas venisset, philosophiæ operam dedit, et duriorem doctrinam professus, hanc vita exegit, ita ut apud Græcos in proverbium cesserit: Ζήνωνος ἐγκρατέστερος. — *Æmuli.* Sectatores ejus doctrinæ.

8. *Hujus sententiæ.* Παράδοξα intelligit, de quibus ad Brutum ita bene et copiose disserit, ut ea jam non horrida atque absurda, ut nunc ait, verum plane rationi consentanea ac luculenta videantur. Et ea plerumque per se vera sunt, sed ea lege, quæ rebus paullum humanæ rationis captum superantibus ridiculum infundi jubet, subtilius detorta vulgo deridendos Stoicos propinabant. Refert autem Plutarchus, Catonem, audito hoc loco, ad præsentes vultu hilari exclamasse, ὦ ἄνδρες, ὡς γελοῖον ὕπατον ἔχομεν!

9. *Numquam moveri.* Nihil facere, ut gratiam ab aliquo ineat.

10. *Formosos.* Magnam sæpe in judiciis vim habere talem elusionem notaverunt eruditi ad Apuleii Apolog. « at ego non mirer si boni consulis, me de isto distortissimo vultu tuo dicere, etc. » Eodem sensu loquitur Horatius, cujus adi festivissimam satyram, I, 3.

XXX. 1. *Arripuit.* Imbibit, hausit, expressit.

2. *Petunt aliquid publicani.* Ut quum a senatu paullo post petiere de minuenda vectigalium mercede, quoniam quidem cupiditate prolapsi nimium magno conduxissent, quibus

gratia. Supplices aliqui veniunt, miseri et calamitosi? sceleratus et nefarius fueris, si quidquam, misericordia adductus [3], feceris. Fatetur aliquis se peccasse, et ejus delicti veniam petit? nefarium est facinus, ignoscere. At leve delictum est. Omnia peccata sunt paria. Dixisti quippiam [4]. Fixum et statutum est. Non re [5] ductus es, sed opinione. Sapiens nihil opinatur. Errasti aliqua in re. Male dici putat [6]. Hac ex disciplina nobis illa sunt. Dixi [7] in senatu me nomen consularis candidati delaturum. Iratus dixisti. Numquam, inquit, sapiens irascitur [8]. At temporis causa. Improbi, inquit, hominis est, mendacio fallere; mutare sententiam, turpe est; exorari, scelus; misereri, flagitium.

Nostri autem illi [9] (fatebor enim, Cato, me quoque in adolescentia diffisum ingenio meo, quæsisse adjumenta doctrinæ), nostri, inquam, illi a Platone et Aristotele, moderati homines et temperati, aiunt, apud sapientem valere aliquando gratiam; viri boni esse misereri; distincta genera esse delictorum, et

restitit unus et pervicit Cato. Conqueritur etiam Cicero de Off. III, 22, de hac Catonis præfracte nimis ærarium defendentis contra reip. salutem ratione, quem vide.

3. *Misericordia adductus*. Neque ea solum Stoicorum doctrina fuit, quum Virgilius dicat, « Nec doluit miserans inopem, aut invidit habenti ».

4. Victorius, *quippe jam*; Lambinus, *quippe*. J. V. L.

5. *Non re*. Non ipsa rei veritate et scientia.

6. *Male dici putat*. Errare enim sapientis non est.

7. *Dixi*. Valet hoc maxime ad causam Murenæ sublevandam. A Catone accusatur, non quod contra leges fecerit aliquid, sed quoniam in senatu semel dixit Cato se consularis candidati nomen delaturum. Alter quispiam, qui Stoicus non esset, fateretur, id se dixisse iratum, et dictum ac mentem mutaret. Hoc fateri non vult Cato, ne quid fecisse videatur sapiente indignum. Itaque reus ideo est Murena, quoniam numquam irasci sapientem libri docent, et Cato sapientem se esse arbitratur.

8. *Irascitur*. Vid. A. Gell. Noct. Att. I, cap. ult. — *Temporis causa*. Ut Servio inservires, ceterosque competitores accusationis metu terreres.

9. *Nostri autem illi*. Medii illi philosophi ac quodammodo temperati, quos sequutus est Cicero.

dispares pœnas; esse apud hominem constantem ignoscendi locum; ipsum sapientem sæpe aliquid opinari[10], quod nesciat; irasci nonnumquam; exorari eumdem et placari; quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare; de sententia decedere aliquando; omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas[11].

XXXI. Hos ad magistros si qua te fortuna, Cato, cum ista natura detulisset, non tu quidem vir melior esses, nec fortior, nec temperantior, nec justior (neque enim esse potes), sed paullo ad lenitatem propensior; non accusares nullis adductus inimicitiis, nulla lacessitus injuria, pudentissimum hominem, summa dignitate atque honestate præditum; putares, quum in ejusdem anni custodia[1] te atque L. Murenam fortuna posuisset, aliquo te cum hoc reipublicæ vinculo esse conjunctum; quod atrociter in senatu dixisti, aut non dixisses, aut seposuisses[2], aut mitiorem in partem interpretarere. Ac te ipsum (quantum ego opinione auguror) nunc et animi quodam impetu concitatum, et vi naturæ atque ingenii elatum, et recentibus præceptorum studiis flagrantem, jam usus flectet, dies leniet, ætas mitigabit. Etenim isti ipsi mihi videntur vestri præceptores et virtutis magistri, fines officiorum[3] paullo longius, quam natura vellet, protulisse: ut, quum ad ulti-

10. *Opinari.* De his rebus dubitare, quas nesciat.

11. *Esse moderatas.* Hanc omnium veterum sapientium communem sententiam, quæ pro foribus Delphici templi erat consecrata, Peripatetici sumpserunt explicandam in suis de virtute morali disputationibus.

XXXI. 1. *Ejusdem anni custodia.* Nempe quod anno proximo Cato tribunus plebis, Murena consul futurus erat, et uterque annum illum ab omni malo custodire ac servare debebant.

2. *Seposuisses.* Texisses, et occuluisses. Frustra Lambin. e conjectura Hottomanni, « aut, si potuisses, mitiorem ».

3. *Fines officiorum paullo longius.* Officia hominum ultra naturæ fines protulisse.

mum [4] animo contendissemus, ibi tamen, ubi oporteret, consisteremus. Nihil ignoveris. Imo aliquid, non omnia. Nihil gratiæ causa feceris. Imo resistito gratiæ, quum officium et fides postulabit. Misericordia commotus ne sis. Etiam, in dissolvenda [5] severitate: sed tamen est laus aliqua humanitatis [6]. In sententia permaneto. Vero [7]; nisi sententiam alia vicerit melior.

Hujuscemodi Scipio ille [8] fuit, quem non pœnitebat facere idem, quod tu; habere eruditissimum hominem et pæne divinum [9] domi: cujus oratione et præceptis, quamquam erant eadem ista [10], quæ te delectant, tamen asperior non est factus, sed, ut accepi a senibus, lenissimus. Quis vero C. Lælio [11] comior? quis jucundior, eodem ex studio isto? quis illo gravior? sapientior? Possum de L. Philippo [12], de C. [13] Gallo dicere hæc eadem: sed te domum jam deducam tuam. Quemquamne existimas Catone, proavo tuo, com-

4. *Ad ultimum.* Quum ad extremum finem officiorum totis animi viribus pervenire laboraremus, ibi tamen maneremus, ubi natura pateretur. Sunt enim officii fines, ut inquit Flaccus, « Quos ultra citraque nequit consistere rectum ».

5. *In dissolvenda severitate.* Ne misericordia frangaris ea, quæ legum auctoritatem labefactet. Conjicit legendum Schütz. « in dissolvenda severitate tamen est laus aliqua humanitatis », ut ad Q. Fratrem, I, epist. 1. Non mutato opus est.

6. *Humanitatis.* Sic autem agendo humanitatis rationem habere videreris.

7. *Vero.* Hac utebantur vocula Latini familiarius loquentes, ut aliquid ab alio dictum adfirmarent. Vid. Græv. ad Off. III, 13. Frustra malint quidam *enimvero*, quod verbum in nonnullis codicibus legitur, quasi vim affirmationis intendat.

8. *Scipio ille.* Africanus minor, qui Stoico Panætio, doctissimo homine, magistro usus erat, quem paullo infra auctor noster *divinum* appellat.

9. Deerat *divinum* in aliquot MSS; in aliis, *domi.* J. V. L.

10. Græv. *istis* maluit. J. V. L.

11. *C. Lælio.* Qui sapiens dictus est, Africano amicissimus.

12. *L. Philippo.* Quum ille non laudetur ob doctrinam et sapientiam, Manutius vere satis emendandum censuit *L. Philo*, quod Beck. et Schütz. reposuere. Intelligitur L. Furius Philus. Cf. Agrar. II, 24, de Orat. II, 37.

13. *C. Gallo.* C. Sulpicio Gallo, clarissimo viro, qui de Liguribus triumphavit, et astrorum peritissimus habitus est.

modiorem[14], comiorem[15], moderatiorem fuisse, ad omnem rationem humanitatis? de cujus præstanti virtute quum vere graviterque diceres, domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum. Est illud quidem exemplum tibi propositum domi; sed tamen naturæ similitudo illius ad te magis, qui ab illo ortus es, quam ad unumquemque nostrum pervenire potuit; ad imitandum vero tam mihi propositum exemplar illud est, quam tibi. Sed, si illius comitatem et facilitatem tuæ gravitati severitatique adsperseris; non ista quidem erunt meliora, quæ nunc sunt optima, sed certe condita[16] jucundius.

XXXII. Quare, ut ad id, quod institui, revertar, tolle mihi e causa nomen Catonis; remove ac prætermitte auctoritatem, quæ in judiciis aut nihil valere, aut ad salutem debet valere; congredere mecum criminibus ipsis. Quid accusas, Cato? quid affers in judicium? quid arguis? Ambitum accusas[1]? non defendo. Me reprehendis, quod idem defendam, quod lege punierim[2]. Punivi ambitum, non innocentiam: ambitum vero ipsum vel tecum accusabo, si voles. Dixisti, senatusconsultum, me referente, esse factum, si mercede corrupti[3] obviam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributim[4], et item prandia si vulgo essent data, contra

14. *Commodiorem.* Plurimas tamen exercuisse inimicitias et vehementissime multos accusasse sciunt omnes.

15. Rectius forte, *communiorem*, quod alii receperunt e MSS. J. V. L.

16. *Condita.* Translatum translato reddidit; dixerat ante *adsperseris.*

XXXII. 1. *Ambitum accusas.* Secunda responsionis pars est de senatusconsulto.

2. *Punierim.* Rescripsit Lambinus ex vett. codd. *pœnierim.* Verum majora sunt Ciceroni redonanda, quam vetus scribendi ratio.

3. *Corrupti.* Alii ex Ox. codd. legunt *conducti*, quod defendit Garatonius.

4. *Tributim.* Si in spectaculis gladiatoriis plebi per singulas tribus data sunt gratuita spectandi loca. Licuisse autem loca nonnulla quibusdam dare, et quidem suæ tribus hominibus,

legem Calpurniam factum videri. Ergo[5] ita senatus judicat, contra legem facta hæc videri, si facta sint; decernit, quod nihil opus est, dum candidatis morem gerit. Nam factum sit[6], necne, vehementer quæritur: si factum sit, quin contra legem sit, dubitare nemo potest. Est igitur ridiculum[7], quod est dubium, id relinquere incertum; quod nemini dubium potest esse, id judicare. Atque id decernitur omnibus postulantibus candidatis: ut ex senatusconsulto, neque cujus intersit, neque contra quem sit, intelligi possit. Quare doce, a L. Murena illa esse commissa: tum egomet tibi, contra legem commissa esse, concedam.

XXXIII. Multi obviam[1] prodierunt de provincia decedenti, consulatum petenti. Solet fieri. Eccui autem non proditur revertenti? Quæ fuit ista multitudo[2]? Primum, si tibi istam rationem non possim reddere, quid habet admirationis, tali viro advenienti, candidato consulari, obviam prodisse multos? quod nisi esset factum, magis mirandum videretur. Quid, si etiam illud addam, quod a consuetudine non abhorret, rogatos[3] esse multos? num aut cri-

patet ex iis quæ mox disputabit orator, sed non licebat loca dare gratuito tribubus. Dabatur pro loco spectandi merces quædam; inde *locarii* qui loca spectatoribus locabant; inde loca gratuita apud Sueton. Calig. 26, quia erant alia, pro quibus pecunia pendebatur.

5. *Ergo.* Senatus declarat his rebus legem de ambitu violari, quum reipsa fiunt, et id declarat, quod per se ipsum satis patet, ut candidatis morem gerat, ac præcipue Servio, qui id postulavit.

6. *Factum sit.* Momenti autem maximi quærere est, utrum illa corruptela tentatus sit populus; si semel probatur, contra legem factum esse apud omnes constat.

7. *Est ridiculum.* Ridicule agit Cato, qui de jure disserit, factum autem in medio relinquit.

XXXIII. 1. *Multi obviam.* At enim, dicunt accusatores, quum de provincia decedens, Romam ad petendum consulatum rediit, plurimi ei obviam prodierunt. Respondet Cicero: solemni more fit illud; nonne omni revertenti magistratui plurimi obviam prodeunt.

2. *Ista multitudo.* Verba hæc accusatorum nomine pronuntiantur.

3. *Rogatos.* Ut in campum Martium

minosum sit, aut mirandum, qua in civitate rogati, infimorum hominum filios, prope de nocte[4], ex ultima sæpe urbe deductum[5] venire soleamus, in ea non esse gravatos homines, prodire hora tertia in campum Martium, præsertim talis viri nomine rogatos? Quid, si omnes societates[6] venerunt, quarum ex numero multi hic sedent judices? quid, si multi homines nostri ordinis honestissimi? quid, si illa officiosissima, quæ neminem patitur non honeste in urbem introire, tota natio candidatorum[7]? si denique ipse accusator noster Postumius obviam cum bene magna caterva sua venit; quid habet ista multitudo admirationis? Omitto clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat: hoc dico, frequentiam in isto officio gratuitam, non modo dignitati[8] ullius umquam, sed ne voluntati quidem defuisse.

XXXIV. At sectabantur multi[1]. Doce, mercede; concedam esse crimen: hoc quidem remoto, quid reprehendis? Quid opus est, inquit, sectatoribus? A me tu id quæris, quid opus sit eo, quo semper usi sumus? Homines tenues unum habent in nostrum

advenienti ex provincia Murenæ obviam prodirent.

4. *De nocte.* Nondum exorto sole. Proprie illud noctis tempus dicitur, quod est inter mediam noctem et gallicinium.—*Ex ultima urbe.* Ab extrema Urbis parte.

5. *Deductum venire soleamus.* Scil. quum illis advocati ad jus venimus, aut aliquem honorem petentibus præsto sumus.

6. *Societates.* Nempe publicanorum societates, quæ ex equitibus romanis constabant, ita ut nonnulli eorum, Aurelia lege, quæ judicia inter senatorium et equestrem ordinem communicabat, judices sederent.

7. *Tota natio candidatorum.* Omnium magistratuum candidati, ut prætorii, ædilitii, quæstorii, alii. Vid. pro Sext. 25; de Prov. cons. 12.

8. *Dignitati.* Officium illud non modo propter dignitatem ejus præstatur, cui obviam itur; sed voluntati etiam interdum, non dignitati tribuitur.

XXXIV. 1. *At sectabantur multi.* Nova adversariorum objectio, qua Murenæ crimini vertunt, quod non modo ei multitudo obviam ivit, verum etiam quocumque deduxit.

ordinem aut promerendi, aut referendi[2] beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam atque assectationem. Neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equitibus romanis, ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies; a quibus si domus nostra celebratur[3], si interdum ad forum deducimur, si uno basilicæ spatio[4] honestamur, diligenter observari videmur et coli: tenuiorum et non occupatorum amicorum est ista assiduitas; quorum copia bonis et beneficis deesse non solet.

Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii, Cato: sine eos, qui omnia a nobis sperant, habere ipsos quoque aliquid, quod nobis tribuere possint. Si nihil erit, præter ipsorum suffragium, tenue est[5]: si, ut suffragentur[6], nihil valent gratia. Ipsi denique, ut solent loqui, non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum[7] suam possunt; atque hæc a nobis petunt omnia; neque ulla re alia, quæ a nobis consequuntur, nisi opera

2. Olim, *proferendi*. Gruter. tamen lectionem hanc defendit, improbante Grævio. J. V. L.

3. *Celebratur*. Frequentatur.

4. *Uno basilicæ spatio*. Si superioris ordinis homines nobis hunc honorem habeant, ut nos unum spatium per basilicam aliquam conficientes, comitentur, omnes credunt nos ab illis maximi fieri. Romæ autem plures fuere basilicæ; ab antiquis temporibus tres, Porcia, Sempronia, Opimia, de quibus et aliis posthac conditis vide Alex. Donat. in Roma vetere et recenti, lib. II, 27.

5. *Tenue est*. Quod in eligendis summis magistratibus, nulla infimorum suffragiorum ratio habebatur, et puncta omnia ferebant prærogativa ac honestiores centuriæ. Quum igitur duæ tantum classes, ut plurimum, in suffragando, hoc est, in suffragiis valerent, quod fere ab iis absolverentur comitia centuriata, de quibus est hic sermo, antequam reliquæ classes intro vocarentur; nihil gratiæ restabat ceteris classibus, in quibus erant tenuiores.

6. *Ut suffragentur*. Tenuiores amici nobilium beneficia compensare debent, vel suffragatione, vel assectatione; sed in solo suffragio parum adjumenti est, et ut suffragari possint, nulla est illorum gratia, neque alios regere possunt. Vulgo olim « ut suffragantur ». Quod servat Schütz. addito « alii ».

7. *Vocare domum suam*. Invitare ad cœnam. Inde apud Suetonium *vocatores*, servi qui invitant.

sua, compensari putant posse. Itaque et legi Fabiæ, quæ est de numero sectatorum, et senatusconsulto, quod est L. Cæsare[8] consule factum, restiterunt[9]: nulla est enim pœna, quæ possit observantiam tenuiorum ab hoc vetere instituto officiorum excludere.

At spectacula sunt tributim data[10], et ad prandium vulgo vocati. Etsi hoc factum a Murena omnino, judices, non est; ab ejus amicis autem more[11] et modo factum est: tamen admonitus re ipsa, recordor, quantum hæ quæstiones, in senatu habitæ, punctorum[12] nobis, Servi, detraxerint. Quod enim tempus fuit aut nostra, aut patrum nostrorum memoria, quo hæc, sive ambitio est, sive liberalitas, non fuerit, ut locus et in circo, et in foro daretur amicis et tribulibus? hæc homines tenuiores primum, nondum qui a suis tribulibus vetere instituto assequebantur[13]...

Deest nonnihil.

XXXV. Præfectum fabrum[1] semel locum tribulibus suis dedisse: quid statuent[2] in viros primarios, qui in circo totas tabernas[3], tribulium causa, compararunt? Hæc omnia sectatorum, spectaculorum, pran-

8. *L. Cæsare consule.* Cæsar et C. Figulus proximo ante Ciceronem anno consules fuerunt. Quum autem in dies ambitus licentia cresceret, et aperte hac via ad honores grassari vellet Catilina, paucis diebus ante comitia, censuit senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur, et sectatorum numerus definiretur. Cui senatusconsulto Q. Mutius Orestinus tribunus pl. in gratiam Catilinæ intercessit.

9. *Restiterunt.* Parere noluerunt, et per tribunum plebis intercesserunt.

10. *Tributim data.* At enim loca, quibus spectarentur ludi, Murena suæ tribus hominibus distribuit.

11. *More.* Non repugnante consuetudine. — *Modo.* Certa quadam ratione; non immoderate.

12. *Punctorum.* Suffragiorum.

13. Verba *hæc... assequebantur* corrupta sunt, nec sine libris novis corrigi possunt. In MS Guelferbytano spatium unius versus inane relictum est inter *tenuiores* et *qui.* Idem pro *a* habet, ut edd. principes, *ea.* Fuit, *qui ea a suis*, etc. Ernest. J. V. L.—Corruptus adeo et mutilus locus, ut nullus inde sensus erui possit.

XXXV. 1. *Præfectum fabrum.* Aliquid sub hoc initio desideratur.

2. Al. *ita tuetur.* J. V. L.

3. *Totas tabernas.* Ut ex iis ludos spectare possint.

diorum item crimina, a multitudine [4] in tuam nimiam diligentiam, Servi, conjecta sunt: in quibus tamen Murena ab senatus auctoritate [5] defenditur. Quid enim [6]? senatus num obviam prodire crimen putat? non; sed mercede. Convince. Num sectari multos? non; sed conductos. Doce. Num locum ad spectandum dare? aut ad prandium invitare? minime; sed vulgo, passim [7]. Quid est vulgo? Universos. Non igitur, si L. Natta [8], summo loco adolescens, qui, et quo animo jam sit, et qualis vir futurus sit, videmus, in equitum centuriis voluit esse et ad hoc officium necessitudinis [9], et ad reliquum tempus, gratiosus, id erit ejus vitrico fraudi [10], aut crimini; nec, si virgo vestalis [11], hujus propinqua et necessaria, locum suum gladiatoribus [12] concessit huic, non et illa pie fecit, et hic a culpa est remotus: omnia hæc sunt officia necessariorum [13], commoda tenuiorum, munia candidatorum.

4. *A multitudine.* Ab iis qui suffragia centuriatis comitiis tulerunt. — *Diligentiam.* Immodicum studium, quum levissima objicit accusator.

5. *Ab senatus auctoritate.* Qui non decrevit crimen esse, quum obviam proditur, aut quum multi sectantur, sed quum mercede pacta proditur.

6. *Quid enim.* Distinguit concessam liberalitatem ab ambitu, et senatusconsultum interpretatur.

7. *Sed vulgo, passim.* Promiscue ac confuse; vel aliis verbis, universo populo.

8. *L. Natta.* De gente Pinaria, qui postea pontifex fuit, et quo præeunte ac postem tenente, P. Clodius tribunus pl. exsulis Ciceronis domum consecravit. De quo sic in oratione pro Domo, « Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis quos memoriæ proditum est ab ipso Hercule, perfuncto jam laboribus, sacra didicisse, in viri fortis ærumnis non ita crudelem fuisse, ut in vivi et spirantis caput bustum suis manibus imponeret ».

9. *Officium necessitudinis.* Ad equites pro Murena vitrico rogandos; quod necessitudinis et propinquitatis est officium.

10. *Fraudi.* Damno, aut crimini, quod est gravius.

11. *Virgo vestalis.* Quum aliis privilegiis, tum hoc virgines vestales fruebantur, ut, quum gladiatorii ludi ederentur, locum peculiarem haberent.

12. *Gladiatoribus.* Ludis gladiatoriis spectandis. Olim « gladiatorium ». Recte correxit e codd. Lambinus.

13. *Officia necessariorum.* His in rebus necessarii de necessariis bene merentur, populo voluptas quædam

At enim agit mecum austere et stoice[14] Cato. Negat verum esse, allici benivolentiam cibo; negat, judicium hominum in magistratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. Ergo ad cœnam, petitionis causa, si quis vocat, condemnetur. Quippe, inquit, tu mihi[15] summum imperium, summam auctoritatem, tu gubernacula reipublicæ petas fovendis hominum sensibus, et deliniendis animis, et adhibendis voluptatibus? Utrum lenocinium[16], inquit, a grege delicatæ juventutis, an orbis terrarum imperium a populo romano petebas? Horribilis[17] oratio: sed eam usus, vita, mores, civitas ipsa respuit. Neque tamen Lacedæmonii, auctores istius vitæ[18] atque orationis, qui quotidianis epulis in robore[19] accumbunt; neque vero Cretes, quorum nemo gustavit umquam cubans, melius, quam romani homines, qui tempora voluptatis[20] laborisque dispertiunt, respublicas suas retinuerunt: quorum alteri[21], uno adventu nostri

datur, a candidatis muneris genus impletur.

14. *Austere et stoice.* Aspera et stoica severitate agere secum Catonem ait Cicero, et est sane vehemens et grave objectum, quod orator elusit magis quam refutavit.

15. *Mihi.* Hoc loco ornatus et affectus causa ponitur.

16. *Utrum lenocinium.* Utrum putabas hoc agi, ut te juventus delicata et corrupta quemdam libidinum curatorem constitueret, an ut orbis regendi potestatem tibi populus rom. permitteret.

17. *Horribilis oratio.* Atroces et nimium severæ voces.

18. *Istius vitæ.* Duræ et asperæ. Sciunt omnes Lacedæmonios συσσίτια seu publicas epulas instituisse, in quibus nihil substernebatur epulantibus, sed reclinati in saxo aut ligno accumbebant. Similiter apud Cretenses, a quibus ad Lacedæmonios plerasque demigravisse leges tradit Plutarchus.

19. *In robore.* In ligno, dum nos in lectis accumbimus.

20. *Tempora voluptatis.* Videtur Cicero hoc loco Periclem imitatus, qui, dum Athenienses interfectos funebri ornat concione, iisdem fere argumentis utitur, ut severa Lacedæmoniorum vita superiorem Atheniensium mollitiem ostendat. Sed uterque tempori servit; et miserum est Ciceronem ad defendendam causam, iis abuti rationibus, quæ nec consulem, nec sapientem decent.

21. *Alteri.* Cretes, quos Q. Metellus, qui cum Q. Hortensio consul fuit, ingentibus præliis intra triennium debellavit, et ex ea insula triumphum

exercitus, deleti sunt; alteri, nostri imperii præsidio, disciplinam suam legesque conservant[22].

XXXVI. Quare noli, Cato, majorum instituta, quæ res ipsa[1], quæ diuturnitas imperii comprobat, nimium severa oratione reprehendere. Fuit eodem ex studio[2] vir eruditus, apud patres nostros, et honestus homo et nobilis, Q. Tubero[3]: is, quum epulum Q. Maximus[4], Africani patrui sui nomine, populo romano daret, rogatus est a Maximo, ut triclinium sterneret[5], quum esset Tubero ejusdem Africani sororis filius. Atque ille, homo eruditissimus, ac stoicus, stravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos[6], et exposuit vasa Samia[7]: quasi vero esset Diogenes cynicus mortuus, et non divini hominis Africani mors honestaretur; quem quum supremo ejus die Maximus laudaret, gratias egit diis immortalibus, quod ille vir[8] in hac republica potissimum natus esset: necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset. Hujus in morte celebranda graviter tulit populus romanus hanc perversam sapientiam Tube-

ac nomen exportavit. Oratorie minuit rem Cicero.

22. *Conservant.* Cum cetera Græcia subacti, nec nisi nomine Lacedæmonii.

XXXVI. 1. *Res ipsa.* Olim, *res alia publica.* J. V. L.

2. *Eodem ex studio.* Stoica disciplina.

3. *Q. Tubero.* Æliæ gentis, Paulli Æmilii ex matre nepos. Paullus enim ex altera uxore duas filias suscepit; quarum alteram in matrimonio Q. Ælius Tubero hujusce pater habuit.

4. *Q. Maximus.* Q. Fabius Maximus, Paulli Æmilii ex Papiria filius, qui cum Q. Fabio Maximo adoptandum dedit, cujus postea nomen habuit.

5. *Triclinium sterneret.* Ut epulum populo daret in Capitolio, ante cellam Jovis.

6. *Punicanos.* Illi humiles erant, primum a Carthagine advecti et inde nominati. Isidor. XX, 11. Addit Seneca ligneos fuisse, ubi hanc ipsam Tuberonis frugalitatem commendat epistola 96.

7. *Vasa Samia.* Fictilia; quum invalescente luxu Deliaca aut Corinthia, ad gratiam populi colligendam, essent proponenda.

8. *Quod ille vir.* Eamdem sententiam ad Metellum retulit Plutarch. de Amor. Frat. « Ὥσπερ οὖν Μέτελλος ᾤετο δεῖν Ῥωμαίους τοῖς Θεοῖς χάριν ἔχειν, ὅτι Σκιπίων ἐν ἑτέρᾳ πόλει, τοιοῦτος ὢν, οὐκ ἐγεννήθη ».

ronis. Itaque homo integerrimus, civis optimus, quum esset L. Paulli nepos, P. Africani, ut dixi, sororis filius, his hædinis pelliculis prætura dejectus est. Odit populus romanus [9] privatam luxuriam; publicam magnificentiam diligit : non amat profusas epulas; sordes et inhumanitatem multo minus : distinguit rationem officiorum ac temporum; vicissitudinem laboris, ac voluptatis.

Nam, quod ais [10], nulla re allici hominum mentes oportere ad magistratum mandandum, nisi dignitate : hoc tu ipse, in quo summa est dignitas, non servas. Cur enim quemquam, ut studeat tibi, ut te adjuvet, rogas? Rogas tu me, ut mihi præsis [11], ut committam ego me tibi? Quid tandem? istuc me rogari oportet abs te, an te potius [12] a me, ut pro mea salute laborem periculumque suscipias? Quid? quod habes nomenclatorem [13], in eo quidem fallis et decipis : nam, si nomine appellari abs te cives tuos, honestum est; turpe est eos notiores esse servo tuo, quam tibi : sin etiam noris [14], tamen per monitorem appellandi sunt,

9. *Odit populus rom.* Confirmat hoc etiam Sallustius, ubi de antiquis Romanorum moribus disserit in procemio Catilinariæ conjurationis « In suppliciis deorum magnifici, domi parci ». Conf. etiam de publica Romanorum magnificentia ac luxuria J. B. Pium Adnotat. poster. I, 8; Bronkhus. ad Tibull. II, 6, 11.

10. *Quod ais.* Objecta Catonis ipsius Catonis exemplo festive et callide refellit, docetque si in obsequendo multitudini crimen sit, eo ipsum teneri accusatorem.

11. *Ut mihi præsis.* Ut te imperii rectorem eligam, ut me tuæ vigilantiæ committam.

12. *An te potius.* Quod contendit Plato, rogandos magistratus aut etiam cogendos ut aliis præsint.

13. *Nomenclatorem.* Servus erat, qui, quum civium omnium nomina calleret, ea domino suo candidato, ut is suo quemque nomine appellaret, insusurrabat. Negat tamen Plutarchus quemquam talem Catoni fuisse.

14. *Sin etiam noris.* Si cives tuos nomine noveris, et tamen monitore tuo uteris, cur ad homines accedis, et studium, favorem, gratiam petis, antequam servus monitor eorum tibi nomina insusurraverit? Sic Olivetus verum extulisse sensum nobis videtur. Aliter gallicus interpres : Si eorum nomina nosti, et tantum ut morem sequaris, monitorem habes, cur tamen ab

cur ante petis, quam insusurravit? aut quid, quum admoneris, tamen, quasi tute noris, ita salutas? quid, posteaquam es designatus, multo salutas negligentius? Hæc omnia ad rationem[15] civitatis si dirigas, recta sunt; sin perpendere ad disciplinæ præcepta velis, reperiantur pravissima. Quare nec plebi romanæ eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum, quæ omnia majores nostri comparaverunt; nec candidatis ista benignitas adimenda est, quæ liberalitatem magis significat, quam largitionem.

XXXVII. At enim te ad accusandum respublica adduxit[1]. Credo, Cato, te isto animo, atque ea opinione venisse : sed tu imprudentia laberis[2]. Ego quod facio, judices, quum amicitiæ dignitatisque L. Murenæ gratia facio, tum me pacis, otii, concordiæ, libertatis, salutis, vitæ denique omnium nostrum causa facere clamo atque testor. Audite, audite consulem, judices, nihil dicam arrogantius, tantum dicam, totos dies atque noctes de republica cogitantem. Non usque eo L. Catilina[3] rempublicam despexit at-

eo petis, quod jam memoria nomen tenes? Quæ minus felix interpretatio habetur. In dilemmate enim tota Ciceronis argumentatio versatur : aut honestum est, aut turpe nomenclatore uti; si honestum est, cur non eum ad ea nomina, quæ calles, adhibere soles? si turpe, cur ergo dissimulas, et ea, quæ tibi insusurravit nomina, quasi ipse memoria teneres, pronuncias? Lambin. emendat « sin etiam si noris, tamen per monitorem, etc. », Ernest. Beck. Schütz. probant. Sed nihil ad sensum facit.

15. *Ad rationem*. Ad solemnem civitatis morem. — *Disciplinæ*. Stoicæ.

XXXVII. 1. *Respublica adduxit*. Suum ordinem, quem supra enuntiaverat, prosequitur Cicero, et ita fortunam reip. et manifestum civitatis discrimen privatis Murenæ periculis implicat, ut nihil ad judicum animos commovendos gravius neque vehementius dici potuisse videatur.

2. *Imprudentia laberis*. Studio abreptus incogitantiori peccas.

3. *L. Catilina*. Hæc subjungit Cicero, ut ostendat, quamquam egressus sit Catilina, reipublicæ tamen a sociis ejus, qui in Urbe remanserint, vehementer metuendum; itaque non esse privandam optimi consulis custodia.

que contempsit, ut ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitraretur: latius patet illius sceleris contagio, quam quisquam putat; ad plures pertinet. Intus, intus, inquam, est equus Trojanus[4]: a quo numquam, me consule, dormientes opprimemini. Quæris a me, quid ego Catilinam metuam[5]. Nihil; et curavi, ne quis metueret: sed copias illius, quas hic video, dico esse metuendas; nec tam timendus est nunc exercitus L. Catilinæ, quam isti, qui illum exercitum deseruisse[6] dicuntur. Non enim deseruerunt; sed ab illo in speculis atque insidiis relicti, in capite atque in cervicibus nostris restiterunt. Hi et integrum consulem[7], et bonum[8] imperatorem, et natura, et fortuna, cum reipublicæ salute conjunctum, dejici de urbis præsidio, et de custodia civitatis, vestris sententiis, deturbari volunt. Quorum ego ferrum et audaciam rejeci in campo[9], debilitavi in foro[10], compressi etiam domi meæ[11] sæpe, judices; his vos si alterum consulem tradideritis, plus multo erunt vestris sententiis, quam suis gladiis consequuti[12].

4. *Equus Trojanus.* In quo latent, qui cædem civibus, Urbi flammam inferant.

5. *Catilinam metuam.* Cur ideo vis Murenam absolvi, inquit Cato, quia bonus imperator? An Catilinam cum paucis egressum times?

6. *Deseruisse.* Profectus erat Catilina, sed sceleris sui conscios plurimos, ad agendum paratos, Romæ reliquerat.

7. *Integrum consulem.* Id est, probum, reipublicæ studiosum, quem indoles optima et divitiæ amplissimæ a malis segregaret civibus.

8. *Bonum imperatorem.* Jam meritis clarum.

9. *Rejici in campo.* Quum Catilina conjuratos gladiis armatos in campum Martium deduxisset, Cicero in campum et ipse descendit cum firmissimo præsidio fortissimorum virorum et Catilinæ retudit audaciam.

10. *Debilitavi in foro.* Ab iisdem petitus conjuratis.

11. *Compressi etiam domi meæ.* Quum venere duo conjurati, qui illum in lectulo suo interficerent.

12. *Quam suis gladiis consequuti.* Nempe omni ope atque opera enitentur, ut consulem alterum viribus imparem opprimant et republica, jam una parte claudicante potiantur.

Magni interest, judices, id quod ego multis repugnantibus[13] egi atque perfeci, esse kalendis jan. in republica duo consules. Nolite arbitrari, mediocribus consiliis, aut usitatis viis, aut[14], *non lex improba, non perniciosa largitio, non auditum aliquando aliquod malum[15] reipublicæ quæritur. Inita sunt in hac civitate consilia, judices, urbis delendæ, civium trucidandorum, nominis romani exstinguendi. Atque hæc cives, cives, inquam (si eos hoc nomine appellari fas est), de patria sua et cogitant, et cogitaverunt. Horum ego quotidie consiliis occurro, audaciam debilito, sceleri resisto. Sed vos moneo, judices: in exitu est jam meus consulatus: nolite mihi subtrahere vicarium[16] meæ diligentiæ; nolite adimere eum, cui rempublicam cupio tradere incolumem, ab his tantis periculis defendendam.

XXXVIII. Atque ad hæc mala, judices, quid accedat aliud[1], non videtis? Te, te appello, Cato: nonne prospicis tempestatem anni tui[2]? jam enim hesterna concione intonuit vox perniciosa designati[3] tribuni,

13. *Multis repugnantibus.* Habitis comitiis, quæ multi protrahebant, sperantes, si initio sequentis anni præsidio ac custodia consulum careret respublica, se eam facilius oppressuros.

14. Sic optimi codd. Habent editiones multæ, « aut lege improba, aut perniciosa largitione, auditum... quæri ». Sed mendum certe subest. Forte, « nolite arbitrari, med. cons. aut us. viis uti: non lex », etc. J. V. L.

15. *Non auditum... malum.* Cicero ostendere vult inaudita illa esse, et numquam ante usurpata scelera, et novos atque inusitatos nefariæ audaciæ conatus.

16. *Vicarium.* Id est, qui succedat mihi in republica gerenda cum diligentia et fide. Horatius, lib. III, « Defunctumque laboribus, Æquali recreat sorte vicarius ».

XXXVIII. 1. *Aliud.* Subaud. malum. — *Te, te appello.* Apostrophe. Quanta bonitas causæ hujus putanda, ad quam adversarii sententiam et judicium non dubitet advocare.

2. *Anni tui.* Id est, tribunatus tui.

3. *Tribuni designati.* Hanc vocem delendam putarunt Lambin. et Ernest. Posterior uncis eam inclusit, ut spuriam. Quippe existimabat necesse tribunos novos magistratum iniisse, ut orationem haberent. Sed satis erat ut eum magistratus in concionem adduxisset: quod multis auctorum patet exemplis.

collegæ tui [4]: contra quem multum tua mens, multum omnes boni providerunt, qui te ad tribunatus petitionem vocaverunt. Omnia, quæ per hoc triennium agitata sunt, jam ab eo tempore, quo a L. Catilina et Cn. Pisone initum consilium senatus [5] interficiendi scitis esse; in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt. Qui locus est, judices, quod tempus, qui dies, quæ nox, quum ego non ex istorum insidiis ac mucronibus[6], non solum meo, sed multo etiam magis divino consilio [7] eripiar atque evolem? Neque isti me meo nomine interfici, sed vigilantem consulem de reipublicæ præsidio demovere [8] volunt; nec minus vellent, Cato, te quoque aliqua ratione, si possent,

4. *Collegæ tui.* Id est, Metelli Nepotis, designati tribuni. Qui quum se hoc anno tribunatum plebis petiturum esse profiteretur, M. Cato, male de illo sentiens, tribunatum et ipse, ut ejus perdita consilia frangeret, petere voluit; quod quum Plutarchus, tum Cicero ipse docet sequentibus verbis: « Contra quem multum tua mens », etc. Improbi animi signum illud hic Metellus, magistratum ingressus, primum dedit, quum pridie kal. jan. abeuntem magistratu Ciceronem concionis habendæ copia privavit, dicendi potestatem ei fieri negans oportere, qui in alios animadvertisset indicta causa. Epist. V, 2.

5. *Senatus interficiendi.* M. Lepido et Volcatio Tullo coss. Catilina cum Pisone primum iniit conjurationem. Cicero oratione prima in Catilinam: « Potestne tibi hujus vitæ lux Catilina, aut hujus cæli spiritus esse jucundus, quum scias horum esse neminem, qui nesciat te pridie kal. jan. Lepido et Tullo coss. stetisse in comitio cum telo? Manum, consulum et principum civitatis interficiendorum causa, paravisse ».

6. *Ex istorum insidiis ac mucronibus.* Hinc illa exclamatio, orat. IV in Catilin. « Ego sum ille consul, patres conscripti, cui non forum, in quo omnis æquitas continetur; non campus, consularibus auspiciis consecratus; non curia, summum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium; non lectus, ad quietem datus; non denique hæc sedes honoris, sella curulis, umquam vacua mortis periculo, atque insidiis fuit ».

7. *Divino consilio.* Ut et in oratione pro Sulla: « O Dii immortales, vobis enim tribuam quæ vestra sunt, nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentissima tempestate reipublicæ mea sponte dispexerim ».

8. *Demovere.* Naug. Herv. Man. etc. *dimovere.* Lamb. *dimoveri*: ejus repetitores *demovere* ad omnes postea transmisisse ait Garaton. quod tamen a binis Venetis antiquis confirmatur.

tollere : id quod, mihi crede, et agunt, et moliuntur. Vident, quantum in te sit animi, quantum ingenii, quantum auctoritatis, quantum reipublicæ præsidii: sed quum consulari auctoritate et auxilio spoliatam vim tribunitiam viderint, tum se facilius inermem et debilitatum te oppressuros arbitrantur. Nam ne sufficiatur consul, non timent: vident, in tuorum potestate collegarum[9] fore. Sperant sibi Silanum[10], clarum virum, sine collega, te sine consule, rempublicam sine præsidio objici posse.

His tantis in rebus, tantisque in periculis, est tuum, M. Cato, qui non mihi, non tibi, sed patriæ natus es, videre quid agatur, retinere adjutorem, defensorem, socium in republica, consulem non[11] cupidum, consulem (quod maxime tempus hoc postulat) fortuna constitutum[12] ad amplexandum otium; scientia, ad bellum gerendum; animo et usu, ad quod velis negotium.

Quamquam hujusce rei potestas omnis in vobis sita est[13], judices : totam rempublicam vos in hac causa tenetis, vos gubernatis.

9. *Vident, in tuorum potestate collegarum.* Significat se non optime sperare de tribunis plebis, uno Catone excepto; nam, si Murena damnetur, non timent ne consul sufficiatur, id fore videntes in tribunorum plebis potestate; nimirum voluntatem eorum habent cognitam; qui si alter consul Silanus comitia consularia habere voluerit, obsistent, vel intercessione, vel auspiciis, vel quacumque ratione. Pertinet ad hanc sententiam, quod paullo ante dictum : « Jam enim hesterna concione intonuit vox perniciosa, etc. et quod infra de Catilina subjicitur, cap. 39 : « Petunt illius rationes, ut orbetur auxilio respublica, etc. »

10. *Silanum.* Quem Cato, sororis suæ virum, accusare de ambitu noluit, quum tamen ante comitia in concione jurasset, sese omnium, qui largitionem fecissent, accusatorem fore.

11. *Non cupidum.* Subaud. rerum novarum.

12. *Fortuna constitutum.* Satis divitem, ut nihil amplius optet; satis honoratum, ut jam quiescat.

13. *Quamquam... in vobis sita est.* A Catone ad judices oratio convertitur, ut etiam contra auctoritatem illius, quam quidem placatam habere et pro-

XXXIX. Si L. Catilina[1] cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset judicare, condemnaret L. Murenam; si interficere posset, occideret. Petunt enim rationes[2] illius, ut orbetur auxilio respublica; ut minuatur contra suum furorem[3] imperatorum copia; ut major facultas tribunis plebis detur, depulso adversario[4], seditionis ac discordiæ concitandæ. Idemne igitur[5] delecti amplissimis ex ordinibus[6] honestissimi atque sapientissimi viri judicabunt, quod ille importunissimus gladiator[7], hostis reipublicæ, judicaret? Mihi credite, judices, in hac causa non solum de L. Murenæ[8], verum etiam de vestra salute sententiam feretis. In discrimen extremum[9] venimus: nihil est jam, unde nos[10] reficiamus, aut ubi lapsi resistamus: non solum minuenda non sunt auxilia, quæ habemus, sed etiam nova, si fieri possit, comparanda. Hostis est enim non apud Anienem[11], quod bello Punico gravissimum visum est, sed in urbe, in foro (dii immortales! sine gemitu hoc dici non potest); non nemo etiam in illo sacrario reipublicæ[12], in ipsa, inquam, curia non nemo hostis

pitiam vellet, Murenam tamen absolvendum intelligeretur.

XXXIX. 1. *Si L. Catilina.* De his fictionibus vide Quintil. Inst. Orat. lib. V, 10, p. 427, edit. Burm. ubi hunc locum quoque adfert.

2. *Petunt enim rationes illius.* Id est, illum iniqua lite morantur.

3. *Suum furorem.* Suum ipsorum.

4. *Depulso adversario.* Scilicet, Murena.

5. *Idemne igitur.* Ab indignitate argumentum ductum. Et nunc deinceps gravissimi periculi metum judicibus incutit Cicero, ut eos non movere, sed plane cogere videatur. Quis enim solet, immo quis potest propriæ salutis curam abjicere?

6. *Amplissimis ex ordinibus.* Equitibus et senatoribus.

7. *Gladiator.* Catilina; sic contemptim hic appellatus.

8. *De L. Murenæ.* Subaud. salute.

9. *In discrimen extremum.* Id est, periculum quam maximum.

10. *Unde nos reficiamus.* Translatio ab ægris. Id est, unde vires recuperemus.

11. *Anienem.* Fluvium Sabinorum, ubi Hannibal castra locavit.

12. *Sacrario reipublicæ.* Sic curiam vocat, tum quia illam consecrato loco

est. Dii faxint, ut meus collega, vir fortissimus, hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus opprimat! ego togatus, vobis, bonisque [13] omnibus adjutoribus, hoc, quod conceptum respublica periculum parturit, consilio discutiam et comprimam!

Sed quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint [14]? Unus erit consul, et is non in administrando bello, sed in sufficiendo collega occupatus: hunc jam qui impedituri sint [15], *illa pestis immanis, importuna Catilinæ prorumpet, qua poterit; et jam populo romano minatur: in agros suburbanos repente advolabit; versabitur in castris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus [16], in agris vastitas; omni autem in sede ac loco ferrum flammamque metuemus. Quæ jamdiu comparantur, eadem ista omnia, si ornata [17] suis præsidiis erit respublica, facile et magistratuum consiliis, et privatorum [18] diligentia opprimentur.

XL. Quæ quum ita sint [1], judices, primum reipublicæ causa, qua nulla res cuiquam potior debet esse, vos, pro mea summa et vobis cognita in rempublicam diligentia, moneo, pro auctoritate consulari hortor, pro magnitudine periculi obtestor, ut otio, ut paci,

habere solebant, tum propter sanctitatem secretorum consiliorum.

13. *Bonisque.* Subaud. viris.

14. *Redundarint.* Translatio a fluctibus; ut in procemio lib. I de Oratore: « Et hoc tempus omne post consulatum objecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi, in nosmet ipsos redundarunt ».

15. Supplent alii *videtis;* alii, *parati sunt.* Est in MSS vacuum unius alteriusve lineæ spatium. J. V. L.

16. *In campo exercitus.* Socii Catilinæ, cum Mallianis militibus, comitiis aderunt, qui vi ac minis suffragia extorqueant. Conf. Cl. virum *Montesquieu* in lib. de variis Rom. vicibus.

17. *Ornata.* Id est, instructa.

18. *Privatorum.* In quibus ipse erit; nam in magnis periculis privatorum consiliis utebantur magistratus. — *Opprimentur.* Al. *comprimentur.*

XL. 1. *Quæ quum ita sint.* De republica locus concluditur; cui subjiciuntur alii affectus a persona et respectu Murenæ ducti.

ut saluti, ut vitæ vestræ et ceterorum civium consulatis; deinde ego fidem vestram, vel defensoris et amici officio adductus, oro atque obsecro, judices, ut ne hominis miseri, et quum corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Murenæ, recentem gratulationem nova lamentatione obruatis [2]. Modo maximo beneficio populi romani ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum [3], consulatum attulisset; nunc idem squalore sordidus [4], confectus morbo, lacrymis ac mœrore perditus, vester est supplex, judices, vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat, vestram potestatem ac vestras opes intuetur.

Nolite, per deos immortales! judices, hac eum re, qua se honestiorem fore putavit, etiam ceteris ante partis honestatibus, atque omni dignitate fortunaque privare. Atque ita [5] vos Murena, judices, orat atque obsecrat : si injuste neminem læsit; si nullius aures voluntatemve violavit; si nemini, ut levissime dicam, odio, nec domi, nec militiæ, fuit: sit apud vos modestiæ locus; sit demissis [6] hominibus perfugium; sit

2. *Recentem gratulationem nova lamentatione obruatis.* Ne vestri beneficii memoriam, quod ei omnes gratulantur, cujus ipse vobis grates habet, lacrymis et luctu obruatis, quæ sola damnatum et honore destitutum deceant.

3. *Mun. antiquissimum.* Lanuvium.

4. *Squalore sordidus.* Mos erat apud Romanos, ut quisquis in judicium prodiret accusatus, squalidus et sordidata toga judicum animos flectere ac commovere tentaret. Sed nescio an non mollis animi et sibi ac causæ nimium diffidentis videatur Murena, quem ut fortissimum virum laudaret orator. Certe multo præstare Milonem crediderim, qui ad abjectas voces descendere noluerit, et si non ceterorum judicum, Catonis saltem sententia absolutus fuerit. Operæ pretium esset utramque perorationem conferre.

5. *Atque ita.* Hæc in fiducia causæ dicuntur, et sunt in precibus usitata. Ut Dido : « Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum ». Nam et benefacta, et obsequium merentur gratiam, et innocentiæ ac virtuti præmia debentur, non pœna.

6. *Demissis.* Qui efferri superbia non solent, qualem se Murena præbuit in omni vita.

auxilium pudori. Misericordiam [7] spoliatio consulatus magnam habere debet, judices : una enim eripiuntur cum consulatu omnia. Invidiam vero his temporibus habere consulatus ipse nullam potest : objicitur enim concionibus seditiosorum, insidiis conjuratorum, telis Catilinæ; ad omne denique periculum, atque ad omnem invidiam solus opponitur [8]. Quare quid invidendum Murenæ, aut cuiquam nostrum sit in hoc præclaro consulatu [9], non video, judices : quæ vero miseranda sunt, ea et mihi ante oculos versantur, et vos videre et perspicere potestis.

XLI. Si (quod Jupiter omen avertat) hunc vestris sententiis afflixeritis, quo se miser vertet [1]? domumne? ut eam imaginem clarissimi viri, parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam [2] in sua gratulatione conspexit, eamdem deformatam ignominia lugentemque [3] videat? an ad matrem, quæ misera modo con-

7. *Misericordiam.* Argumentum et a magnitudine calamitatis et a tempore ducitur; quorum altero misericordiam commovere, altero invidiam repellere studuit. Et est antithesis quædam discriminis judicii. Nihil esse boni in absolutione, nisi mali vitationem, in damnatione vero extremam calamitatem.

8. *Solus opponitur.* Hanc locutionem Tullio familiarem illustrat Drak. ad Liv. II, 61.

9. *In hoc præclaro consulatu.* Quia summa est dignitas, quum tamen plena laboribus, curis, periculisque sit.

XLI. 1. *Quo se miser vertet?* Diaporesis. Ad commovendam misericordiam locus aptissimus, ut ille C. Gracchi apud Quintil. I. O. XI, 3 : « Quo me miser conferam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat; an domum? matremne ut miseram, lamentantemque videam, et abjectam? » Et in Verrem lib. V : « Quo confugient socii? quem implorabunt? qua spe denique ut vivere velint, tenebuntur, si vos eos deseritis? Ad senatum devenient, qui de Verre supplicium sumat? Non est usitatum, non est senatorium. Ad populum romanum confugient? Facilior est causa populi ». Sic pro Milone : « Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. Frater, etc. » et in variis locis.

2. *Laureatam.* Triumphantes lauro coronabantur. Triumphi L. Luculli expers non fuit ejus legatus L. Murena. Ei igitur in Luculli triumpho gratulabantur.

3. *Lugentemque.* Oratoria licentia, quam præstantissimus orator *Bossuet* feliciter in Condæana peroratione expressit. Virgil. Æn. III, 63: « Stant

sulem osculata filium suum, nunc cruciatur et sollicita est, ne eumdem paullo post spoliatum omni dignitate conspiciat? Sed quid ego matrem, aut domum appello, quem nova pœna legis[4] et domo, et parente, et omnium suorum consuetudine conspectuque privat? Ibit igitur in exsilium miser? quo? ad Orientisne partes, in quibus annos multos legatus[5] fuit, et exercitus duxit, et res maximas gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore[6] decesseris, eodem cum ignominia reverti. An se in contrariam partem[7] terrarum abdet, ut Gallia transalpina, quem nuper summo cum imperio libentissime viderit, eumdem lugentem, mœrentem, exsulem videat? In ea porro provincia, quo animo C. Murenam[8], fratrem suum, adspiciet? qui hujus dolor? qui illius mœror erit? quæ utriusque lamentatio? quanta autem perturbatio fortunæ[9] atque sermonis[10], quod, quibus in locis paucis ante diebus factum esse consulem Murenam nuntii literæque celebrassent[11], et unde hospites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eo accedat ipse nuntius suæ calamitatis?

Quæ si acerba[12], si misera, si luctuosa sunt, si

manibus aræ, Cæruleis mæstæ vittis, atraque cupresso ».

4. *Nova pœna legis*. Id est, decem annorum exsilium quod Ciceronis lege lata hoc ipso anno, adjectum est.

5. *Legatus*. L. Luculli, bello Mithridatico.

6. Sic Lambin. e cod. Memm. Olim, *decesserit*, quod tamen multis exemplis defendi potest. J. V. L.

7. *In contrariam partem*. Occidentem versus.

8. *C. Murenam*. Quem decedens Lucullus provinciæ præposuit, ut Cicero Ciliciæ C. Cælium Caldum.

9. *Fortunæ*. Paucis diebus a summa lætitia ad summam miseriam conversæ.

10. *Atque sermonis*. Inter homines provinciales.

11. *Celebrassent*. Pervulgassent, multis notum fecissent, nam *celebrare* frequentiam significat; itaque celebris locus opponitur deserto; et domus celebratur, ob conventum multorum. Phædrus ait : « Vicini furis *celebres* vidit nuptias Æsopus ».

12. *Quæ si acerba*. Hypothetica deprecatio, quæ in defensionibus epilogos claudere plerumque appositissime solet, ut et alibi reperitur apud

alienissima a mansuetudine et misericordia vestra, judices : conservate populi romani beneficium; reddite reipublicæ consulem; date hoc ipsius pudori [13], date patri mortuo, date generi et familiæ [14], date etiam Lanuvio, municipio honestissimo, quod in hac tota causa frequens mœstumque vidistis [15]. Nolite a sacris patriis [16] Junonis Sospitæ [17], cui omnes consules facere [18] necesse est, domesticum et suum consulem potissimum avellere [19]. Quem ego vobis, si quid habet aut momenti [20] commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, consul consulem, judices, ita commendo, ut cupidissimum otii [21], studiosissimum bonorum, acerrimum contra seditionem [22], fortissimum in

Ciceronem pro Cluentio : « Quare, judices, si scelus odistis, prohibete aditum matris a filii sanguine, etc. »

13. *Pudori.* Quem supra quoque in Murena laudavit : « sit auxilium pudori ».

14. *Date generi et familiæ.* Latius patet genus quam familia; plures enim ejusdem generis familiæ esse possunt, ut Pulchrorum, Neronum, Marcellorum familiæ, Claudii generis : Scipionum, Lentulorum, Dolabellarum, Sullarum, Merularum familiæ, Cornelii generis. *Date generi,* subaud. Licinio; *et familiæ*, sub. Murenarum.

15. *Vidistis.* Non quod abiissent municipes antequam sententiæ ferrentur; sed *vidistis*, dum causa ageretur; alloquitur enim judices in exitu judicii, quum sententias laturi de reo jam essent.

16. *Patriis.* Quæ Lanuvii fiebant. *Sacra patria* vocat Cicero, quia Murena erat Lanuvinus.

17. *Junonis Sospitæ.* Non Lanuvii solum, verum etiam Romæ delubrum Sospitæ Junonis fuit, auctore P. Victore. De Lanuvina autem Junone Livius lib. XL; Ovidius lib. Fastor. Silius, lib. XIII. Simulacrum fingi solitum cum pelle caprina, et hasta, et scuto, et calceis repandis, ostendit Cicero, lib. I, 29, de Nat. Deorum.

18. *Facere.* Sacra facere, quod composite sacrificare dixerunt, vetere loquendi more. — *Necesse est.* More a majoribus accepto.

19. *Avellere.* Ab invita dea. Gratius enim videbit domesticum et suum consulem sacra sua facientem, quam ceteros omnes consules, qui quotannis ei facere consueverunt.

20 *Momenti.* Id est, ponderis. — *Confirmatio mea.* Id est, testimonium meum.

21. *Cupidissimum otii.* Et natura, et fortuna. Natura quia bonus; fortuna quia statu optimo. Iis mutatio rerum odio est, qui tantis sunt commodis præditi, ut natura et fortuna cum reipublicæ salute conjuncti sint.

22. *Seditionem.* Tribunitiam. Vidimus enim eos qui tribuni plebis designati erant, Catilinæ consiliis favere.

bello [23], inimicissimum huic conjurationi, quæ nunc rempublicam labefactat [24], futurum esse promittam et spondeam.

23. *In bello.* Quod adversus Catilinam geretur; aliud enim bellum significari non potest, et quæcumque hic Cic. de Murena promittit, ad Catilinam ejusque conjurationem spectant.

24. *Labefactat.* Perturbat, ita ut ipsa respublica talem plane consulem requirere videatur, qualem ego vobis futurum esse Murenam promitto, ac spondeo.

OBSERVATIONES

APOLOGETICÆ

PRO JURECONSULTIS ROMANIS, AD LOCUM CICERONIS IN ORAT. PRO MURENA, CAP. 11-13.

CAPUT PRIMUM.

Contra Ciceronem JCtos romanos defensuro juveni antiquissima cura esse debet temeritatis deprecatio. Eam enim meritis suis famam consequutus est Tullius, ut «omnes (1) ex se ipso virtutes extulisse immortalis ingenii ubertate beatissima» vere existimetur. Equidem romanæ facundiæ parentem adeo admiror, diligo, et suspicio, ut, quum ejus scripta versem, non hominis, sed Suadæ ipsius effata me excipere arbitrer sæpissime. «Tanta (2) illius, dono quodam Providentiæ geniti, in quo totas vires suas eloquentia experiretur, tanta, inquam, illius est jucunditas, ut ipsa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas, tantaque in omnibus, quæ dicit, inest auctoritas, ut dissentire pudeat».

Neque sola est facundiæ gloria, quæ æternitati Ciceronis nomen consecraverit; nam, si dubiam hac parte Demostheni palmam fecit, Platonem certe in philosophicis æquis adeo passibus sequitur, ut dubius hæreas, num Platonem magis laudes, qui divinis Socraticæ sapientiæ (3) monumentis virtutum suarum imitatorem finxerit tam egregium, an romanum philosophum, quod pulcherrimos ex hortulis græco-

(1) Quintil. Inst. Orat. lib. X, cap. 1, pag. 916.

(2) Quintil. ibid.

(3) Ne nimius in his videar, en eloquentissimi scriptoris christiani, Minucii Felicis verba, in Octavio, cap. 19, pag. 182, ed. Gron. «Platoni apertior de Deo, et rebus ipsis, et nominibus (male Meursius, *hominibus*), oratio est, et quæ tota esset cælestis, nisi persuasionis civilis nonnumquam admixtione sordesceret».

rum sublectos flosculos in patriis viridariis tam apto, tam naturali ordine disposuerit. Solus, quantum recordor, ex omni antiquitate est Tullius, qui (1) dicendi laudem cum sapientiæ studio conjunxerit : et, quamvis ad eum poeticæ facultatis gradum haud enisus fuerit, ut aliquo inter poetas loco censeatur, mihi tamen nullum est dubium, quin perfectiora in hoc genere proferre (2) potuisset, si *homini occupatissimo* (3) vacuum magis tempus et liberum fuisset tributum, quo insitam animo vim explicare, et ad fingendi vehementiam licuisset extollere. Jure merito, ut paucis multa complectar, Quintilianus (4) dixisse mihi videtur, « eum re vera profecisse, cui Cicero valde placeret », vereque Velleius Paterculus (5), « victurum Tullium per omnium seculorum memoriam, dumque hoc rerum naturæ corpus, quod ille pæne solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem ævi sui Ciceronis laudem illud esse tracturum ».

Nec minus egregias animi, quam ingenii, dotes in Cicerone eluxisse reor, ita tamen ut et sua vitia illum

(1) Ipse Tullius, de Off. lib. I, cap. 1 : « Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret, sequereturque et illud forense dicendi, et hoc quietum disputandi genus, nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens ».

(2) Plut. t. I, pag. 861, E, sane dicitur οὐ μόνον ῥήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητὴς ἄριςος Ῥωμαίων : mox subjicitur, poesin ejus πολλῶν εὐφυῶν ἐπιγενομένων παντάπασιν ἀκλεῆ καὶ ἄτιμον ἔῤῥειν συμβεβηκέναι. Junge pag. 881, C, ubi Cicero dicitur consuevisse, quando ad carmina scribenda ferebatur, una nocte 500 versus facere. Conf. Seb. Corradi Quæsturam, pag. 246.

(3) Cicero pro Murena, cap. 13; de Harusp. resp. cap. 9; Topic. cap. 1; de Fin. lib. III, cap. 3; de Legg. lib. I, cap. 3; « totos dies se scribere », ait ad Att. lib. XII, ep. 14.

(4) Lib. X, cap. 1, pag. 917.

(5) Lib. II, cap. 66, § 5. Magnifice quoque Seneca in præfatione Controversiarum de Cicerone ait : « Potui et illud ingenium, quod solum populus romanus par imperio suo habuit, cognoscere ».

habuisse putem. Fuit civis patriæ suæ amantissimus (1), pater liberis indulgentissimus, amicus sincerus, omnes adjuvandi cupidus, virtutis amans, vitia et fraudes perosus, laboris patiens, sobrius, alieno abstinens, liberalis, affabilis, lenis. Fuit, uno verbo (quæ laus videtur maxima), ad societatem natus : sed fuit homo, nec humani quidquam ab eo alienum fuisse fatendum est.

Hac de re spero, neminem fore, qui vitio mihi vertat, si ea, quæ ad JCtorum caussam dictu videbuntur necessaria, candide et aperte in Ciceronem dixero, qui ipse « in disputando (2) suum judicium sequebatur, auctoritati aliorum non parebat », sæpe eos vituperans, apud quos « tantum opinio præjudicata poterat (3), ut etiam sine ratione valeret auctoritas ». Nc enim, « ut plerumque fit (4), pro disserentium viribus, et eloquentiæ potestate, perspicuæ quoque veritatis conditio mutetur, non tam auctores (5) in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt : quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur : desinunt suum judicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident ». Atque, « ut illud est (6) præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, tibique inde capere quod imiteris », ita virorum magnorum, quorum nobis imago in aliorum ipsorumve scriptis depingitur, quosque venerari, et, licet e longinquo, sequi debemus, vitia a virtutibus prudenter sunt discernenda, ne, falsa specie delusi, judicia nostra ad fallacem normam diri-

(1) Vid. Cl. Schulting. de Jurisp. Cic. pag. 246.

(2) De Legg. lib. I, cap. 13. Vid. etiam Acad. lib. II, seu potius Lucullum, cap. 3, in med.

(3) De Nat. Deor. lib. I, cap. 5.

(4) Minuc. Fel. cap. 14, pag. 134, ed. Gronov.

(5) Cic. de Nat. Deor. d. l.

(6) Livius in Proœmio, lib. I.

gamus, maxime quoniam inveniuntur multi, qui facilitate nostra abutentes, ipsi etiam aliquando decepti, veterum dicta et facta perverse adhibent, ut veritatem oppugnent, præjudicatas suas opiniones tueantur, et incautis fucum faciant.

Sed priusquam de Ciceronis opinione disputo, proximum est, ut eum locum, quem mihi examinandum sumpsi, notis ex doctorum virorum commentariis decerptis et observatiunculis etiam meis, si fieri possit, illustrem.

Tullii verba sunt e medio capite 11, usque ad principium capitis 13, quæ accusationem gravissimam continent, quam discutere tentabimus, præmissis quibusdam notis, quibus obscuriuscula Ciceronis dicta illustremus.

Inventus est scriba, Cn. Flavius, etc. Constantissimi hominis «patre libertino nati, et qui ædilibus apparebat, incertissimam» (1) historiam ex Pisone (2), Livio (3), Cicerone (4), Plinio (5), Valerio Maximo (6), et Pomponio (7), præter interpretes eorum scriptorum, tradidere multi, inter alios Rævardus (8), Rupertus (9), Gravina (10), Thoma-

(1) Incertissimam hanc historiam dico, quia ex Cicerone ad Attic. lib. VI, epist. 1, pag. 575, edit. Græv. patet, ipsum Atticum, historiæ peritissimum, illam ignorasse, et Ciceronem vereri ne Atticus suspicaretur, «se, vel potius Africanum (quem in sex libris de Republica loquentem induxerat), eam fuisse commentum». Dein quia ex eodem loco, et Livio, lib. X, cap. ult. constat, Licinium Macrum historicum aliosque de illa dissensisse, et quosdam Flavium ante ipsos decemviros collocasse.

(2) Apud Gellium, lib. VI, cap. 9.

(3) Lib. IX, cap. ult.

(4) Hoc lib. de Orat. lib. I, cap. 41, ad Attic. d. l.

(5) Hist. Nat. lib. XXXIII, cap. 6.

(6) Lib. II, cap. 5, exemp. 2.

(7) L. 2, § 7, π. de Orig. Juris.

(8) De Auctor. Prudent. cap. 2.

(9) Ad Enchir. Pompon. cap. 8, pag. 113.

(10) Orig. Jur. Civ. lib. II, § 79, pag. 204.

sius (1), Heineccius (2), Hoffmannus (3), Bacchius (4). In tanta igitur auctorum copia nihil forte addendum videri posset. Duo tamen sunt, quæ animadverti velim. Primum est quod a VV. DD. quæratur (5), utrum Cn. Flavius jam ædilis fuerit, quum actiones legis et fastos populo traderet, an vero ob hoc plebi gratissimum munus ædilis demum factus fuerit. Quamvis « hanc quæstionem non multum utilitatis habere » judicet Cl. Hoffmannus, ego tamen, ut pateat, quam lubrico sæpe fundamento controversiæ moveantur, de ea pauca dicam. Cicero, Plinius, Pomponius, uno ore tradunt, Flavium, dum scriba esset, hæc pontificum arcana evulgasse : sed dubium ortum est ex his Valerii Maximi verbis : « Jus civile per multa sæcula inter sacra cærimoniasque deorum immortalium abditum, solisque pontificibus notum, Cn. Flavius libertino patre genitus, et scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus ædilis curulis, vulgavit, ac fastos pæne toto foro exposuit ». Hinc, post alios, Cl. Heineccius (quicum etiam facit Thomasius) collegit, in ea sententia Val. Max. fuisse versatum, quasi Cn. Flavius fastos et actiones legis demum vulgasset, posteaquam ædilis curulis factus fuisset; illamque opinionem, licet per se absurdam (quia sic caussa evanescit, ob quam homo ex infima plebe ad eam evectus fuit dignitatem), impetu adeo prono et præcipiti vir clar. sequitur (6), ut Plinio et Pomponio fidem derogare haud dubitet (7).

(1) De Næv. Jurisp. lib. I, cap. 5, pag. 19.

(2) Hist. Jur. Civ. lib. I, cap. 3, § 48 seqq. et Proœm. Antiq. Jur. § 7.

(3) Hist. Jur. Civ. lib. I, cap. 1, Per. 4, pag. 208.

(4) Hist. Jur. Civ. lib. II, cap. 2, secl. 4, § 4.

(5) Vide Rupertum d. l.

(6) In Antiq. Jur. Civ. d. l.

(7) Licet Ciceronem haud nominet Heineccius, aut illum tamen errare necesse est, aut Tullium, quum is ad Att. d. l. ait, « nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse ».

Aliam tamen viam alibi ingreditur (1), conjiciens, Flavium, quum scriba esset, illud promisisse, quod ædilis creatus præstiterit. Mihi Valerius Maximus, in narrationibus, ubi perspicuitate opus est, vibrans et adstrictus, in sententiis, ubi brevitas requiritur, verbosus et sublimis, illud tantum sibi voluisse videtur, « hunc Cn. Flavium, qui dein cum ingenti nobilitatis indignatione ædilis curulis factus fuit, jus civile vulgasse, et fastos toto pæne foro exposuisse ». Dissimulare quidem nequaquam volo, ab Heineccio præsidium quoque ex Livio peti, qui dicit : « Ceterum ..... contumacia adversus contemnentes humilitatem suam nobiles certavit. Civile jus repositum in penetralibus pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur ». Sed et inde ductum argumentum satis refutavit Cl. Bacchius, nec ea Livii mens est, quasi illa juris civilis proditio post ædilitatem Flavii acciderit (2)....... Secundo loco, attentione dignam puto virorum doctorum, sed JCtis infensorum, incredibilem facilitatem, dicam? an cupiditatem, quia in iis, quæ varie a scriptoribus compluribus narrantur, illorum potissimum auctoritatem sequi amant, qui pessima de prudentibus memoriæ tradiderunt; ac si nimirum æqui esset judicis, ex diversis testimoniis ea libentius vera judicare, quæ reum opprimunt, illa vero negligere, quæ infelici magis favent! Idque, quod dolendum, ipsi illi faciunt, qui magnis multisque nominibus obstricti sunt his, quos tanto opere insectantur et accusant : quippe omnes fere antiquitatum et historiæ juris auctores scribentes videas, fraudulentos istos patricios, pontifices simul et jurisperitos, misellam plebem sibi obnoxiam reddere voluisse, quam ut magis vexarent, et incautam in calamitates atque infortunia conjicerent,

(1) Hist. Jur. Civ. d. l.

(2) Vid. in primis G. *van der Muelen* ad Pompon. de Origine Juris, parte I, pag. 76.

nefarios hos formularum cantores certas verborum ambages, et ridiculas solemnitates excogitasse, illasque una cum fastis occultasse. Si gravissimæ accusationis auctorem requiras, unus prodibit Pomponius. Is ait: « Deinde ex his legibus (XII Tabb.) eodem tempore fere actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent, quas actiones ne populus, prout vellet, institueret, certas solemnesque esse voluerunt, et appellatur hæc juris pars legis actiones i. e. legitimæ actiones. ..... Omnium tamen harum et interpretandi scientia et actiones apud collegium pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quoquo anno præesset privatis. ...... Postea, quum Ap. Claudius proposuisset, et ad formam redegisset has actiones, Cn. Flavius, scriba ejus, libertini filius, subreptum librum populo tradidit, et adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, et senator, et ædilis curulis». At, ne tangamus ea, quæ in hoc loco reprehendi possunt, quæque nullius ex veteribus testimonio confirmantur, num uni igitur huic Pomponio fides habenda est, Tulliique auctoritas negligenda? Quid ille in faceta, quam tractamus, contra jurisperitos declamatione? Ne verbum, ne unam quidem literam de hac ante Flavium facta formularum compositione. Fastos populo ediscendos hominem callidum proposuisse, et hanc dierum cognitionem ab ipsis cautis JCtis compilasse narrat. Jam si vera essent, quæ Pomponius, fidejussor haud satis locuples, tradit, cur in hac oratione Cicero, JCtis certe non nimis favens, primam istam (1) formularum et legis actionum fraudulentam compositionem iis non exprobravit? cur, quæso! insigne hoc probrum illis haud ingessit? Mirum Tullii silentium! mirus pudor! mira clementia! Verum enimvero, objiciat aliquis, non hic, sed in libris

(1) Primam dico, quia dein ab iratis patriciis aliæ compositæ, et a S. Ælio evulgatæ finguntur, de quo postea.

de Oratore (1), id, quod quæris, invenies; quater (2) enim, quantum scimus, hujus historiæ mentionem Cicero fecit. Quid ergo ibi ait?..... « Veteres illi, qui huic scientiæ præfuerunt, obtinendæ atque augendæ potentiæ suæ caussa, pervulgari artem suam noluerunt : deinde posteaquam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent ». En! Cn. Flavius « actiones occultatas exposuit ». Recte; sed ipse etiam illas *composuit*, minime autem fraudulenti patricii, qui isto tamen crimine accusari solent (3). Hæc oratoris nostri sunt verba (4) : « Quid ergo profecit, quod protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavium fastos protulisse, actionesque composuisse ». Ipse igitur Flavius actiones, quæ ante illum incertæ (5) forte fuerunt, aut in ordinem non redactæ, composuit. Dissentit Rævardus (6). Prolato Ciceronis loco, « Hæc Cicero, inquit, non, ut mihi quidem videtur, actiones Cn. Flavium composuisse persuasum habens; sed compositas, et ad formam ab Appio Claudio, cujus scriba Flavius erat, redactas, proposuisse. Ita enim Pomponius scribit, et idcirco videndum est, an non rectius hic apud Ciceronem *proposuisse*, quam *composuisse* legeretur hunc in modum : Nec vero pauci sunt auctores Cn. Flavium

(1) Lib. I, cap. 41.

(2) Hac orat. pro Mur. cap. 12; de Orat. d. l. ad Att. d. lib. VI, epist. 1, et in libris de Republica, ut ex posteriore illo loco patet.

(3) Præterea animadvertendum est, etiamsi demus Appium actiones composuisse, paucos tantum annos hanc fraudem valuisse, quum Flavius, qui eas evulgavit, Appii scriba fuerit.

(4) Ad Attic. lib. VI, epist. 1.

(5) Hæc sane Thomasii est sententia, neutiquam improbanda (de Næv. Jurispr. lib. I, cap. 5, nævo 8).

(6) De Auctoritate Prud. cap. 2, pag. 954.

scribam fastos protulisse, actionesque proposuisse ». At! quæ tanta Pomponii, præsertim in loco suspecto (1), est auctoritas, ut ex eo Ciceronis verba emendari debeant? et præterea, ubi invenit Rævardus, Flavium actiones, ab App. Claudio redactas, *proposuisse?* Pomponius quidem ipsum *Claudium illas proposuisse* scribit.

Notas quasdam composuerunt. Controversiæ insigni hæc Tullii verba originem dederunt. Nempe quæritur, quid per *notas* illas *composuerunt JCti*, intelligendum sit. Plerique VV. DD. (2) olim *notas* a *siglis* haud satis distinxerunt, quarum discrimen primus (3) Cujacius, dein alii observaverunt (4), ut *notæ* sint « signa quædam a communi literas ducendi consuetudine diversa », quibus certæ voces designantur; *siglæ* autem sive « singulæ sint literæ communes, a quibus certæ voces incipiunt, quibusque singulatim positis totæ illæ intelliguntur (5) ». Quamvis autem hoc discrimen verum esse fatear, illud tamen haud semper, nec hic a Cicerone observatum credo. Vult quidem summus Græ-

(1) Suspectum locum dico, quia vix intelligitur, quid sibi velit Pomponius, quum ipsum Claudium actiones *proposuisse*, et *ad formam redegisse,* scribit. Muretus in notis ad h. legem (tom. IV Thes. Jur. pag. 156), et Bacchius (Hist. Jur. lib. II, cap. 2, sect. 4, § 4) legunt: « quum Appius Claudius composuisset, et ad formam redegisset has actiones », dissentiente licet Ampl. Bynskershoek. (in Prætermissis, pag. 28).

(2) Rævardus d. l. pag. 957; Brisson. Sel. Antiq. lib. IV, cap. 21; Busius, Subtil. Juris lib. III, cap. 7, alii.

(3) Observ. lib. XII, cap. ult. in fine.

(4) Lindenbrog. ad libellum Val. Probi in initio; Grævius in notis ad l. Cic. quem præ manibus habemus; Cl. Schulting. ad πρῶτα in Proleg. § 9; Cl. Ernest. in Clavi Cicer. voc. *notæ*, et alii.

(5) Notas collegerunt, qui sub Tironis et Senecæ nomine opusculum nobis reliquerunt, Gruteriano Inscriptionum Corpori subjectum, siglas Valerius Probus, cujus perutilis libellus insertus est tom. I Thesaur. Jur. Ampl. Meermanni. Conf. hic in primis amplus Joan. Nicolai Tractatus de siglis Veterum, cap. 2.

vius (1), et post eum Heineccius (2), per *notas* Ciceronem *siglas* minime significasse; verum rectius Cl. Ernesti dicere videtur, certum esse non omnes *notas* esse *siglas*, neque tamen propterea *siglas* non esse *notas;* recte quoque Cl. Hoffmannum (3) in veterum interpretum sententia contra Grævium permansisse arbitror; quia fidem Valerio Probo (4), vetustissimo grammatico qui sub Nerone floruit, habere debemus (5). Is autem *siglarum* apud pontifices, juris civilis conditores, et in ipsis juris civilis libris, maximum usum fuisse scribit. Hæc ejus sunt verba : « Nam apud veteres, quum usus (6) notarum nullus esset (7), scribendi facultatem, maxime in senatu qui aderant scribendo, ut celeriter dicta comprehenderent, quædam verba atque nomina ex communi consensu primis literis notabant, et singulæ quid significarent, in promptu erat : quod in nominibus, pronominibus (legendum prænominibus), legibus publicis, pontificumque monumentis, jurisque civilis libris etiam nunc manet ». Et supersunt in hoc libello (8) ipsæ illæ siglæ, quibus variæ actionum instituendarum formulæ

(1) In notis ad h. Cic. l.

(2) Hist. Jur. lib. I, cap. 3, § 48.

(3) Hist. Jur. lib. I, cap. 1, Period. 4, vol. I, pag. 213.

(4) Cap. 1, init. pag. 91 (Thes. Meerm.)

(5) Magna insuper auctoritate hic defendimur, ipsius nempe Cujacii, qui tam bene *notas* a *siglis* distinxit, et tamen (ad Pomp. de Orig. Jur. § 7. Vid. Cl. Ernest. d. l.) in hoc Ciceronis loco per *notas* intelligit *siglas* actionum.

(6) Ut hic Valerii locus pro me facit, quod *siglas* a priscis jam temporibus apud pontifices et JCtos in usu fuisse testatur, sic ab altera parte *notas* a *siglis* sollicite distinguit.

(7) Legendum videtur *ob*, vel *ad scribendi facultatem* (i. e. *facilitatem*); nam loci lectionem dubiam esse testatur Henr. Ernestius.

(8) Tales sunt, quas h. l. a JCtis inventas ait Cic. quasque habet Valerius, cap. 24 : « E. J. M. C. V. ex jure manu consertum vocare; I. D. T. S. P. in diem tertium sive perendinum; Q. I. J. T. C. P. A. F. A. Quando in jure te conspicio, postulo anne fias auctor, etc. »

exprimebantur. Sed alia est sententia Cl. Ernesti, et qui hunc ducem, præceptoremque etiam suum, sequuntur, virorum celebb. Joan. Dan. Ritteri, et Joan. Aug. Bacchii (1). Censent illi, « totum hoc de notis formularum commentitium videri », notasque componere « nihil aliud significare, quam formulas obscuras et contortas actionum componere ». Hujus opinionis, quam primus proposuit Camerarius (2), rationes reddit sequentes Cl. Ernest. 1° Quia « Cicero hic manifeste de formulis actionum loquitur, nam exempla notarum compositarum, quæ subjiciuntur, sunt formulæ actionum »; 2°. quia « componere de formulis dici potest, non de signis obscuris et siglis »; 3° quod « in toto reliquo loco nihil de occultis signis dicitur »; 4° quoniam « nemo veterum, quod sciat Vir Cl. de talibus signis formularum memoriæ prodidit ». Quintam rationem his verbis proponit Vir Cel. « Quorsum autem opus scribere formulas illas per notas? Ne a servo iterum aut scriba publicarentur? Sufficiebat cavere, ne in talis hominis manus venirent, qui iis vulgandis gratiam popularem captare vellet et posset. Ne ii autem publicarent, qui eas tenerent, ut Ælius fecit, ne per notas quidem caveri poterat ». Primum sententiam meam proponam; dein candide expendam rationes theologi celeberrimi, quem ob consummatam in vario doctrinæ genere laudem, quam politissimis et gustui formando aptissimis scriptis sibi comparavit, veneror et huic nostro sæculo ex animo gratulor. Si itaque mihi, pedario quamvis senatori, sententiam dicere liceat, sic censeo : « Ciceronis « eam esse mentem, vulgatis a Flavio actionibus, JCtos veritos, ne sine sua opera lege posset agi, novas actionum formulas, antea non adhibitas, excogitasse et composuisse (hactenus cum V. Cl. sentio, sed addo); et illos has actio-

(1) Hic in Hist. Jur. Civ. lib. II, cap. 2, sect. 4, § 5. Ille ad Heins. Hist. Jur. d. l. pag. 102.

(2) In notis ad h. Ciceronis pro Mur. l.

nes siglis, sive notis scripsisse »: sic opiniones omnium interpretum conciliantur, et huc facit ratio, quam primam adfert Vir Cl. quod « exempla notarum compositarum, quæ subjiciuntur, sunt formulæ actionum », quarum siglas seu notas nobis conservavit Probus: ipsam quippe istam formulam (sane ut vult Cicero) excogitarunt jurisperiti, « unde tu me ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco », et hanc sic scripserunt, U. T. M. E. J. M. C. V. I. I. E. T. R. « Quando in jure te conspicio, postulo, anne fias auctor », Q. I. J. T. C. P. A. F. A. similesque; has autem novas formulas, novasque simul a peritis excogitatas siglas, in exemplum attulit Tullius. Secundum Viri Cl. argumentum nihil contra nos facit, qui putamus, Ciceroni hanc fuisse mentem, ut simul cum siglis ipsæ legis actiones excogitatæ fuerint; nam siglæ quidem non fuerunt *compositæ*, sed actiones quæ siglis exprimebantur. 3°. Nego, « in toto reliquo loco nihil de occultis signis dici »; quum enim ait Tullius, « eum ego ex jure Quiritium meum esse aio », de ipsa illa sigla loquitur, E. E. E. J. Q. M. E. A. et sic de ceteris; 4° Non recte V. Cl. affirmare, « neminem veterum de talibus signis formularum memoriæ prodidisse », vel solus demonstrare posset Probus (1); sed accedit quoque Justiniani auctoritas, qui hunc in jure siglarum usum expresse prohibuit (2). Quinta denique ratio contra Ciceronem facit, minime vero contra nostram sententiam; nam pone, quod putat Cl. Ernesti, « formulas tantum obscuras et contortas actionum compositas fuisse », ut plebs patriciorum obnoxia esset arbitrio, num illæ contortæ obscuræque formulæ non poterant, æque ac siglæ, in talis hominis manus incidere, qui illarum peritus eas ad auram popularem captandam vulgare posset : sive illæ formulæ

(1) Libelli hujus grammatici unum caput est (24), quod nihil nisi has formularum siglas complectitur.

(2) De Conceptione Digest. ad Tribon. § 13.

notis essent conscriptæ, sive obscuritate tantum sua intellectu difficiles forent, cavendum modo erat, ne in hominis Flavio similis potestatem et notitiam pervenirent, quod tamen postea accidisse oratoria calliditate persuadere cupit Cicero : « Quæ dum erant occulta necessario ab iis, qui ea tenebant, petebantur; postea vero pervulgata atque in manibus jactata et excussa inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem et stultitiæ plenissima ». Qui vero maximus rei nodus est, vellem aliquis veterum locus afferretur, ubi vox *nota* de *formula solemni* posita fuerit..... Quod porro ad rem ipsam attinet, cum VV. CCll. Ernestio et Rittero non multum fidei mereri arbitrer, totam hanc de novis formulis et notis earumque nova proditione historiam seu potius fabulam, a nemine veterum præter Ciceronem traditam. Vulgo huc referunt, quod de S. Ælio Cato narrat Pomponius. Dubito num recte. Is tantum dicit (1) : « Augescente civitate, quia deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Ælius alias actiones composuit, et librum populo dedit, qui appellatur jus Ælianum »; ex quibus ipsius Pomponii verbis patet, illud quod de vulgatis iterum ab Ælio formulis occultisque notis, ex nostro Cicer. loco, ab interpretibus Pomponii, et Historiæ Juris quibusdam scriptoribus, traditur, ex tralatitiis istis esse, quæ alter sæpe ab altero sine ullo examine et bona fide accipiunt, aliisque iterum nimis credulis obtrudunt; nam 1° nihil est in his Pomponii dictis, quod vel leviter JCtis officiat; etenim quis miretur novis actionibus, novisque adeo formulis, opus fuisse in ea civitate, quæ imperii sui fines quotidie extenderet, cujusque navigandi peritia et mercatura majora in dies incrementa caperent; 2° Nullum est vinculum inter hunc Ciceronis locum et Pomponium, neque 3° ullum esse potest. Nullum, in-

(1) L. 2, § 7, in f. π. de Orig. Juris.

quam, inter ea loca est vinculum : quippe mox, proditis a Flavio formulis, notas compositas fuisse orator ait; atqui centum et tribus post Flavii proditionem annis suum jus demum proposuit *homo egregie cordatus :* deinde *fraudem* et malitiam harum formularum caussam fuisse nobis persuadere vult Cicero; at Pomponius eas compositas ait, quia « deerant genera quædam agendi (1) ». Tandem nulla inter hæc loca cognatio esse potest; nam Cicero plebi inimicos et dominandi avidos JCtos earum auctores fuisse arguit; Pomponius vero ipsum Ælium, virum mediocris conditionis hominibus acceptissimum, actiones composuisse ait, *librumque populo dedisse*, ut, in novis quotidie nascentibus caussarum generibus, « suarum rerum certi compotesque consilii, numquam temere res tractarent turbidas ». Ut aperte quid sentiam fatear, suspicor, Tullium, cujus caussa postulabat, ut jurisperitis invidiam conflaret, quum videret legis actiones certis notis certisque siglis conscribi, ansam inde arripuisse fingendi (2), has notas ideo inventas fuisse, ut incognitæ semper populo formulæ manerent (3).

(1) Hoc probe perspexit Thomasius, quum scribit (Nær. lib. I, cap. 5, pag. 20): « Post publicationem juris hujus Flaviani alias formulas fuisse compositas a JCtis, præter Ciceronem pro Murena, cap. 11; etiam ex d. § 7 Pomponii appareret (non igitur ex lectione recepta *apparet*), si lectio illa, quam affert Eberlinus pag. 49, approbaretur : Augescente civitate, qui præerant, quædam genera agendi composuerunt ». Quid autem de hac Haloandr. lectione statuendum sit, quivis videt.

(2) Præcipue illud inde patet, quod de Orat. lib. I, cap. 41, ubi eadem hæc de Flavio; de ambitione patriciorum, et reliqua mordacia in JCtos dicta, sub Antonii Oratoris persona proferuntur, ne γρὺ quidem de hac notarum occultarum fraudulenta inventione reperiatur. Quod autem hic dixi, finxisse istam de *notis occultis* fabulam callidum oratorem, pluribus confirmabitur, cap. 3, § 23.

(3) Alia de his notis conjectura est Cl. Beyeri Præf. ad Brummeri Opuscula, pag. 11 : « Melior profecto fuit judiciorum ordo, nec tot molestiæ tantaque litium diuturnitas sub formulis quam postquam eæ abrogari cœperunt.

Neque tamen nego, *in latenti*, ut ait Pomponius (1), JCtos suam scientiam retinuisse, sed cur id factum fuerit caussam fuisse dixi et postea demonstrabo, quod « juris scientia partem sacrorum et pontificalis auctoritatis faciebat, sacra autem vulgari non patiebatur religio ».

Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, etc. Solemnem esse vindicationis formulam, præter alios, docuerunt Brissonius (2), Rævardus (3), Sigonius (4), et qui ab his scripta contraxit Heineccius (5).

Transit idem jurisconsultus tibicinis Latini modo. Vario modo de his Tullii verbis senserunt VV. DD. Sylvius (6) a comœdiis translata putat, « in quibus agendis Latini tibicines a tibiis dextris ad sinistras transibant, ita ut tibicinis Latini modo transire is dicatur, qui petitoris et defensoris caussam agit, aut probationes invenit ». Cl. Grævius putat (7), JCtos tibicini non in eo comparari, quod nunc hanc, nunc illam partem ad certamen instruerent, sed in eo, quod et partibus et prætori solemnia verba præscripserant. Censet præter illa vir summus, « non alium esse tibicinum illorum modum, quam quem præstabant histrionibus, quum modos facerent, et modo submissius,

Etenim pleræque in vulgus notæ erant, atque adeo ne verbis quidem integris, sed notis et signis concipiebantur, in quibus errare nemo, saltem eorum qui judiciis intererant, potuit. Actiones vero, quæ ex contractibus innominatis, aliisque negotiis, publica et perpetua formula non munitis, dabantur, perscriptis, i. e. plenis et literis omnibus conscriptis verbis proponebantur, neque tum certa erat et compendiosa formula, ut in antiquis ».

(1) D. l. 2, de Orig. Jur. § 35.

(2) De Formulis, lib. V, pag. 357.

(3) Ad ll. XII Tabb. cap. 6.

(4) De Judiciis, lib. I, cap. 21, pag. 460.

(5) Antiq. Rom. lib. IV, tit. 6, § 24.

(6) In notis ad h. Cic. l.

(7) In notis ad h. l.

modo contentius canendo, ad hunc vel illum histrionem se converterent, et dicendi agendique rationem suo cantu ostenderent, et moderarentur». Si Livium (1) contuleris, his forsan acquiesces. Potest tamen Ciceronis ironia et a sacris ducta esse, quibus semper (2) præcinebant tibicines, vel etiam a re militari in qua ad tibiæ cantum milites incedebant. Sed res obscura est.

Utrisque superstitibus, etc. Omnes has vindicationis formulas abunde explicuerunt, et Festi locum (3) notarunt VV. EE. quos antea laudavi, neque in eorum dictis repetendis tempus est terendum.

Apud illos barbatos. Priscos romanos barbam aluisse animadvertit, et Ciceronis pro Cœlio (4) verba huc attulit Camerarius (5). Consuli quoque possunt, qui *de Coma* scripserunt, Junius, Salmasius, ceteri (6).

Quando in jure te conspicio, etc. Plura disputari possunt de hac formula, quam totam ita exhibet Valerius

(1) Lib. VII, cap. 2.

(2) Vide Livium, lib. IX, cap. 30.

(3) In v. *superstites.*

(4) Cap. 14. Vide quoque Manutium ad h. l.

(5) In notis ad h. l.

(6) Hunc locum respicit Cel. Georg. Beyerus in præfatione apologetica pro JCtis romanis, præmissa Brummeri opusculis, quum ait: «Jam porro cogitea, quæso, B. L. an bona fide tot injurias in actum innocentem effuderit Tullius, quando actorem loquaciter litigiosum, jurisconsultum tibicinem latinum, prætorem carminis absurdi et inutilis cantorem criminatur, et apud barbaros ridiculum esse jactitat, homines quum recte atque in loco constitissent, juberi abire, ut, unde abiissent, eodem statim redirent? An non æque ineptum et ridiculum barbaro videbitur, etc.» Ex quibus patet in hoc Ciceronis loco, «apud illos barbaros», pro *barbatos* legisse V. Cel. vitiosa editione deceptum, quales errores incautis sæpissime excidunt, et in hoc meo Specimine plures forsitan invenientur, quorum gratiam etiam atque etiam oro. Cl. Bacchio hæc Tullii satyra obversata quoque fuisse videtur, in præfatione ad opus Brissonii de Formulis, pag. 3.

Probus (1); « Q. I. J. T. C. P. A. F. A. quando in jure te conspicio, postulo anne fias auctor »; sic enim legendum (2); non ut Passeratius (3), « postulo anne fuas auctor », quod eodem redit, ac illud veteris codicis apud Ernestium (4), « postulo ante si es auctor »; pejus quoque Lambinus (5), « postulo ut fuas auctor ». Plura, inquam, de hac formula disputari possunt, quoniam

I° Quæritur, utrum illa locum tantum habuerit in actionibus in rem, an in actionibus in personam, an vero in utrisque simul. Constans olim fuisse videtur opinio (6), illam in solis actionibus in rem, præsertim in vindicatione, locum habuisse, quam sententiam Cl. Heineccius (7) amplexus est, et strenue tuitus contra Balthaz. *Branchu* (8), arbitratum eam ad actiones in personam potius pertinuisse; Cel. vero Bacchius (9) in utrisque adhibitam fuisse putat. In re tam obscura et de qua paucissima nobis innotuerunt, solenne illud N. L. pronunciare satius forsan fuerit, et ingenue fateri, « Non nostrum inter vos tantas componere lites ». Si tamen, quod sentiam, dicendum est, haud absque ratione Ampl. Joannes Wybo (10) rogare videtur, « ut istius interrogationis utilitas atque usus (in actionibus in rem) aliquo colore ostendatur », quum possessor, adeoque

(1) In libello laud. cap. 24. Hanc formulam partim etiam profert Cicero pro Cæcina, cap. 19.

(2) Vide Ampl. Wybo de Interr. in Jure, cap. 6, pag. 77.

(3) Ad Cic. pro Cæc. d. l.

(4) Ad Val. Prob. d. l. (tom. I Thes. Meerm. pag. 129).

(5) Ad Cic. pro Mur. h. l.

(6) Sigon. de Jud. lib. I, cap. 21, pag. 464. Cf. Brisson. de Form. lib. V, cap. 25, p. 359; Ræv ard. Protrib. cap. 5.

(7) Antiq. Rom. lib. IV, tit. 6, § 25, in nota.

(8) Observationum decade II, cap. 15, pag. 90.

(9) In notis ad Brisson. de Form. pag. 359.

(10) De Interr. in Jure, cap. 8, pag. 110.

et auctor, jam erat constitutus per manus consertionem, et vindiciæ possessori ex XII Tabb. datæ (1); nam illam vim simulatam, et in re præsenti pugnam, VV. DD. omnes factam fuisse tradunt ante interrogationem, *anne fias auctor :* sed dubito (timide tamen et non sine pudore meam hanc dubitationem proponens) num ista interrogatio non fuerit facta ante manus consertionem; nullum certe veterum locum video, qui eam post hanc vim simulatam (2) fuisse factam expresse testetur : sic forsan res se habuit : « Primum, quum die perendino uterque litigans vadimonium obiisset, hac nostra formula reum rogabat actor, *anne auctor fieret?* i. e. an esset is, a quo jus suum persequi deberet (3); si reus negaret, et eum rem tamen detinere probaretur, possessio in actorem transferebatur (4); sin se auctorem diceret, tum manus consertio fiebat, et possidenti (excepta liberali caussa) vindicias prætor dabat, sive eum interim, quoad definitiva de proprietate sententia pronuntiaretur, possessorem constituebat; post hæc sacramento certabatur, an justum illud esset judicabatur (5), pro præde satisfaciebat possessor, se nihil in possessione, de qua jurgium erat, deterius facturum, liti æstimandæ arbi-

(1) XII Tabb. hæc fuisse verba probabile est : « Si quin jure manum conserunt, secundum eum qui possidet. Ast si qui quem liberali causa manu adserat, secundum libertatem vindicias dato ». Vide Jac. Gothofred. in Probat. ad ll. XII Tabb. pag. 407 (in *quatuor Fontibus*).

(2) Contrarium potius ex ipsa formula colligas; absurdum quippe foret actorem dicere, « quando in jure te conspicio », quum sæpius antea ipsum conspexisset : « Quando in jure te conspicio » enim idem valet, ac si diceret, « quando te vadimonium sistentem jam video ».

(3) Vide Rævardum d. l.

(4) Obscurum est, an huc pertineat formula apud Valerium, cap. 16 et 24 : « Q. NQ. A. NQ. N. quando neque ais, neque negas ».

(5) Ante ipsius litis disceptationem de sacramento, utrum justum esset et admitti posset, judicatum fuisse, probavit, Batavi fori ornamentum, Consult. Herm. Noordkerk, Disq. de Leg. Petronia, cap. 2, § 11, pag. 49.

ter dabatur, controversia de ipsa proprietate agitabatur, probationes edebantur, et definitiva sententia ferebatur ». Si ita se res habuerit, vera Cl. Heineccii sententia, et præcipue in rei vindicatione hæc interrogatio usui venisse videtur, quia, qui actione personali, tutelæ, V. G. mutui, commodati, depositi, mandati, negotiorum gestorum, aut simili, obligatus erat, negare non poterat, se eum esse, a quo jus suum persequi actor deberet; ii vero, a quibus rem vindicabat actor, auctoritatem sæpe defugiebant, sive auctorem suum qui se defenderet laudando (1), sive dolo malo facientes, quo minus possiderent (2), quæ fraus demum SCto, pridie idus martias anno U. C. 881 ad propositionem D. Hadriani facto (3), inefficax fuit reddita : atque hæc eadem ratio est cur in actione noxali (4), damni infecti (5), de pauperie (6) (quæ personales sunt), item in actionibus, quas quis ut hæres sustinebat (7), illa interrogatio locum habuerit, quia quis negare poterat, servum qui noxam nocuerat, aut ædes a quibus ruina damnumve metuebatur, aut animal quod pauperiem fecerat, suum fuisse, vel etiam, se hæredem aut ex asse hæredem esse ejus, qui actione erat obligatus..... At potest alicui esse dubium, num recte vim vocis *auctor* sic, post alios, ceperim : equidem illud affirmare audeo ; nam, licet ipsam nostram formulam, et quidquid ad veterem fori romani

(1) L. 6, § 5, π. de Act. empti ; l. 63, § 1, π. de Evict.

(2) L. 27, § 3, π. de Rei vind. l. 36, pr. π. eod.

(3) Legitima SCti verba conservata sunt in l. 20, § 6, π. de hær. pet. Primum autem de hæreditatis petitionibus scriptum, dein ad alias etiam actiones translatum fuit.

(4) L. 16, π. de Nox. Act. l. 5, 15, 16, 17 seqq. π. de Interr. in jur. fac.

(5) L. 10, l. 20, § 2, π. eod.

(6) L. 7, π. eod. l. 1, § 15, π. Si quadr. paup.

(7) L. 2, l. 3, l. 5, π. de Interr. in Jur.

usum pertinuit, ex JCtorum fragmentis superstitibus exsulare jusserint compilatores (1), supersunt tamen loca, ex quibus vocis *auctor* significatio satis dilucide explicari potest. « Auctor, ait Paulus (2), is est, a quo jus in me transit »; sive is sit venditor (3), sive defunctus rei possessor, a quo illa ad hæredem transierit (4), sive alius quis a quo caussam habemus, quique plerumque evictionem præstare, et litem de dominio sustinere aut ejus damnum resarcire debet (5), adeoque, « postulo anne fias auctor », significat, quæro, an tu es is, qui litem de dominio sustinebis..... Si vero falsa sit (ut fieri potest), quam feci, conjectura, et pateat, hanc interrogationem post manus consertionem et constitutum possessorem rei litigiosæ factam fuisse, verisimilis omnino Doct. *Branchu* et Ampl. Wybonis est dubitatio. Interim tamen quoque constat, in rei vindicatione (6) hanc formulam fuisse in usu.

II° Disserendi de sacramento hic locus esset, et inquirendum foret, quatenus a *sacramento sponsio* differat; sed de istis jam alii egerunt (7) abunde. Illud solummodo

(1) Supersunt nihilo minus ejus formulæ vestigia : d. l. 36, pr. π. de Rei vind. d. l. 1, § 15, Si quadr. paup. et in tit. de Interr. in Jure fac.

(2) L. 175, de R. J. ad quam vide Jac. Gothofred. Oper. Min. p. 1175.

(3) L. 4, § ult. l. 52, § ult. π. de Act. empti; l. 28, l. 51, pr. l. 64, § 2, π. de evict. l. 156, § 3, de R. J. Cicer. Verrin. V, cap. 22. Vide Brisson. de V. S. voce *auctor ;* Duker. de Lat. Vet. JCtorum, pag. 277.

(4) Dioclet. et Maxim. in cod. Hermog. tit. XI ; Paulus Sent. lib. I, tit. 2, § 4.

(5) L. 6, § 5, π. de Act. empt. Vide Cel. Schulting. ad Pauli Sent. lib. V, tit. 10, pag. 471. Ex iis quæ dixi apparet, imperite a Papiano Respons. tit. 32 (Jurisp. Antej. pag. 846) scribi *auctorem, id est, petitorem.*

(6) L. 20, § 1, π. de Interrog. in jur. fac. l. 36, pr. π. de Rei vind. Vide Cl. Schulting. Thes. controv. Dec. XXXIII, § 4.

(7) Vide Hottom. ad Cic. pro Quint. cap. 8 ; Heinecc. Antiq. Rom. lib. IV, tit. 6, § 25 ; Cl. Ernest. Clavi Cicer. v. *sponsio ;* Bacchium ad Brisson. de Form. pag. 352, et quos ille laudat. Sacramenta vero et sponsiones mire con-

animadvertam, haud satis liquidum videri, an recte faciant VV. DD. quod illam formulam, « Q. N. T. S. Q. P. quando negas te sacramento quinquagenario provoco (1) », referant ad casum si se auctorem reus negaret (2). Etenim ex paulo supra disputatis apparet, me suspicari, illam sacramento provocationem fieri fuisse solitam, non quando reus se auctorem esse negabat, verum quum se rei litigiosæ dominum, in ipsa litis contestatione, dicebat; quæ mea suspicio absurda adeo videri nequit, quoniam testatur Festus (3), inventam esse hanc rationem, apud pontifices pecuniam deponendi (ex qua suam victor reciperet, victus amitteret), ob inopiam ærarii, ut inde aliquem reditum haberet, consumereturque rursus in sacris publicis. Jam vero quantus ille reditus foret, si reo demum se auctorem negante sacramento contenderent litigantes? nam, ut puto, plerumque se auctorem reus aiebat, aut certe auctorem defensoremque suum laudabat. Præterea pluribus veterum testimoniis probari potest, non in his *præparatoriis* (veniam verbo latinæ dent aures) interrogationibus, sed de ipsa lite sacramento fuisse certatum, quod egregie, ni fallor, jam demonstravit Ampl. Wybo (4), quem mecum a trita huc usque via deflexisse non sine gaudio comperi. Duo tantum ab illo prætermissa adscribam Ciceronis loca. Primus hic

fudit Sigon. de Judiciis, lib. I, cap. 21. De more pecuniam apud pontifices deponendi, præter Brisson. et Guther. vide quoque Rævardum Protrib. cap. 10, Variorum lib. I, cap. 15, pag. 518; lib. II, cap. 18, pag. 519; lib. V, cap. 10, pag. 727.

(1) Est apud Valer. Prob. cap. 24.

(2) Est præterea apud Probum, capp. 18 et 29, sigla « S. N. S. Q. si negat, sacramento quærito », unde colligunt VV. DD. illam significare, « si negat se auctorem »; ego explicem, « si negat fundum esse petitoris ex jure Quiritium ».

(3) In v. *sacramentum*.

(4) De Interr. in Jure, cap. 8, pag. 114. In eadem etiam nobiscum sententia versari videtur Consult. Noordkerk. d. l.

est (1) : « Pugna, si me amas, nisi acuta ἀμφιβολία, nisi elegans ὑπερβολή, nisi παράγραμμα bellum, nisi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, nisi cetera quæ sunt a me in secundo libro de Oratore per Antonii personam disputata de ridiculis, ἔντεχνα et arguta apparebunt, ut SACRAMENTO CONTENDAS, MEA NON ESSE ». Alter est (2) : « Quin etiam, si decemviri SACRAMENTUM IN LIBERTATEM injustum judicassent, tamen, quotiescumque vellet quis, in hoc genere solo rem judicatam referre posse voluerunt: » unde patet et de ipsa proprietate (MEA NON ESSE), et de ipsa status controversia (IN LIBERTATEM), non de auctoritate, sacramento fuisse certatum (3).

Sed anne tu dicis caussa vindicaveris. Varia olim hujus loci fuit lectio, « sed anne tu dicis qui caussa vindicaveris », « sed anne tu dic iis qui caussa vindicaveris (4) ». Plures (5) VV. DD. legerunt, « sed anne tu dicis, qua caussa vindicaveris ». Verum, post Victorium, Lambinum, et Cujacium (6), eam, quam posui, lectionem optimam judicavit Cl. Grævius. De origine et usu vocum *dicis caussa* scripserunt An-

(1) Lib. VII ad Div. ep. 32, § 4.

(2) Pro Domo, cap. 29, in f.

(3) Nihil clarius verbis Asconii Pediani ad Cic. Verrin. I, cap. 9: « Namque quum in rem aliquam agerent litigatores, et pœna se sacramenti peterent, poscebant judicem, qui dabatur post trigesimum diem, quo dato deinde inter se perendinum diem, ut ad judicium venirent, denuntiabant, quo quum esset ventum, antequam caussa ageretur, quasi per indicem rem exponebant ». Patet, sacramento se petiisse litigatores, quum in rem agerent (ergo in actionibus in rem), antequam judex pedaneus daretur, i. e. post manus consertionem; nam si illa vis simulata post sacramentum interpositum fieri fuisset solita, eam hic non præteriisset Asconius.

(4) Vid. Cl. Grævium ad h. l.

(5) Vide Brisson. de Form. lib. V, cap. 22, pag. 358, et Sigon. de Judic. lib. I, cap. 21, pag. 465, quem seqnitur Heinecc. Antiq. Rom. lib. IV, tit. 6, § 25, in f.

(6) Observ. lib. V, cap. 33.

tonius Augustinus (1), Petrus Faber Arvernus (2), Franciscus Connanus (3), et omnium latissime Cel. Abrahamus *Wieling* (4). Quorsum autem hæc formula pertineat, quando et a quo in vindicatione adhibita fuerit, in tanta antiquitatis caligine, et monumentorum inopia (quum illa formula nobis aliunde, quod sciam, non innotuit, nisi ex hoc solo loco), difficile dictu videtur. Partem fecisse illam manuum consertionis, simile veri est.

Mulieres omnes, etc. Hac de re totis dissertationibus egerunt Ampl. Everhardus *Otto* (5), et Cel. Joannes Gottlieb Heineccius (6), quorum dicta repetere mei non est instituti (7).

Genera tutorum, etc. Non una de his tutoribus, qui in mulierum erant potestate, eruditorum fuit sententia (8); quippe JCtos exagitans Cicero ironiis suis ita omnia auxit, detorsit, alienisque caussis attribuit, ut Delphico natatore opus sit, qui rei, fallaciis obtectæ et immersæ, veritatem detegat, atque fundo extrahat. In hanc opinionem jam fere omnes consentiunt (9). Mariti, in quorum manum uxores

(1) Emend. et Opin. lib. II, cap. 2, in f. (tom. IV Thes. Jur. Civ. Otton. pag. 1472).

(2) Comm. ad Cic. Acad. lib. I, cap. 3.

(3) Comment. Jur. Civ. lib. VII, cap. 3.

(4) Lect. Jur. Civ. lib. I, cap. 3. Conferri quoque possunt, quos ille magno numero laudat, Connanum præteriens, qui eleganter, ut pleraque, hoc argumentum pertractavit.

(5) In Dissertat. de perpetua feminarum tutela.

(6) In Exercitatione de marito tutore et curatore uxoris legitimo, cap. præsertim primo. (Est in opusculorum variorum Sylloge XXIV, p. 811 seqq.)

(7) Vide quoque Rævardum Variorum lib. I, cap. 10; Jos. Fern. *de Retes*, lib. I Miscell. cap. 5 (tom. VI Thes. Ampl. Meermanni, pag. 37). Magnum Schulting. ad Ulpiani fragmenta, tit. XI, § 1, pag. 594 (Jurisp. Antej.), et § 18, pag. 600.

(8) Varias opiniones percenset Ampl. Otto, d. l. § 16, p. 215 seqq.

(9) Hæc verisimillima conjectura maximo JCtorum debetur, qui eam primus proposuit Observ. lib. VII, cap. 11.

convenerant, quorumque adeo in potestate erant patria, iis testamento tutores dabant, qui, ne feminis nimium graves essent, indulgentes mariti conjugibus suis testamento facultatem permittebant, quem vellent, tutorem eligendi, ita ut is, illarum arbitrio constitutus, severum haud indueret « Catonem, Tutorisve supercilium, patruive rigorem ».

Senes ad coemptiones faciendas. Si ex omni antiquitate nullum esse locum dixero, qui tot controversiis occasionem dederit, quam hic Tullii ex oratione pro Murena, nihil, quod a veritate alienum sit, affirmaturus mihi videor. Præter ceteras enim, quas aut examinavi, aut indicavi, ex hoc loco natas controversias, maxima de hac sacrorum coemptione inter summos viros orta lis est, quorum opiniones et argumenta recensere integri operis res foret. Primi ordinis eruditi, qui difficilem hanc tractarunt materiam, sunt P. Manutius, Salmasius, Gutherius (1), Gronovius (2), et qui hunc sequutus est Grævius : sed ne in nimiam molem, singula exquirendo, hoc tironis crescat specimen, simpliciter, quid putem, profitebor, præsertim quoniam post diligentem sagacemque curam Cl. Francisci Caroli Conradi (3) novi hac de re quod afferam habeo nihil, veramque laudatissimi hujus viri sententiam esse existimo, quum ait (4) : « Ut itaque, missis aliorum conjecturis, verisimilem rei tam obscuræ explicationem assequamur, videamus, quid JCtis agendum fuerit, ut, salvo jure pontificio, bona defuncti

(1) De Jure Pontif. lib. II, cap. 6 (tom. V Thes. Antiq. Rom.)

(2) De Pecunia Vet. lib. IV, cap. 7, pag. 300.

(3) In Dissertatione de Coemptionibus sacrorum interimendorum caussa factis, quæ exstat in tomo II Parergorum, in quibus antiquitates et historia juris illustrantur.

(4) D. l. § 5, pag. 154. Optime idem, § 9, pag. 161, observavit, summi in arte critica viri J. F. Gronovii sententiam pugnare cum principe juris nostri regula, « qui hæres est, hæres manet ». L. 7, § 10, in f. π. de Minor. l. 88, in f. π. de hær. inst.

patrisfamilias sine sacrorum onere possent ad hæredem pervenire; et apparet, inveniendum fuisse modum, quo bona ad hæredem non viderentur pervenisse morte testatoris. Hoc vero commenti genus utique procedebat, siquidem in posterum alius et ab hæredis persona diversus adhiberetur familiæ emptor; is dicis caussa, et addita sacra lege, ut ille, qui in tabulis clausis scriptus esset, bona consequeretur, hæreditatem ære et libra sibi compararet. Ad hunc familiæ mancipem quum bona testatoris morte pervenissent, auctores erant JCti, ut hæres in tabulis scriptus, si molestia sacrorum adstringi nollet, pecuniam, sive res, quæ essent in hæreditate, sibi ab emptore familiæ stipularetur, ac deinde ex stipulatione acciperet : quo vero fiebat, ut totum sacrorum onus maneret apud imaginarium hæredem, familiæ mancipem, qui quidem adhibitus erat senex orbus, capularis, et de hærede sibi exstituro parum sollicitus, qui certa pecunia ad impensam ferendam accepta, et lucello aliquo adspersus, sacra testatoris familiaria, secum interitura, administraret». Huic egregii viri sententiæ, quam plenis ideo verbis appingere malui, lubens subscribo, eamque omni ex parte defendendam suscipio.

Putarunt omnes mulieres, *etc.* Vix quisquam est, ut reor, qui in Ciceronis, quæ jam adscripsi, verbis omnem dolum (bonum, siquis velit), abesse affirmet. Si tamen inveniatur, hanc certe de mulierum coemptionem facientium nomine ironiam culpa absolvere omnino non poterit. Noverat ille procul dubio, quænam de hujus consuetudinis ratione (quam temporis jam aboleverat antiquitas), sua ætate disputarent homines eruditi. Quanto rectius, quanto magis ingenue Plutarchus illius nominis primam originem explorat (1)? Optima hæc videtur ratio : Τοῖς δὲ ὀνόμασι τούτοις (Γαΐος, Γαΐα), ἄλλως κέχρηνται κοινοῖς οὖσιν, ὥσπερ οἱ νομικοὶ Γαΐον, Σήϊον, καὶ Λούκιον Τίτιον, καὶ οἱ φιλόσοφοι Δίωνα καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσιν (2).

(1) Quæst. Rom. tom. II Opp. pag. 271, E.

(2) Vide Brisson. de R. N. pag. 73 (Opp. Min. pag. 326); Ant. Hotman.

Judicet præterea, obsecro, attentus lector, num, quod probandum suscipit, probet orator; æquitatem enim quomodo in innocentissimo hoc exemplo reliquerint JCti, non video. Si tamen, ut æquum est, Tullio parcere velimus, non sine ratione verebimur cum Grævio, « ne multis centonibus hic locus sit inquinatus ».

Statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum. Candorem hic tuum, Tulli! requiro. Non jurisconsultos accuses, sed illas XII tabulas, quas per Crassi personam omnium philosophorum libris ac bibliothecis præfers. Reperies ibi (1). SI QVID HORVM FVAT VNVM, IVDICI ARBITROVE REOVE, EO DIE DIFENSVS ESTO; et in alia Tabula (2): SI IVDEX ARBITERVE, IVRE DATVS, OB REM DICENDAM PECVNIAM ACEPSIT, CAPITAL ESTO; item: SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, PRÆTOR REI SIVE STLITIS ARBITROS TRIS DATO (3). Scilicet credere (4) quis posset, gravem aliquam inter JCtos agitatam fuisse controversiam, utrum *diem tertium*, an *perendinum*; *rem*, an *litem*; *judicem*, an *arbitrum* dici oporteret. Erraret is a via quam longissime, at erraret Tulliana δεινότητι delusus: irridet enim Cicero morem JCtorum, voces has fere ἰσοδυνάμους (5) conjungendi; « I. D. T. S. P. A. (6) in diem ter-

de Vet. R. N. pag. 283, et Ampl. D. *van Alphen*, urbis patriæ tribunali ab actis, Dissertat. ad Scævolæ fragmentum parte II, cap. 2, § 34, p. 125.

(1) Tab. II. Vide Jac. Gothof. Quat. Fontes J. Civ. pag. 57.

(2) Tab. IX Gothof. pag. 140.

(3) Tab. XII Gothof. pag. 158.

(4) In hac opinione, inter alios, versari videtur Brisson. de Formul. lib. V, cap. 3, pag. 349, et de V. S. voc. *arbiter* et voc. *res*. Prudentius de Formul. lib. V, cap. 5, pag. 351, ait: « Unde Cicero occasionem seu maledicti, seu joci arripuit, etc. »

(5) Fere ἰσοδυνάμους inquàm, quia quæ plerumque pro synonymis habentur, aliquo tamen discrimine secerni in Græcis ostenderunt Ammonius et Eranius Philo; in Latinis post vett. Gramm. Ausonius Popma et alii. Qui exemplum e re præsenti petitum velit adeat Brissonium de V. S. in v. *arbiter*, et quid inter *judicem*, *arbitrum*que intersit patebit.

(6) Apud Valer. Prob. cap. 24, tantum est I. D. T. S. P. sed hic (vocem

tium sive perendinum adeste; J. A. V. R. S. L. Æ. D. (1) judicem arbitrumve rei sive liti æstimandæ dabo; J. A. V. P. U. D. judicem arbitrumve postulo uti des » : sed an hoc JCtorum, an romanorum, an omnium, qui legibus utuntur, populorum crimen est? Hanc quidem peritorum consuetudinem ex ipsis Legg. XII Tabb. originem duxisse, paulo supra posita fragmenta ostendunt. Est autem omnium fere legislatorum mos, ne per fallaces interpretationes leges suæ eludantur, omnes voces synonymas (2) ita conjungere, ut nullis argutiis, nullis calumniis, earum verbis vis fieri queat; et præterea fatendum ex ipso gentis genio hanc JCtorum consuetudinem fuisse ortam, quandoquidem Romani anxiam admodum in omnium negotiorum formulis concipiendis adhibuerunt curam, neque adeo mirandum, hanc curam in legibus condendis, atque in illarum interpretatione, præcipue fuisse adhibitam. Bina tantum exempla adscribendi detur venia; unum ex SCto *de Bacchanalibus* petitum (3), ubi in medio hæc sunt verba : NEQVE. VIRVM. NEVE. MVLIEREM. QVIQVAM. FECISE. VELET. NEVE. POSTHAC. INTER. SED. CONJOVRAVISE. VELET. COMVOVISE. NEVE. CONSPONDISE. NEVE. COMPROMISISE. VELET. NEVE. QVISQVAM. FIDEM. INTER. SED. DEDISE. VELET. Alterum ex lege Quinctia *de Aquæductibus* (4) : QVICVNQVE. POST. HANC. LEGEM.

adeste addens), et supra, in siglis formandis meo qualicumque egi arbitratu, quum exempla modo, ex rei indole petita, essent proponenda.

(1) Apud Valer. cap. 1 et cap. 24, est « A. L. Æ. arbitrium litis æstimandæ. A. L. E. arbitrium liti examinandæ, vel existimandæ ».

(2) L. 27, § 16, π. ad L. Aquil.

(3) Exstat in Livii editionibus recentioribus ad ann. U. C. 561. Lib. XXXIX, cap. 18, ante Ciceronem editionis Gronovianæ, et in Terrassonii Monumentis veteris Jurisprudentiæ romanæ, subjectis Historiæ Jurispr. Rom. gallice scriptæ, pag. 3.

(4) Petita hæc lex est ex Frontino de Aquæductibus lib. II, et exhibetur a Terrassonio d. l. pag. 15.

ROGATAM. RIVOS. SPECVS. FORNICES. FISTVLAS. TVBVLOS. CASTELLA. LACVS. AQVARVM. PVBLICARVM. QVAE. AD. VRBEM. DVCVNTVR. EARVMVE. QVAM. SCIENS. DOLO. MALO. FORAVERIT. RVPERIT. FORANDA. RVMPENDAVE. CVRAVERIT. PEIOREMVE. FECERIT. QVOMINVS. EAE. AQVAE. EARVMVE. QVA. IN. VRBEM. ROMAM. IRE. CADERE. FLVERE. PERVENIRE. DVCI. POSSINT. QVOVE. MINVS. IN. VRBE.ROMA. ET. IN. IIS. AEDIFICIIS. QVAE. VRBI. CONTINENTIA. SVNT. ERVNT. IN. HIS. HORTIS. PRAEDIIS. LOCIS. QVORVM. HORTORVM. PRAEDIORVM. LOCORVM. DOMINIS. POSSESSORIBVSVE. AQVA. DATA. VEL. ADTRIBVTA. EST. VEL. ERIT. VT. SALIAT. DISTRIBVATVR. DIVIDATVR. IN. CASTELLA. LACVS. IMMITTATVR. IS. P. R. C. MILLIA. DARE. DAMNAS. ESTO. etc. Huic profecto SCto scribendo, huic legi ferendæ, præfuerunt fraudulenti isti formularum cantores, qui dubitarunt, utrum *compromittere*, an *conspondere*, an *fidem dare*, *fistulas* an *tubulos*, *cadere* an *fluere*, *pervenire* an *duci*, *hortos* an *prædia*, dicendum foret. Sciebas, Marce optime, sciebas non optima fide illam te culpam JCtis exprobrare, quam et tuam et totius tuæ reip. esse omnes agnoscunt. Si ita agier oportet, oratorias etiam tuas συνωνυμίας atque ἐξεργασίας irrideamus. «Quemadmodum discessu meo, ais (1), frugum inopia, fames, vastitas, cædes, incendia, rapinæ, scelerum impunitas, fuga, formido, discordia fuisset, sic reditu meo ubertas agrorum, frugum copia, spes otii, tranquillitas animorum, judicia, leges, concordia populi, senatus auctoritas, mecum simul reducta videantur; sive egomet aliquid adventu meo, consilio, auctoritate, diligentia, pro tanto beneficio, P. R. præstare debui, præsto, promitto, spondeo». Dubitas nimirum, hominum facundissime, num *frugum inopia* an *fames*, *vastitas* an *cædes*, *ubertas* an *frugum copia*, *otium* an *tranquillitas*, *promitto* an *spondeo* dici oporteat! Lepidissime cautos istos legum peritos comedendos et deridendos om-

(1) Exemplum hoc, ex pluribus electum, est in oratione pro Domo, cap. 7, in f.

nibus propinas, et ipse, patria pleraque (1) tua instituta ei, quam tibi fingis, reipublicæ edens non perituro insculpta marmori, misellorum istorum morem sequeris (2). Quin Tulli! JCtos vituperans pravam ipse consuetudinem deseras, et, ut vetus est dictum, « Ex vitio alterius sapiens emendes tuum ». Sed nimium properare, et messi, dum in herba est, falcem me immittere animadverto. Ciceronis enim in hac caussa auctoritatem exactius mihi perpendendam proposui capite sequenti, ad quod jam progredior.

CAPUT SECUNDUM.

Quæritur primo, sitne Cicero in JCtorum numerum referendus? A definitione JCti tota pendet controversia; nam, ut post Democritum (3) optime Noster (4) ait « nisi inter eos, qui disceptant, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec umquam ad exitum perveniri potest». Cl. Schultingius quippe, scientiam juris naturalis et publici, qua romanus philosophus (legem divinam Philosophia complectitur) excelluit, magno opere prædicans (5), illum, opinor, sibi in Tullio JCtum effinxit, qualis describitur ab Ulpiano (6), « boni et æqui sacerdos, justitiam colens, æquum

(1) Testatur hoc ipse Cicero de Legg. lib. II, cap. 10.

(2) Jungit quippe (de Legg. lib. II, c. 8 seqq.) « ad eam rem et rationem, decoræ gratæque hostiæ, injusta, nefasta, vitiosa, et dira, irrita et infesta (lib. III, cap. 3), soboles et familias, etc. »

(3) Apud Sext. Empir. lib. VII, adv. Mathem. § 135, pag. 399.

(4) In Oratore ad Brutum, cap. 33, junge de Offic. lib. I, cap. 2, in fin. de Fin. lib. II, cap. 2.

(5) D. l. pag. 265 seqq.

(6) L. 1, § 1, π. de J. et Jure. Similiter Connanus Comm. Jur. Civ. lib. I, cap. 15: « Si JCtum recte definire velimus, non alium esse dicemus, quam virum bonum juris æquitatisque constituendæ idoneum ».

ab iniquo separans, licitum ab illicito discernens, bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupiens, veram philosophiam, non simulatam, affectans ». Ast Ill. Præses, et qui cum illo sentiunt, eam oratori doctissimo juris peritiam fuisse negant, ut in illum convenerit definitio, qua ipse, sub Antonii larva, JCtorum muneri hos posuit terminos: « Id faciam, inquit(1), quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo; ut, quid illud sit, de quo disputetur, explanetur, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, quo de agitur, intelligent... Sin autem quæreretur, quisnam jurisconsultus vere nominaretur; eum dicerem, qui legum et consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cavendum, peritus esset, et ex eo genere Sex. Ælium, M'. Manilium, P. Mucium nominarem ». Hunc, ni fallor, in nostra quæstione JCtum intelligere oportet, quia agitur de jurisperito, qui majorem legum et consuetudinum patriarum scientiam acquisivit, quam ut orator et patronus solummodo dici possit; sin talis intelligitur, cum Bynkershœkio plane sentio; etenim, etiamsi Cicero inter necessarias oratori dotes juris civilis notitiam (2) desideret, et « numquam (3) ita se ad dicendum dederit, ut jus civile contemneret », abunde tamen ex iis, quæ Antonium (4) disputantem inducit, apparet, eum sic sensisse, « juris civilis neque omittendum esse studium oratori, nec penitus appetendum »; nam (ut ait, antiquæ elegantiæ idoneus imitator (5), Julius Severianus), « nec rudis esse debet orator,

(1) De Oratore, lib. I, cap. 48.

(2) Bruto, cap. 93, quibus junge, quæ Crassus disputat de Orat. lib. I, cap. 36 seqq. item de Inventione, lib. I, cap. 5. Schulting. d. l. p. 247.

(3) De Legg. lib. I, cap. 4.

(4) De Orat. lib. I, cap. 55 seqq.

(5) In Prooemio ad Desiderium, præmisso Syntomatibus, sive Præceptis

et, si se multum juris scientiæ dederit, plurimum de cultu orationis atque impetu amittet». Præter ista, unum tantum annum Q. Scævolæ operam dedit (1), et postea ita se foro et *ambitioni* (2) addixit, ut nullum, nisi *subsecivas aliquas horas* (3), reliquum tempus haberet, quod philosophiæ studio impenderet. Quid multa? Humiliores juris partes, de quibus nihilo minus populo respondendum erat, ipse se contemnere (4) profitetur, et alibi ait (5): «Nihil hoc ad jus; ad Ciceronem, inquiebat Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quæreretur». De jure interrogabantur periti, de facto oratores, ad quos omnes controversiæ «ab iis, quorum negotium erat, consultæ et exquisitæ (6) deferebantur»; et hac de re, ut in Augurali, sic etiam in civili prudentia, «quæ una cum populo didicerat (7), quæque sæpe in concionibus responsa erant», ita noverat, ut «in jure civili (8), præsertim, quum in caussis, et in negotiis, et in foro contereretur, satis instructus esse potuerit, ad hoc duntaxat, ne in patria sua peregrinus atque advena esse videretur» (9).

artis rhetoricæ summatim collectis. Exstat pag. 302 seqq. inter Rhetores Latinos editos a F. Pithœo.

(1) Colligitur hoc ex Bruto, cap. 89: nam ait: «Consequenti anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat. Ego autem juris civilis studio multum operæ dabam, etc.» mox addit: «Huic anno proximus, Sulla consule et Pompeio, fuit... eodemque tempore totum me Philoni, Academiæ principi, tradidi».

(2) Acad. lib. I, cap. 3; de Orat. lib. I, cap. 1; ad Att. lib. I, ep. 10.

(3) De Legg. lib. I, cap. 3.

(4) Ibid. lib. I, cap. 4.

(5) Topic. cap. 12.

(6) De Oratore, lib. I, cap. 58.

(7) Pro Domo, cap. 15.

(8) De Orat. d. l.

(9) Quis præterea miretur, virum ingeniosum, etiamsi legum prorsus antea imperitum, nonnihil ex jure civili addidicisse, postquam et prætor repetundis pecuniis fuisset, magnamque provinciam pro consule administrasset.

Verumtamen non est, quod dicat Ampl. Bynkershoek, Tullium (1) « profecto JCtum esse vel haberi noluisse, si hunc ipsum, satis alioquin plenum sui, interrogemus testem »: capax namque ingenium omnia studia complecti, et uno quasi vinculo copulare avebat. Eloquentiæ, doctrinæ, et poetices laudem consequutus, historiam suæ (2) patriæ contexere in animum induxit, et, ne quid scientiarum orbi deesset, geographica (3), dialectica (4), et de sacro jure commentarium (5), scribere instituit. Unum restabat jus civile. Illam sibi pariter gloriam vindicandi vehementi desiderio flagrabat Cicero, et, si bene Quintilianum (6) intelligamus, de hac quoque arte librum inchoavit. Verum, quum varii, sive publici, sive privati, labores, satis ad id otii vix concederent, res intra propositum stetit. « Ego ætatis (7) vacationi confidebam, quum præsertim non recusarem, quo minus more patrio, sedens in solio, consulentibus responderem, senectutisque non inertis grato

(1) Opusc. pag. 85.

(2) De Legg. lib. I, cap. 2; Plut. pag. 881, D. junge ad Att. lib. II, ep. 8; lib. XVI, ep. 13.

(3) Ad Attic. lib. II, epist. 4.

(4) Topic. cap. 2.

(5) De Auguriis scilicet, cujus libri paucula verba supersunt apud Charisium; vide Fragm. Cicer. pag. 1412, edit. Gronov. Antea se in jure augurum scrutando minime curiosum fuisse dixerat; pro Domo, cap. 15. Junge ad Div. lib. III, ep. 9 et 11; Schult. de Jurispr. Cic. pag. 266.

(6) Lib. XII, cap. 3, pag. 1067: « M. Tullius non modo inter agendum numquam est destitutus scientia juris, sed etiam componere aliqua de eo cœperat ». Turnebus ista de libris de Legibus et de Rep. interpretatur (ad Quint. d. l.) et testatur (in fine argumenti librorum de Legibus) priores hos in codice MS inscriptos fuisse, « M. Tullii Ciceronis liber de jurè civili et legibus »; sed rectius (ibidem) ait, Quintilianum potius sensisse de libro de jure civili in artem redigendo, quem testem adducit Gell. lib. I, cap. 22: nam jus civile nondum in ordinem fuisse redactum sæpius queritur Tullius. Vide Schult. pag. 279; Bynkersh. pag. 88; Bacchium Hist. Jur. lib. II, cap. 2, sect. 4, pag. 248.

(7) De Legg. lib. I, cap. 3.

atque honesto fungerer munere»; at, non idoneam sibi huic respondendi cavendique muneri scientiam esse, optime noverat: «Quam ob rem (1), quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum jure? aut ut stipulationum et judiciorum formulas componam?» Alia in oratore, alia in jurisconsulto, stricte sic dicto, peritia requirebatur, aut testis est Tullianus Crassus (2). «Senectuti vero celebrandæ et ornandæ quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium jam ab adolescentia comparavi, non solum ad caussarum usum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, ut, quum me vires (quod fere jam tempus adventat), deficere cœpissent, ista ab solitudine domum meam vindicarem (3)».

Quum igitur Servius, cujus in scribendo «elegantiæ et subtilitati se facile cedere, nec hoc εἰρωνευόμενος», dicebat (4) Marcus noster, juris illi peritia antecelleret, quidam contra jus civile et omnes JCtos stomachus ei motus videtur (5); nam, ut, mox demonstrare conabor, non adversus solum Sulpicium, ipso adversario judice criminis innocentem, sed contra universum JCtorum ordinem, totamque jurisprudentiam, instructa fuit ista, quam evertere studemus, machina. Si quis autem dubitet, an re vera alibi quoque justi-

(1) De Legg. lib. I, cap. 4.

(2) De Orat. lib. I, cap. 45.

(3) Multa præterea, ut Ciceronem jurisconsultum, stricte sic dictum, fuisse probent, afferunt VV. DD. ut e. c. quod a cœna rediens Trebatio, qui inter scyphos illi illuserat, et nullum JCtum dixerat scripsisse, «quod furtum antea factum esset, furti recte agere posse hæredem», tribus statim auctoritatibus dicta sua, licet bene potus, probarit (ad Div. lib. VII, epist. 22); vide Schult. p. 282. Sed quis, vel mediocriter in scientia aliqua versatus, ubi quid scitu opus sit, in libris, instructæ præsertim bibliothecæ, exquirere illud nequeat? Consummata certe peritia minime, ut id possit, necessaria videtur.

(4) Ad Div. lib. IV, epist. 4.

(5) «Itaque, si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me jurisconsultum esse profitebor», pro Murena, cap. 13.

tiæ æquitatisque sacerdotibus iniquior fuerit homo urbanitatis amans, perpendat pauca hæc ex multis exempla: « Jurisconsulti (1) sive erroris objiciundi caussa, quo plura et difficiliora scire videantur, sive, quod similius veri est, ignoratione docendi... sæpe quod positum est in una cognitione id in infinita dispartiuntur »; quibus verbis addi possunt, quæ in Scævolas ibidem sunt dicta, quæque capite hujus speciminis quinto exactius tractabimus. Hos etiam in secundo de Oratore libro perstringit, quum sub Antonii persona ait (2): « istam oscitantem et dormitantem sapientiam Scævolarum et ceterorum beatorum otio concedamus »: neque aculeo carent, quæ idem Antonius, audiente ipso Q. Mucio pontifice, in L. Crassi Tusculano disputabat, quamvis hujus Crassi sermo Antonii dictis quoddam quasi ἀντίδοτον additum esse videatur. Callide scilicet id egit Cicero, ut juris quidem notitiam oratori necessariam esse ostenderet, sic tamen, ut legum petitia per se spectata humilis tenuisque scientia, atque facultatis oratoriæ pedissequa, dumtaxat habenda foret: « Ita (3) et tibi jurisconsultus ipse per se nihil, nisi leguleius quidam cautus et acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum ».

Ut autem hæc pro Murena oratio omnes criminationes complectitur, quas umquam JCtis exprobravit Tullius, ita etiam iste de jurisprudentiæ dignitate detrahendi conatus præcipuus ejus loci, quem tractamus, fuit finis: « Itaque dignitas in ista scientia consularis numquam fuit, quæ tota ex rebus fictis commentitiisque constaret »; et mox: « dicendi consuetudo longe et multum isti vestræ exercitationi ad honorem antecellit ». In primo de Legibus (4) libro dicitur, « quid tam exiguum, quam est munus hoc eorum qui consuluntur »; eadem in hac satyra repetuntur: « tenuis est

(1) De Legg. lib. II, cap. 19.
(2) De Orat. lib. II, cap. 33.
(3) Ibid. lib. I, cap. 55.
(4) Lib. I, cap. 4.

scientia, res sunt parvæ, prope in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatæ ». In responsis suis, quæ editis libris posteritati conservabant prudentes, nomina consulentium addebant, ne forsan fictas caussas agere, et inanem operam jactare viderentur. Morem hunc reprehendit orator : « Perpetui (1) juris, et universi generis quæstio, non hominum nomina, sed rationem dicendi, et argumentorum fontes desiderat : in quo etiam isti nos jurisconsulti impediunt, a discendoque deterrent. Video enim in Catonis et Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de jure viro aut mulieri responderint; credo, ut putaremus, in hominibus, non in re, consultationis, aut dubitationis caussam aliquam fuisse ». Eadem in nostra oratione est reprehensio : « In omni denique jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt; ut, quia in alicujus libris, exempli caussa, id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Caias vocari ». Innocui ridentur judices pedanei, quia certis formulis, minus forte necessariis, in sententiis suis utebantur. « Frustra (2) judices solent, quum sententiam pronuntiant, addere, si quid mei judicii est; si enim non fuit eorum judicii, nihilo magis, hoc non addito, illud est judicatum, quod judicat sensus». Eadem JCtorum in respondendo hic est culpa : « Neque tamen quidquam, tam anguste scriptum est, quo ego non possim, qua de re agitur, addere (3) ». Ex quibus locis quum constet, nullam occasionem legum peritos arguendi

(1) De Orat. lib. II, cap. 33.

(2) De Fin. lib. II, cap. 12.

(3) Similia plura colligi possent. Facilem scientiam esse jurisprudentiam persuadere conabatur. (Vide Cl. Schult. de Jur. Cic. pag. 253.) « Si esset ista cognitio juris magna ac difficilis, etc. » Item : « Omnia sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congressione hominum atque in foro, etc. » de Orat. lib. I, cap. 41 et 43. Eadem in nostra oratione habentur : « Difficilis autem res ideo non putatur, quod et perpaucis et minime obscuris literis continetur, etc. »

amisisse Tullium, quid de hac oratione, in qua omnes istæ accusationes una quasi tabella sunt comprehensæ, statuendum sit, facile apparet.

Sin tandem ad ipsam judicii quæstionem attendamus, tota Tullii ratio clarissime elucet. Ambitus crimine postulabatur Murena. Quæstio igitur erat, num largitionibus populum corrupisset? sed accusatores ita suam accusationem instituerant, ut tres essent ejus partes, quarum una in reprehensione vitæ a reo actæ, altera in contentione dignitatis, tertia in criminibus ambitus versaretur. Contra viros summos atque integerrimos caussa dicenda, omniaque nobilitatis virtutisque ornamenta Servio, qui una cum Murena consulatum petierat, concedenda erant. Nihil restabat, nisi sola de dignitate et meritorum magnitudine contentio. In hac jurisprudentiæ et militaris artis comparatione periti probabili colore irrideri poterant, et, ut Catonis auctoritas minueretur, stoica philosophia, cui parum favebat orator, commode exagitari (1). Optatam tamdiu explendi animi occasionem arripuit patronus callidus. Ridicule et stomachose totum jus civile elevavit, ac, licet objectis criminibus Sulpicium minime affinem esse novisset, hunc nihilo secius aliquo sale adspergendum putavit. Brutum alicubi dicentem fecit : «Quum ex (2) tua oratione mihi videor bene Crassum et Scævolam cognovisse, tum de te et de Ser. Sulpicio cogitans, esse quamdam vobis cum illis similitudinem judico». Jam vero Curii caussam contra Scævolam (3) familiarem

(1) Vide Cl. Schult. de Jurispr. Cic. pag. 251.

(2) In Bruto, cap. 40.

(3) De Orat. lib. II, cap. 54. Pulchram in Bruto, cap. 53, de oratione, quam Crassus habuit, nobis narrationem reliquit Cicero. Multa Scævola, qui strictum jus, et testamenti ipsa verba tuebatur, de conservando jure civili disseruerat : at Crassus, æquitatem defendens, ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem ædificare navem concupivisset, exorsus est ; similiterque Scævolam ex uno scalmo captionis centumvirale judicium hereditatis effecisse dixit. Vid. orat. pro Cæcina, cap. 18.

suum ita egerat Crassus, ut tota redundaret hilaritate quadam et joco, illoque facetiarum genere, in quo nulli aculei contumeliæ inerant, disputationem illam luderet, atque eo modo adversarii dignitati parceret. Hoc sibi magni oratoris exemplum pari casu imitandum putavit Cicero, ac Servium Catonemque lepidis dictis sic pupugit (1), ut non ipsorum, sed ejus, quod sequerentur, scientiæ generis, res agi videretur; ubi ab altera parte illud consilium intendebat, ut (quod semper (2) in orationibus studebat) coronam delectaret, atque judicum animos laxaret, et a severitate ad hilaritatem risumque traduceret. Omni suo artificio hac in caussa usus est, omnesque oratorias fallacias adhibuit, Hortensium, sibi in Murenæ defensione socium, superare tanto studio conatus, ut vigiliis et meditatione confectus inferior æmulo esse videretur (3).

His ergo rationibus perpensis, quas ex ipsius potissimum Tullii scriptis plerasque duximus, quis demum, veritati æquitatique non prorsus inimicus, JCtis ex ista oratoris satyra immeritam culpam impingat, quasi mortalium fuissent ambitiosissimi, iniquissimi, crudelissimi, ac jurisprudentiæ romanæ unicus hic fuisset finis, ut miseræ plebis, variis formulis et solemnitatibus irretitæ, bona, fortunæ, facultates, honores, ad patricios callidosque peritos, tamquam in communem voraginem, confluerent? Tanta nimirum in testimonio adversarii est auctoritas! Equidem mirari satis non possum doctissimorum virorum, quam Ciceroni habent, fidem; nam, etiamsi demus nullam illi voluntatem fuisse prudentes et Sulpicium carpendi aut irridendi, an oratori, an homini erroribus obnoxio, eo usque credendum est, ut protinus omnia ejus verba, velut totidem veridici Apollinis oracula, accipiantur, et universo severissimorum hominum

(1) Quintil. Inst. Orat. lib. XI, cap. 1, pag. 976.

(2) Idem lib. XII, cap. 10, pag. 1097.

(3) Plut. tom. I, pag. 878, D.

ordini, propter solius hujus viri accusationem nullo teste probatam, turpissimæ infamiæ nota inuratur, illudque præsertim, quum pateat falsum esse totum crimen, et adversus innocentes confictum, ipsumque accusatorem alio tempore plane contraria dixisse, ac denique eum facti sui et pœnituisse, et puduisse?

Omnia hæc singulatim confirmabo; sed antea, ne nihil agere et cum larvis pugnare videar, paucis disceptare liceat, utrum vere dixerit Cl. Schultingius(1), contra jurisperitos, veterum superstitionum tenaces, et talem pœnam commeritos, minime autem adversus ipsum jus civile « directam fuisse illam orationis partem »; quod si verum foret, crimina ista refellere tanti nostra non interesset: quid enim ad nos attinet, plebemne sibi, nec ne, obstrictam tenere voluerint consulti, dummodo nulla inde juri nostro labes adspersa fuerit? Sed aliter se res habet, aliudque eventus, et, quæ ex hac oratione ducuntur, argumenta docent. Et primum sumit vir Cl. quod probandum ante fuerat, ob verborum et solemnitatum curam culpandos fuisse prudentes: innocentes certe illos hac parte demonstrare annitar. Dein ipsum jus civile hac ironia appetitum fuisse, manifestum orationis consilium est argumento, qua id egit Cicero, ut jurisprudentiam præ militari arte et eloquentia abjectam esse, et tenuem scientiam ostenderet; maxime vero contra Schultingium faciunt ipsa oratoris verba: « Primum dignitas in tam tenui scientia quæ potest esse; res sunt parvæ, prope in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde, etiamsi quid apud majores nostros fuit in isto studio admirationis, id, enuntiatis vestris mysteriis, totum est contemptum et abjectum ». Ac tandem, quamvis nihil in ipso jure reprehendisset Cicero, si vel saltem ea, quæ de JCtis dicuntur, vera fuissent, actum, medius Fidius! de universa foret jurisprudentia; nam, si illi, a quibus ortum

(1) De Jurispr. Cic. pag. 251, et pag. 278.

est jus civile, homines fuerunt stulti et fraudulenti, necesse est, ut dolosa, futilis, et ridicula illa quoque sit scientia, qua, tamquam instrumento, usi fuerunt, ut suæ malitiæ et dementiæ satisfacerent. « In omni jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt ». Injusta ergo tota Romanorum est jurisprudentia, in qua sola *verba* remanserunt, æquitas est sublata; quippe, ut vere Lactantius (1), « duobus justitiæ fontibus, pietate et æquitate, immutatis, omnis virtus et omnis veritas tollitur, et ipsa justitia remigrat in cælum ».

Ne iniqua idcirco macula juri romano amplius inuratur, oratori nullam hic fidem habendam, planum facere operæ erit pretium (quod in Prolegomenis meis partim jam præcepi): « Ob nimium gloriæ amorem, atque ut facultati suæ oratoriæ frena laxaret, decorum sæpe abjecisse Tullium », testis est Plutarchus (2), qui si forte recusetur, ipse adversarius noster citari contra se potest. « Orationes, inquit (3), multitudinis judicio probari volebamus; popularis est enim illa facultas, et effectus eloquentiæ est audientium approbatio »; ac de jocis oratoriis agens (4): « Perspicitis, ait, hoc genus quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, sive habeas vere quod narrare possis, quod tamen est mendaciunculis adspergendum, sive fingas »; quæ verba si bene quis consideraverit, minime mirabitur, quod cap. II dixi, fabulam mihi videri quidquid de occultatis notis, ne actionum formulæ detegerentur, nobis narrat Cicero... Immo non tantum *mendaciuncula confingere*, sed etiam contrarias

(1) Div. Inst. lib. V, cap. 15.

(2) Tom. I, pag. 873, B.

(3) Tusc. Disp. lib. II, cap. 1.

(4) De Orat. lib. II, cap. 59. Huc etiam pertinet illud ex oratione pro Mur. cap. 9: « Atque hæc, quamquam præsente L. Lucullo loquor, tamen ne ab ipso propter periculum nostrum concessam videamur habere licentiam fingendi, publicis literis testata sunt omnia ».

ille caussas tueri, contrariarum sententiarum patrocinium suscipere nihil fuit reveritus, quoniam *sontibus opitulandum* (1), et juvenili ætati (2) *laudi dandum* esse existimabat, « etiam si in minus firmis caussis hominum periculis non deesset ». Hanc ob rem Catilinæ (3) auxiliari aliquando cogitavit, et, quum pro Scamandro, qui a Cluentio veneficii reus agebatur, antea dixisset, hunc eumdem dein Cluentium a sociis Scamandri eodem crimine accusatum defendit, veneficii culpam in Scamandrum retorquens, atque ea occasione illis verbis se excusans, quibus in Prolegomenis usi fuimus (4): « Errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illæ orationes caussarum et temporum sunt, non hominum ipsorum, ac patronorum; nam, si caussæ ipsæ pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem; nunc adhibemur, ut ea dicamus, non quæ nostra auctoritate constituantur, sed quæ ex re ipsa

(1) Ad Div. lib. IV, ep. 13, § 10.

(2) Pro Cluentio, cap. 19.

(3) Ad Attic. lib. I, ep. 2, qua cum conf. est orat. pro Cœlio, cap. 6, in f. « Dixit Cicero pro Gabinio et P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos orationes etiam scripserat ». Quintil. Inst. Orat. lib. XI, c. 1, p. 977. Conf. Val. Max. lib. IV, cap. 2, ex. 4.

(4) § IV in fin. Enumeraverat in quadam sua oratione Cicero judicia, in quibus pecunia versata fuerat, atque inter ea judicium Junianum, quo damnatus fuerat Oppianicus, quodque a Cluentio corruptum ferebatur. Contrarium jam illi defendendum erat. « Difficilior ei ratio in judicio Cluentiano fuit, quum Scamandrum necesse haberet dicere nocentem, cujus egerat caussam. » Quintil. d. l. Omnino conferenda sunt, quæ de eodem judicio Cluentiano, et C. Fidiculanio Falcula, habentur pro Cæcina, cap. 10, in f. et pro Cluentio, cap. 37, atque de oratoris fide constabit. Hæc etiam Ciceronis verba adde (de Orat. lib. II, cap. 7): « Oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur: nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quæ nescimus ipsi. Itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt, et judicant, et nos contrarias sæpe caussas dicimus, non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum; quum alterutri necesse sit falsum dicere; sed etiam ut uterque nostrum eadem de re alias aliud defendat,

caussaque ducantur». Paucis hæc complectitur Asconius (1): «Frustra, inquit, calumniantur Ciceronem homines, et modo eum sestertium millies dicunt repetere, modo quadringenties... Cur id fraudi sit Ciceroni, quum ad tempus oratorum dicta proferantur?» Lepidam ex Chæronensi philosopho historiam hic adjungere fas sit: «Quum (2) Numatii aliquando caussam egisset *Noster*, isque judicum sententiis absolutus postea, Tullii familiarem, Sabinum accusaret, ita hic excanduisse dicitur, ut in ista verba eruperit: Tu scilicet, Numati! illo te crimine tua opera tuaque liberasti innocentia, non quod ego multam caliginem tribunalis offuderim lumini! Idem (pergit Plutarchus), M. Crassum multis magnisque laudibus pro rostris ornaverat; mox, paucis interjectis diebus, illi quum illuderet, dixit hic: Ain' vero? tune iste homo es, qui me haud ita pridem ex hoc ipso loco magnifice laudasti? Recte (respondit orator)! turpe nimirum, exercitii et commentandi gratia, argumentum declamitans».

Quam brevissime potui, nonnulla argumenta proposui, quibus constet, quantum ponderis habeat Tullii, ut oratoris, testimonium. Huic vero in JCtos ironiæ eo minus credendum est, quod a Sulpicio, qui jurisprudentiæ dignitatem copiose ornateque prædicaverat, provocatus in certamen videretur? ipse autem fatebatur (3), «sæpe se aliquid dicere, non studio adductum, sed contentione dicendi aut lacessi-

quum plus uno verum esse non possit. Ut igitur in ejusmodi re, quæ mendacio nixa sit, quæ ad scientiam non sæpe perveniat, quæ opiniones hominum et sæpe errores aucupetur, ita dicam, si caussam putatis esse, cur audiatis». Verissima hæc profecto sunt verba: idem enim is Crassus, qui in Curii caussa æquitatem contra Scævolam defenderat, in Oratæ caussa strictum jus ursit, et Antonius æquitatem fuit tuitus. De Offic. lib. III, cap. 16.

(1) Ad Divin. in Cæcil. cap. 5, in f.

(2) Tom. I, pag. 873, C.

(3) Pro Plancio, cap. 14. «Faciunt, quod viri fortissimi solent, læsi dolent, irati efferuntur, pugnant lacessiti»; pro Cœlio, cap. 9.

tum ». Nunc videamus, utrum Ciceroni, tamquam homini erroribus obnoxio, sine ullo veritatis examine fidem habere oporteat. Equidem, quam excelse de summo viro sentiam, ex iis, quæ antea scripsi, manifestum esse reor, nec sine ratione dixisse Lactantium (1): « quis veram viam teneat, errante Cicerone ». Homo tamen fuit, humanaque sorte minime major: etenim omnes (2) *ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus*, et, quum *cujusvis* (3) *hominis est errare*, ea nostra est *natura* (4), ut *nos noster delectet error*. In variis certe libris, quos *plures scripsit quam quisquam e Romanis* (5), non tantum errare potuit, sed etiam erravit. Plura ejus peccata animadverterunt viri magni, Muretus (6), Petitus (7), Vossius (8), Perizonius (9). Pauca nos addamus exempla.

Ex duabus contrariis sententiis alteram saltem falsam esse oportet. Jam ista inveniuntur in libris de Inventione (10): « Neque enim putavit (Zeuxis) omnia, quæ quæreret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse; ideo quod nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expolivit: itaque, tamquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi aliquo adjuncto

(1) Div. Inst. lib. III, cap. 15.

(2) Cic. ad Att. lib. XV, ep. 1.

(3) Philipp. XII, cap. 2.

(4) De Orat. lib. II, cap. 64.

(5) De Fin. lib. I, cap. 4; de Legg. lib. I, cap. 5; pro Plancio, cap. 27.

(6) Var. Lect. lib. II, cap. 5, et alibi.

(7) Miscell. Obs. lib. IV, cap. 2, p. 245 seqq.

(8) Instit. Orat. lib. I, cap. 3, n. 2, et sæpius alibi.

(9) Animadv. Hist. cap. 9, pag. 362, ubi insigne invenietur exemplum ἁμαρτήματος μνημονικοῦ, quo lapsus fuit Cicero, cui peccati generi nonnulli etiam tribuunt, quod de Platonis scriptis dicitur, Acad. lib. I, cap. 4. Ego culpam imputare malim librariis, quorum male sedula diligentia credi vix potest, quam et hodie in Tullii scriptis nos deludat!

(10) Lib. II, cap. 1.

incommodo muneratur». Cum his conferas, quæ in Tusculanis Disputat. (1) leguntur: «Unde igitur ordiri rectius possumus, quam a communi parente natura? quæ quidquid genuit, non modo animal, sed etiam quod ita ortum esset e terra ut stirpibus suis niteretur, in suo quidque genere perfectum esse voluit». En aliud contrariorum specimen? De divinatione, quam nunc contemnit, alio tempore magni facit (2), verba faciens: «Quid multis annis, inquit (3), post Romulum, Prisco regnante Tarquinio? quis veterum scriptorum non loquitur, quæ sit ab Attio Navio per lituum regionum facta descriptio? qui quum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex his amissa vovisse dicitur..... Qua re celebrata, quum vicini omnes ad unum de rebus suis referrent, erat in magno nomine et gloria: ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus arcesseret; cujus quum tentaret scientiam auguratus, dixit ei cogitare se quiddam, id possetne fieri consuluit. Ille augurio acto posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse, cotem novacula posse præcidi. Tum Attium jussisse experiri; ita cotem in comitium allatam, inspectante et rege et populo, novacula esse discissam. Ex eo evenit, ut Tarquinius augure Attio Navio uteretur, et populus de suis rebus ad eum referret». Hæc si ita sunt, ut constans omnium scriptorum est sententia (4), veritati consentanea vix esse possunt, quæ alibi scribit Tullius (5): «An Attii Navii lituus ille, quo ad investigandum suem regiones vineæ terminavit, contemnendus est? Crederem, nisi ejus augurio rex Hostilius maxima bella gessisset». Nam, quomodo Hostilius maxima

(1) Lib. V, cap. 13.

(2) Vide Cl. Schulting. de Jurispr. Cicer. pag. 266; Moshem. ad Cudworthi Syst. Intell. p. 875.

(3) De Divin. lib. I, cap. 17.

(4) Dion. Halic. Antiq. Rom. lib. III, p. 202 et 203; Liv. lib. I, cap. 36; Val. Max. lib. I, cap. 4, ex. 1.

(5) De Nat. Deor. lib. II, cap. 3.

bella gerere potuerit ejus hominis augurio, qui sub Prisco Tarquinio in magno nomine demum esse cœperit, vix video, quum inter utrumque hunc regem medius fuerit Ancus Marcius, qui viginti quatuor annos regnavit, Navius autem superstes fuerit ad ultimam usque Tarquinii ætatem (1), atque is triginta octo annos regnum obtinuerit.

Hoc loco, quanti generatim Tullii facienda sit auctoritas, breviter disquirere, intempestivum videri minime poterit. Ego in hac quæstione primum distinguendum reor, utrum ut orator, an ut philosophus, an ut homo aliquis e multis, dein num ipse per se, an sub alterius persona, loquatur. Illi, ut homini prudenter, ut oratori numquam, nisi perspecta veritate (2), credendum esse, ex dictis meis jam constare mihi blandior: quantum autem ei, ut philosopho, tribuendum sit, ex ipsis rebus malo quam ex meis verbis cognosci. Stoicis neque valde iratus, neque admodum favens (3), novam potissimum Academiam sequebatur (4). Ejus autem sectæ ratio erat, « nihil aliud (5) agere, nisi ut, in utramque partem dicendo, eliceret, et tamquam exprimeret aliquid, quod aut verum esset, aut ad id quam proxime accederet », sive, ut alibi ait (6), « mos erat patrius Academiæ adversari semper omnibus in disputando ». Hanc philosophandi disciplinam, etsi eam alicubi (7) pungere, leniter tamen et quasi subblandiens, videatur, Cicero summo amore complexus,

(1) Colligitur hoc ex iis, quæ narrat Dion. Halic. lib. III, p. 204, de cæde Attii Navii Tarquinio imputata ejusque regis paullo post sequuta morte.

(2) Vide *Vigneul-Marville*, *Mélanges*, tom. I, p. 56.

(3) Stoam quippe verbis, non re, ab Academia dissentire opinabatur. Vid. de Legg. lib. I, cap. 20.

(4) Acad. lib. I, cap. 4.

(5) Lucullo, cap. 3.

(6) De Orat. lib. I, cap. 18.

(7) « Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus ut sileat; nam si invaserit in hæc, quæ satis scite nobis instructa et composita videntur, nimias edet ruinas:

« tamquam filiolam suam, osculabatur »; quamobrem nemini mirum accidet (1), si ea sæpe disertissimus philosophus disputet, quæ alio loco firmissimis argumentis funditus eversa judicentur. Saniorem nihilo minus plerumque sententiam de Deo, de animæ immortalitate, de hoc mundi opificio, de officiis hominum, de omni denique virtutum genere, ita tuitus ille fuit (2), ut nos, quibus Numen ipsum æternam veritatem detegere non fuit dedignatum, neque augustius, neque verius, de his maximi momenti rebus aut scribere, aut cogitare queamus.

Isti disquisitioni adjuncta est altera, quid sentiendum sit de iis, quæ sub aliena persona scribit Tullius: etenim haud facile aliquem fore credo, qui existimet, viros principes, quos, in dialogis Platonico more conscriptis, sive sua ætate superstites, sive jam fato functos, disputantes inducit noster, eas re vera, quas defendere finguntur, fovisse opiniones. Aliud ipse Cicero profitetur: « Feci (3), inquit ad Varronem scribens, sermonem inter nos habitum in Cumano quum esset una Pomponius; tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari intellexisse mihi videbar: mihi sumpsi Philonis. Puto fore, ut, quum legeris, mirere, nos id loquutos esse inter nos, quod numquam loquuti sumus; sed nosti morem dialogorum ». Hæc fuit caussa, cur eo tempore jam essent, « qui negarent (4) in iis, qui in ipsius libris disputarent, fuisse earum rerum, de quibus disputabatur, scientiam ». Nec sine ratione: quippe in Academicis prioris editionis (ex quibus unus liber superest), Catulum, Lucullum, et Hor-

quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo. » De Legg. lib. I, cap. 13, in fin.

(1) Vide Moshemium ad Cudworthi Syst. Intell. pag. 519. Consult. F. G. *Boers*, de Anthropologia JCtorum Rom. Stoica p. 5.

(2) Vide Sam. *Petiti* Misc. Observ. lib. IV, cap. 6.

(3) Ad Div. lib. IX, ep. 8. Conf. de Senect. cap. 1; ad Div. lib. VII, ep. 32; ad Att. lib. IV, ep. 16, pr.

(4) In Lucullo, cap. 2, in fin.

tensium illa λογικωτέρως disserentes fecerat, in quibus istorum virorum nota etat (1) nisi ἀπαιδευσία, saltem ἀτριψία· itaque totam academicam σύνταξιν in quatuor libros distributam (quum antea duo fuerant), ad Varronem traduxit, cujus personam ei indicaverat Atticus; Cottam vero, de quo idem ad illum scripserat, in hoc sermone non adhibuit, ne suum scilicet κωφὸν πρόσωπον esset, ut in libris de Oratore, qui sermo inter Crassum, Antonium, Scævolam, Catulum, aliosque, Cicerone puero, habitus esse fingitur. Hinc Lactantius (2): « Apud Ciceronem Catulus in Hortensio, philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio : quæ sententia non utique Catuli, qui fortasse illud non dixit, sed Ciceronis est putanda, qui scripsit; credo, ut libellos, quos de Officiis erat scripturus, commendaret ».

Si quis jam ex me sciscitetur, quanti facienda eorum dictorum sit auctoritas, quæ per alterius personam in medium affert Tullius, sic ego respondeam. Licet neminem horum virorum, qui in scenam inducuntur loquentes, talem re ipsa sententiam, qualis ipsi tribuitur, sequutum fuisse liquido constet, nihil tamen ulli προσώπῳ adsignatum fuit, quod ab illius dignitate, aut ab ea, quam profitebatur, vivendi ratione, alienum fuerit (3). Ita P. Sulpicio, homini ambitioso, turbulentoque dein tribuno plebis, et Mariani belli faci præcipuæ, quamquam diserto et erudito, verisimiliter philosophiæ contemptus tribui (4) potuit, etiamsi a prava ista opinione remotissimus fuerit Cicero, qui opti-

(1) Ad Att. lib. XIII, ep. 19.

(2) Divin. Inst. lib. VI, cap. 2, in fin.

(3) Hanc ob rem Scævolæ frequenter tribuuntur locutiones ex jure petitæ (de Orat. lib. I, cap. 10): « Agerent tecum lege Pythagorei omnes... quibuscum tibi justo sacramento contendere non liceret ». Ibidem cap. 24: « Istam culpam, quam vereris, ego præstabo », et similes.

(4) De Orat. lib. I, cap. 21.

mum illud donum a Deo mortalibus concessum ab Hortensii maledictis acerrime vindicavit (1): similiterque Crassus, eloquentium jurisperitissimus, legum et consuetudinum patriarum notitiam in oratore probabiliter requirit. Attamen suam ipsius sententiam hoc alienæ personæ velamine sæpissime noster obtexit, quo minori cum offensa, quæ vellet, dicere sibi liceret : e. c. quando eumdem Crassum facit dicentem : « Fremant (2) omnes licet; dicam quod sentio : bibliotheeas mehercules omnium philosophorum unus mihi videtur XII Tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare ». Quis dubitet, quin cæco patriæ amore abreptus Tullius sic re vera senserit, et horridam istam rigidamque veteris ævi sapientiam cultiori Græcorum disciplinæ præposuerit, aut certe anteferre sit conatus.

Hactenus apparet, quid statuendum sit, si ipse sibi Noster consentiat : verum, qui disertissimum philosophum attente legat, contraria illum sæpius scripsisse reperiet. Nulla quidem hic difficultas est (3), si is, qui severus virtutis prædicator in Cumano fugiendam esse voluptatem docuerit, orator dein mitis, et Terentiani Micionis imitator vitiis indulgens, Marcumque Cœlium, luxuriosum adole-

(1) De Fin. lib. I, cap. 2.

(2) De Orat. lib. I, cap. 44.

(3) Sic e. g. facile et lubenter quis ignoscat, si Cluentium defendens, c. 4, « mortem omne doloris periculum auferre » is dicit, qui in Tusculano suo immortalem animam, adeoque doloris et lætitiæ capacem esse, pulcherrime demonstravit. Hinc ipse Corradus, volens nolensve, fateri fuit coactus (Quæstur. pag. 166), « Aliter ut philosophum, aliter ut oratorem loqui solere Ciceronem ». Nec illud tantum de orationibus dici potest, sed pro re nata in communi etiam vita philosophiæ suæ Tullius fuit oblitus; sic, A. Torquatum consolaturus, hæc scribit : « Sed hæc consolatio levis est; illa gravior, qua te uti spero, ego certe utor : nec enim, dum ero, angar ulla re, quum omni vacem culpa »; et, « si non ero, sensu omnino carebo », ad Div. lib. VI, ep. 3, in fine.

scentem, defendens, « meretricios amores licitos esse » (1) dicat, « dandumque ætati, ut liberior sit adolescentia, non omnia voluptatibus denegentur, non semper superet vera illa et directa ratio, vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem ». Sed hic quærimus, quid censendum sit, si nullis oratoriis blandimentis aut illecebris usus, nullamque veritatis opprimendæ caussam habens, sub variis personis in contrariam partem disserat (2); v. g. quum in oratoriis libris Scævola et Crassus, idemque hic et Antonius, de oratoriæ scientiæ terminis dissentiunt, vel quum in philosophicis L. Torquatus, M. Cato, et M. Piso de finibus bonorum et malorum diversa sapientum decreta defendunt. Equidem existimo, considerandum esse, quid alibi ipse Cicero profiteatur, veluti, quod ad philosophicam illam disputationem attinet, a delicatulis istis Epicuri hortis summo opere abhorruisse romanum philosophum, ex aliis ipsius scriptis facile patet. Sin ea nos destituat ratio, hæc ab illo sententia prælata fuisse videbitur, quæ firmioribus argumentis fuit stabilita. Frequenter tamen etiam media hic insistendum est via, ut neque hæc, neque illa, opinio omni ex parte amplectenda sit, sed media quædam ex utraque conficienda; quale exemplum Crassi et Antonii de oratore jurisperito controversia paullo supra nobis præbuit.

Quandoquidem Tullio, tamquam homini considerate, tamquam philosopho caute, tamquam oratori raro ac diffi-

(1) Pro Cœlio, cap. 18 et 20.

(2) Neque tantum sub variis personis, sed etiam sub eadem, in Ciceronis scriptis contraria disputantur. Animadversione dignus est locus de Orat. lib. II, cap. 10, ubi Crassus ad Antonium dicit: « Mox te nobis, Antoni, expolivit, hominemque reddidit, nam hesterno sermone unius cujusdam operis, ut ait Cæcilius, remigem aliquem aut bajulum, nobis oratorem descripseras, inopem quemdam humanitatis, atque inurbanum. Tum Antonius, heri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut, si te refellissem, hos a te discipulos (Cottam et Sulpicium) abducerem; nunc, Catulo audiente et Cæsare, videor debere, non tam pugnare tecum, quam, quid ipse sentiam, dicere ».

culter fidem habendam esse, ex argumentis meis constare, opinione auguror; unum nunc restat, quod si perfecerim, sponsione, « ni falsa Ciceronis sit accusatio, et boni probique viri fuerint JCti romani », me victurum esse audacter confido. Illud videlicet est, ut ostendam primum, benigne alibi de cunctis jurisperitis sensisse, iisque criminibus plane contraria scripsisse accusatorem; deinde hunc ordinem istam injuriam neutiquam fuisse promeritum, minime autem omnium Servium Sulpicium exprobratæ culpæ fuisse affinem; tertio ea ipsa, quæ hic JCtis objiciuntur, alio loco nostrum oratorem ut pulchre instituta probasse, et tandem quarto, ipsum sui facti et piguisse et puduisse.

Tenuis scientia est juris cognitio, Murenam defendens ait; sed sermonem a Crasso, ut vult, habitum describens, « quid est, inquit (1), præclarius, quam honoribus et reip. muneribus perfunctum senem posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant,

> Suarum rerum incerti? quos ego mea ope ex
> Incertis certos, compotesque consili,
> Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus jurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est hujusce Q. Mucii janua, et vestibulum, quod in ejus infirmissima valitudine, affectaque jam ætate, maxima quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore celebratur ». Pergit Cicero in nostra oratione: « Dignitas in ista scientia consularis numquam fuit, quæ tota ex rebus fictis commentitiisque constaret: gratiæ vero

(1) De Orat. lib. I, cap. 45. Similiter in Topicis, cap. 17, ait: « Privata judicia maximarum quidem rerum in JCtorum mihi videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum, et adhibentur in consilio, et patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus, hastas ministrant ».

multo etiam minores». Sed de hominum officiis filium edocens, «in jure cavere, inquit(1), consilio juvare, atque hoc scientiæ genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet, et ad gratiam(2)»; absurdum enim esset, a quibus singuli consilium super rebus divinis humanisque petant, eos non potissimum dignos judicare, qui universis consulant (3); ipseque eventus adeo falsam esse hanc «consularis dignitatis» denegationem declarat; quippe, si JCtorum seriem perlustremus, consulatu functos videbimus sub libera republica, Appium Claudium Cæcum, Sempronium Sophum, Ti. Coruncanium, P. Licinium Crassum Divitem, Cornelium Scipionem Nasicam, S. Ælium Catum, T. Manlium Torquatum, M. Porcium Catonem, C. Livium Mamilianum Drusum, C. Marcium Figulum, M'. Manilium, P. Mucium P. F. Scævolam Pont. Maximum, Q. Mucium Q. F. Scævolam Augurem, P. Licinium Crassum Mucianum, Q. Mucium P. F. P. N. Scævolam itidem Pontificem Maximum, L. Crassum Oratorem, P. Rutilium Rufum, et tandem ipsum nostrum Serv. Sulpicium, meliori fortuna dein, quam quando cum Murena petiit, usum.

Reliquis in hac declamatione prolatis criminibus additur gravissimum: «Quum permulta præclare legibus essent constituta, ea jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt... In omni jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt». A veritate igitur sunt aliena, quæ in eodem ad Marcum suum libro de benigna peritorum

(1) De Offic. lib. II, cap. 19.

(2) Similiter de Orat. lib. I, cap. 45: «Jam vero ipsa (jurisprudentia) per sese quantum afferat iis, qui ei præsunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat?.... in nostra civitate amplissimus quisque, et clarissimus vir.... perfecerunt, ut, in respondendo jure, auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio, valerent».

(3) Huc pertinet Marcii Figuli, in consulatus petitione repulsam passi, animosum consultoribus datum responsum, quod refert Valer. Maxim. lib. IX, cap. 3, ex. 2.

interpretatione scribit (1): «De jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori: nam, quum ex XII Tabulis satis esset ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret, a jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quidquid enim esset in prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere (2). Denique, ut multa quæ huc cumulari possent, omittam, idem ille orator, qui hic gravissimam dicam universæ jurisprudentiæ impingere non erubuit, Cæcinæ caussam agens, JCtos ipsumque jus civile laudibus in cælum efferre haud dubitavit (3): «Illud vulgo in judiciis, et nonnumquam ab ingeniosis hominibus defendi, mihi mirum videri solet, nec jurisconsultis concedi, nec jus civile in caussis semper valere oportere... Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit non modo judiciorum, sed etiam utilitatis vitæque communis: qui autem interpretes juris vituperat, si imperitos juris esse dicit, de hominibus, non de jure civili detrahit; sin peritis non putat esse obtemperandum, non homines lædit, sed leges ac jura labefactat; quod vobis venire in mentem profecto necesse est, nihil esse in civitate tam diligenter, quam jus civile, retinendum: etenim, hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit». Quæ omnia quum attente mecum perpendo, obstupesco, ita vivam, et tota cogitatione defixus hæreo, quis demum error, quis iratus bonæ menti genius viros doctos transvorsos agat, ut ex tot Ciceronis scriptis hæc dicta negligant, quæ JCtis romanis favent, illa autem potissimum eligant, quibus immensum aliquod accu-

(1) De Offic. lib. III, cap. 16.

(2) Sic in caussa Cæcinæ pro æquitate etiam responderunt JCti; vid. pro Cæcina, cap. 23, in f.

(3) Ibid. cap. 24 et 25.

sationis ædificium superstruere, fraudesque et stultitiam innocentissimorum hominum demonstrare (ut sibi videntur) queant.

Hæc, quæ recensui, de omnibus generatim prudentibus fassus fuit Tullius. Neque vero illa, quæ de singulis sæpius scripsit, Thomasio omnibusque ejus sociis minus adversantur: « Nihil S. Ælius tale (1), nihil multis annis ante Ti. Coruncanius, nihil modo P. Crassus, a quibus jura civibus præscribebantur, quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia ». Sed, ne nimius sim, sermonem meum restringam ad solum Serv. Sulpicium, eumque, a quo hic jurisprudentiam edoctus fuit, Aquillium. Hæc itaque de Servio ait in Philippica oratione nona, qua viri optime de rep. meriti, et in legatione quam invitus susceperat ad Antonium Mutinam obsidentem mortui, laudes egregie celebrat, illique, contra P. Servilii sententiam, statuam in Rostris ponendam decernit (2): « Nec vero silebitur admirabilis quædam, et incredibilis, et pæne divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicanda, scientia. Omnes, ex omni ætate, qui hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Serv. Sulpicio non sunt comparandi: neque enim ille magis juris consultus, quam justitiæ fuit. Itaque, quæ proficiscebantur a legibus, et a jure civili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat; neque constituere litium actiones malebat, quam controversias tollere ». Addere liceat illa, quæ idem testatur de Aquillio Gallo, cujus præceptoris sui egregium exemplum ob oculos maxime habens, Servius æquitatem, humanitatem, benignamque justitiam, in interpretandis legibus juribusque patriis, unice fuit sequutus (3) : « Non ve-

(1) De Senect. cap. 9.

(2) Cap. 5.

(3) Pro Cæcina, cap. 27. Quot autem remedia, ad juris civilis rigorem leniendum, invenerit Aquillius, vide apud Cl. Heinecc. orat. de C. Aquillio Gallo (in Opusc. Syll.) pag. 778.

reor, de tali viro ne plus dicam, quam vos aut sentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, numquam ejus auctoritatem nimium valere, cujus prudentiam populus romanus in cavendo, non in decipiendo, perspexerit; qui juris civilis rationem numquam ab æquitate sejunxerit; qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo romano promptam expositamque præbuerit; qui ita justus est et bonus vir, ut natura, non disciplina, consultus esse videatur; ita peritus ac prudens, ut ex jure civili non scientia solum quædam, verum etiam bonitas nata videatur; cujus tantum est ingenium, ita prompta fides, ut quidquid inde haurias purum liquidumque te haurire sentias (1)». Atque ex his iterum patet, quamvis omnes JCti contumelia, qua illos affecit orator, digni fuissent, neutiquam tamen Serv. Sulpicium istius criminis fuisse reum.

Testimonia huc usque in medium allata ex ipsius Tullii libris hausi: alia paucula adjungam, ex quibus liqueat, nullum in universa romana rep. a primis usque temporibus ad ultimam illius ætatem, nullum, inquam, omni tempore doctrinæ fuisse genus, nullamve vivendi rationem, ex qua tot egregii cives enati fuerint, aut quæ tot exempla continentiæ, sobrietatis, justitiæ præbuerit, quam ipsa hæc nostra «divinarum humanarumque rerum scientia (2)». Non equidem nego (atque hoc semper mei qualiscumque laboris judices æqui meminerint, pervelim), minime nego, fuisse forsitan (et ubi non sunt?) in foro romano improbos captionum verborumque aucupes, et alienarum fortunarum insidiatores sceleratos; sed admodum iniquum, aut potius injustum, judico, unius alteriusve ex aliqua societate vitia aut fraudes universis imputare; quod si fieri liceat, nulla

(1) Ipsum Scævolam, quem stricti juris patronum alioquin facere solent (quia, credo, in Curii caussa illud defenderat), sæpius pro æquitate respondisse, patet ex orat. pro Cæc. cap. 24.

(2) De Fin. lib. II, cap. 12.

profecto ars est, nulla scientia, nullum vitæ genus, quod culpari, irrideri, et calumniis opprimi nequeat. Ciceroni certe, ejusque meritis, facile condonari potest nimia ista, at proposito suo serviens, in juris civilis antistites acerbitas; verum nostros homines neutiquam decet, ex fragili hac declamatione hastas petere, quas in viros optime de se meritos torqueant, acceptorum beneficiorum immemores. Etenim, si æquum judicium, quod præsentis temporis sæpe prohibet pravitas, a pravitate, « cui (1) optimus quisque maxime servit », exspectare non licebit, exstingui necesse est omnem virtutem, omnemque tolli industriam, quum nulla amplius supererunt incitamenta, quibus generosa pectora ad laudis amorem laborumque contemptum incendi solent. Deinde existimo, neminem eorum jurisperitorum, quorum nobis memoriam grati reliquerunt annalium conditores, fraudibus aut malignis cavillationibus indulsisse, quod ex sequentibus exemplis verisimile fieri debet.

Paupertatis, abstinentiæ, frugalitatis documenta splendida civibus suis veteres fuerunt prudentes, paucique ex hoo ordine, nobis quidem noti, inveniuntur, quorum laudes priscæ historiæ, atque ipse noster Tullius, non celebraverint (2). M'. Manilius, ad quem universa civitas non solum de jure civili (3), sed etiam de domesticis rebus, de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referre consueverat, in tanta tamen paupertate vixit, ut unas in Carinis ædiculas (4), unumque in Labicano pro omnibus opibus fundum haberet: ac similiter de Ælio, sive Cato, sive Tuberone (5),

(1) Tusc. Disp. lib. I, cap. 15; pro Rabir. perd. reo, cap. 10.

(2) Vide Chifflet. in Apolog. Dissert. pro juris utriusque architectis (tom. I Thes. Jur. Civ. pag. 182).

(3) Cic. de Orat. lib. III, cap. 33.

(4) Idem, Parad. VI, cap. 3.

(5) Quis et quomodo dicendus sit, incertum est. Valer. Maxim. lib. IV, cap. 3, ex. 7, eumque sequnti Plinii errores notarunt Rupertus ad Pompon.

narratur, quum Ætolorum legati, gratulandi caussa ad eum missi, fictilia vasa in ejus mensa vidissent, posteaque argentea, magno pondere, et exquisita arte fabricata, gentis suæ nomine ad eum detulissent, jussisse illum, hos legatos abire monitos, « ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent ». Quis autem nostrum est, qui horum virorum paupertatem et industriam non laudaverit, qui nulla mercede inducti, nullum sperantes, nisi civium amorem, operæ suæ præmium, « de nocte vigilabant, ut consultoribus responderent (1) », atque, ut patriæ (2) prodessent, « ad aliorum arbitrium non ad suum », negotiis et occupationibus plenam, transigebant vitam? Quis hodie Appium illum Cæcum (3), quis C. Drusum (4) imitetur, qui, luminibus licet orbati, civium suorum commodis numquam se subtraxerunt, quorumque semper domus consultoribus compleri solebat? Tot ergo laborum, tot difficultatum, quas exsorbuerunt viri diligentissimi, hæc erit remuneratio, ut

pag. 343 seqq. Perizon. Animadvers. Histor. pag. 61. Quidquid sit, et Æliorum Catorum, et Tuberonum, familiam JCtis claram fuisse constat. Utriusque autem singularis fuit sobrietas: « Sexdecim eodem tempore fuerunt Ælii, quibus una erat domuncula ». (Valerius Maximus, lib. IV, cap. 4, ex. 8.) Q. Ælio Tuberoni L. Paulus socer quinque pondo argenti ex præda Macedonica dono dedit, quum antea ne scrupulum quidem argenti habuisset. (Valer. Max. ibid. ex. 9.) Hujus filius, Q. Tubero (Stoicus, ut plerique JCti), quum in funere Africani avunculi sui, rogatu Q. Maximi, triclinium populo sterneret, lectulos Punicanos pelliculis hædinis contexit, et vasa Samia exposuit; quam perversam, ut aiebant, sapientiam populus romanus, luxuriam jam primum edoctus, tam graviter tulit, ut homo integerrimus, civis optimus, prætura dejiceretur. (Cic. pro Muren. cap. 36.)

(1) Cic. pro Muren. cap. 9.

(2) « Ego Q. Scævolam Augurem memoria teneo, bello Marsico, quum esset summa senectute, et perdita valitudine, quotidie simul atque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem; neque eum quisquam illo bello vidit in lecto, senexque et debilis primus veniebat in curiam ». Cic. Philipp. VIII, cap. 10, in f.

(3) Pomp. de Orig. Jur. § 36. Vide Rupert. pag. 311.

(4) Cic. Tuscul. Disp. lib. V, cap. 38; Val. Max. lib. VIII, cap. 7, ex. 4.

ob unam unius oratoris, ingenio suo indulgentis, satyram, per omnem ævorum seriem, improbi, fraudulenti, miseræ plebis direptores habeantur!

Nec minus justitiam, quam abstinentiam, Romani coluerunt jurisperiti, nullaque illustriora constantiæ exempla nobis romana historia conservavit, quam JCtorum, quos ne oculi quidem minacis tyranni furore ardentes mente solida quatere poterant. Q. Mucius Augur, quando Sulla occupata urbe senatum armatus coegerat, ac summa cupiditate ferebatur, ut C. Marius quam celerrime hostis judicaretur, nemine tyranni voluntati obsistere audente, solus, sententiam rogatus, dicere recusavit, et quum truculento vultu ac minis illum Sulla terrere conaretur, «licet (1), inquit fortissimus senex, licet mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes, licet mortem identidem miniteris, numquam tamen efficies, ut, propter exiguum senilemque sanguinem meum, Marium, a quo Urbs et Italia conservata est, hostem judicem». Seriori ævo, sub ultimo triumviratu, A. Cascellius (2), vir juris civilis scientia clarus, nullius aut gratia, aut auctoritate, compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri, scelerate in optimorum civium bona grassantes, dederant, formulam componeret. Quin, quum ipsa respublica libertatis spiritum jam diu amiserat, JCti tamen justitiæ amorem numquam deposuerunt. Antistius Labeo, Atteio favorem potentium obsequio captanti dissimillimus, eamque ob caussam a sublimi, sed adulatore, lyrico *insani* titulo ornatus, ingenuum pectus servituti adsuefacere numquam sustinuit, quamvis summi honores, tentandæ severitatis gratia, illi offerrentur (3). Æmilius Papinianus, deflorescentis jurisprudentiæ decus, parricidii

(1) Valer. Max. lib. III, cap. 8, ex. 5.

(2) Idem lib. VI, cap. 2, ex. 12.

(3) Tacit. Annal. lib. III, cap. 75; Gellius, lib. XIII, cap. 12; Pompon. de Orig. Jur. § 47.

defensionem detrectans(1), justitiæ ipso sanguine suo litavit, et interfectus est ab immani gentis humanæ opprobrio, quales esse solent, quibus omnia licent, quibusque, stultæ plebis judicio, potentia pro virtute, vitia sunt pro laudibus.

Beatos fore populos, si philosophi imperarent, sæpius repetitum, et M. Antonini exemplo confirmatum, est dictum; ego vero fortunatam gentem prædicaverim, cui viri præsint juris et justitiæ consulti. Imperio, injuste plerumque parto, homines provinciales parere coacti quum ab ipsis magistratibus romanis vexabantur, tum præsertim exhauriebantur a publicanis equitibus, in quorum iniquis exactionibus prætores et proconsules, commodi sui caussa, connivebant. Asiæ aliquando illa felicitas obtigit, ut eodem tempore Q. Mucium P. F. Scævolam, et P. Rutilium Rufum, JCtos principes, illum proconsulem, hunc proconsulis legatum (2), haberet. Tanta autem sanctitate, tanta continentia opulentam hanc provinciam illi administrarunt, ut in Scævolæ honorem Asiani festum diem annuum instituerent, quæ ex illius nomine *Mucia* (3) dicta fuerunt; et senatus deinceps magistratibus, in eam provinciam ituris, Mucii exemplum decreto (4) proponeret. Sed, ut pestiferorum hominum calumniæ et odium, tamquam umbra, virtutem semper sequuntur, sic egregium hoc virorum par, incorrupta integritate sua, publicanorum efferatam in se

(1) Spartian. Caracalla, cap. 4.

(2) Asconium Pedianum ad Cic. Divin. in Cæcil. cap. 17, ex Livii Epitome LXX, et Excerptis Peirescianis, pag. 392, recte castigavit Valesius, et post eum Perizonius Animadv. Hist. cap. 2, pag. 58 : quidquid enim exemplorum afferat Rupertus ad Pomponium, pag. 375, verisimilius est virum prætorium et consularem Scævolæ legatum fuisse quam quæstorem; quod autem in l. 2, § 40, de Orig. Jur. narratur de Rutilio Asiæ proconsule, novum argumentum est, quod parum fidei Pomponii libello, misere lacerato et contracto, habendum esse doceat.

(3) Ascon. Pedian. d. l. Cicer. Verr. II, cap. 21. Conf. Ascon. ad eamdem Verr. cap. 10.

(4) Valer. Max. lib. VIII, cap. 15, ex. 6.

vindictam concitavit; ita ut Mucius improbis eorum maledictis proscinderetur (1); P. vero Rutilius, temperantissimus philosophus, absurdas libidinum stuprorumque exprobrationes non solum perferre debuerit (2), verum etiam ab equitibus, vectigalium redemptoribus (ad quos tunc judiciorum potestas legibus Gracchanis, in reip. perniciem (3) rogatis, translata fuerat), « Vir summæ innocentiæ (4), et non seculi sui, sed omnis ævi optimus », repetundarum postulatus, « maximo cum gemitu civitatis damnatus fuerit », et in exsilium abierit (5); at quod exsilium? In id

(1) Cicero pro Plancio, cap. 13, in f. Neque vero solum hoc factum est, quod in Q. Scævolæ P. F. æternam gloriam literis sit consignatum. Cic. de Offic. lib. III, cap. 15, refert, « Illum, quum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixisse, se pluris æstimare, et centum millia pretio addidisse ». Valer. Max. lib. IV, c. 1, ex. 11, narrat, « Eum testem productum, quum id respondisset, quod salutem periclitantis rei magno opere læsurum videbatur, discedentem adjecisse; ita sibi credi oportere, si et alii idem adseverassent; quoniam unius testimonio aliquem credere pessimi esset exempli »; quod viri excellentis humanissimum simul et verissimum dictum utinam illi meminissent, qui ex nostro unius Ciceronis loco tot crimina confinxerunt in JCtos, quibus justi et decori magis observantes homines hæc terra numquam tulit! Insigne exemplum hujus rei nobis reliquit Athenæus lib. VI, in fine, pag. 274, C. Scilicet lex Fannia (vide Gellium lib. II, cap. 24), immoderatos, præsertim in conviviis, sumptus coercuerat; sed ex tanta Romanorum multitudine tres solummodo fuerunt, qui legem haud violarent, ipsi nostri Q. Scævola P. F. et P. Rutilius, tertiusque (itidem, ut opinor, JCtus) Q. Ælius Tubero. (Sic enim legendum docuit Casaub. Animadv. ad Athen. lib. VI, cap. 21, pag. 470. Vide Rupert. ad Pompon. pag. 370.)

(2) Cic. pro Fonteio, cap. 13.

(3) Ill. *Montesquieu*, *Esprit des Lois*, lib. XI, cap. 18, pag. 253, edit. Edinburg.

(4) In has laudes una voce omnes scriptores consentiunt; Livius in Epitome LXX (ubi male olim *C. Marii*, postea *C. Mucii*, pro *Q. Mucii* legebatur); Vell. Paterc. lib. II, cap. 13, § 2; Florus lib. III, cap. 17, § 3; Diodor. Sic. Exc. Peiresc. d. l.

(5) « Hoc judicio convulsam penitus fuisse remp. » Cicero ait in Bruto, cap. 30. « Damnatio ista, quæ in te flagitatur, obtigit P. Rutiliu, quod

exsilium, quod vel mille triumphis gloriosius fuit; quum Rutilio, in ipsam hanc, quam spoliasse dicebatur, provinciam proficiscenti, omnes Asiæ civitates legatos, honoris caussa, obviam miserint, singulis tanti viri in urbe sua præsentiam avide expetentibus (1).

Fortunæ bona justitiæ consecrarunt et Scævola et Rutilius. Ne carissimo quidem sanguinis vinculo T. Manlius Torquatus, juris civilis et sacrorum pontificalium peritissimus, prohiberi potuit, quo minus justis provincialium querelis satisfaceret. Etenim, quum Macedones de filio ejus D. Silano, qui eam provinciam obtinuerat, per legatos fuissent questi, a Patribus conscriptis petiit (2), «ne quid ante de ea re statuerent, quam ipse caussam inspexisset»; quod postquam diligenter per biduum fecerat, filium suum nocentem, domoque et patria indignum judicavit, ac protinus e conspectu suo abire jussit (3). Quibus exemplis probe

specimen habuit hæc civitas innocentiæ. Major mihi judicum et reip. pœna illa visa est quam Rutilii»; in Pison. cap. 39. Conf. orationem pro Rabir. Post. cap. 10.

(1) Auctor est Valer. Maxim. lib. II, cap. 10, ex. 5. Idem lib. VI, cap. 4, ex. 4, ubi memorabile ejus responsum, importuno amico datum, refert, testis est, noluisse Rutilium Smyrna, ubi consenuit (vid. Cicero pro Balbo, c. 11), in patriam redire, «ne quid contra leges faceret», quum redeundi potestas ei fieret a Sulla, qui judicia senatui restituerat, malo dein consilio equitibus a Pompeio reddita. Senecæ, Quintiliani, Ovidii, de Rutilii fortitudine dicta collegit (præter JCtorum biographos, qui mihi non sunt ad manum) Aut. Oiselius in P. Rutilii vita, gallice conscripta, et inserta tom. I Thes. Meerm. pag. 361 seqq. Neque tamen morosi ingenii fuisse Rutilium ex his factis confici potest: quum enim Mithridates omnes Romanos in Asia versantes uno die occidere constituisset, vitandæ necis caussa togam pallio commutare, romana gravitate haud alienum existimavit. Quidquid Rutilius, quidquid fecit Scævola (quem *jocularem senem* a Cicerone dici notum est), non ex morositate, sed ex virtutis amore ortum fuit. Idem de Q. Scævola Augure testatur Cicero in Bruto, cap. 58: «Q. Scævola Augur peritissimus juris, idemque percomis est habitus».

(2) Val. Max. lib. V, cap. 8, ex. 3. Conf. Cic. de Fin. lib. I, cap. 7.

(3) Hucusque Manlii factum probari potest; quod præterea narrat Valer.

consideratis, quis tam vecors, tam vehementer pertinax est, ut jurisperitos romanos fraudulentæ iniquitatis, sævæque ambitionis, accusare audeat? Illi nimirum viri, qui, corrupta civitate, soli antiquam integritatem conservarunt, qui divitiis paupertatem prætulerunt, qui improborum injurias atque odium nihili duxerunt, qui ipsam pæne naturam humanam exuerunt, qui mortem denique læti subierunt, ne a severæ virtutis tramite deflecterent; quorumque maximis et continuis in patriam meritis, atque eximiis animi ingeniique dotibus, summi honores ultro deferendi erant; hi, inquam, tales tantique viri turpissimas ambages quæsiverant, et dolos subtilesque juris apices excogitarunt, ut ignobile in plebem imperium retinerent, et soli in foro dominarentur!

De malignitate et injustitia veterum prudentum vidimus. Quædam de stultitiæ accusatione addamus. Et quidem, si sapientia semper doctrinam et industriam comitaretur, facile Tullii mei verbis hanc culpam diluerem: «Equidem, inquit apud illum (1) Crassus, sæpe hoc audivi de patre et de socero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiæ gloria vellent, omnia, quæ quidem tum hæc civitas nosset, solitos esse complecti. Meminerant illi Sext. Ælium, M'. vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro... Hæc fuit P. Crassi illius veteris, hæc Ti. Coruncanii, hæc proavi, generi mei, Scipionis prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur; iidemque et in senatu, et apud populum, et in caussis amicorum, et domi et militiæ consilium suum fidemque præstabant. Quid enim M. Catoni, præter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventitiam, de-

Max. nimiæ severitatis videtur, quale et illud est, quod de Crasso Muciano refert Gellius lib. I, cap. 13.

(1) De Orat. lib. III, cap. 33.

fuit? Num, quia jus civile didicerat, caussas non dicebat? aut, quia poterat dicere, juris scientiam negligebat? At utroque in genere et laboravit, et præstitit. Num, propter hanc ex privatorum negotiis collectam gratiam, tardior in rep. capessenda fuit? Nemo apud populum fortior, nemo melior senator: idem facile optimus imperator: denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non quum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit». Quibus nihil video, quod ornatius, quód magnificentius, in sex JCtorum laudem dici a Tullio potuerit, qui quoties de egregiis ex gente sua viris loqui cupit, toties aliquem ex peritis nostris in exemplum laudat. Verum non unius hominis testimonio nobis opus est. Totius populi judicio hæc stultitiæ calumnia refutatur. Stultos quippe nos dicamus, quos prudentum titulo universos, singulos Catorum, Sophorum, Sapientum, Catonumque nomine ornaverunt Romani: S. Ælium, dico, P. Sempronium, L. Acilium (1), M. Porcium. Quid tandem jurisprudentiæ decora, utrumque Scipionem, patrem et filium, memorem, quorum ille juvenis nondum quæstorius *vir* civitatis totius *optimus* a senatu judicatus, hic vero ob eximiam sapientiam *Corculum* (2) dictus fuit. Illi etiam *viro optimo* publice domus in Sacra via, ut facilius consuli posset, data fuit. Et hos viros, de quibus tam honorificum civium suorum fuit judicium, *Stultos* dicere nobis licebit? Credemus nos, populum romanum, libertatis suæ tam sollicite amantem, versutiloquas istas consultorum ineptias patienter adeo tulisse, ut gloriosissimis nominibus sincerum amorem vexatoribus suis testaretur? Qui hoc animum inducere possit, is, Theseo magis credulus, suam habeat sibi sapientiam.

Aliquanto plenius forsitan crimina JCtis imputata amo-

(1) Vide Cicer. de Amicitia, cap. 2. Pompon. de Orig. Jur. § 38, P. Atilium vocat. Vide Rupertum pag. 357.

(2) Vide Cic. Tusc. Quæst. lib. I, cap. 9. Festus v. *Corculum*.

litus fuisse videbor : at meminerint benigni lectores, agi de existimatione illorum virorum, quibus leges suas, atque cum legibus fortunarum suarum securitatem, omnis fere Europa debet. Breviter jam, quod restat, peragam. Supra vidimus sæpius huic, quam tractamus, declamationi, obloquutum fuisse oratorem. Plura addi possent, ut quando e. g. militarem scientiam mansuetis literis anteponit, quis statim non recordetur notissimi versus (1), qui maximam Ciceroni invidiam conflavit (2):

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Verum, omissis his, geminò nunc tantum exemplo ostendam, ea, quæ in hac satyra vituperantur, alibi maximo opere nostrum probasse, et, ut pulchre instituta, fuisse admiratum. Hic enim diceres, valde illi displicere, quod patricii juris civilis cognitionem, tamquam patrimonium suum, sibi servare voluerunt; sed alio tempore indignatur, fuisse hanc artem, ut cetera nobilium bona, cum plebe communicatam. « Itaque (3), quum multa præclara majorum, tum quod optime constituti juris civilis summo semper in honore fuit cognitio, atque interpretatio, quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt : nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic hujus scientiæ splendor deletus est; idque eo indignius, quod eo temporé hoc contigit, quum is esset (Serv. Sulpicium ob oculos habet) qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset ». Sciens prætereo, quidquid pluribus locis dicitur de prudenti occultatione fontis, ex quo omne fere jus civile Romanorum manavit, juris,

(1) De Offic. lib. I, cap. 22.

(2) Qui Plutarcho non credat, Ciceroni ipsi fidem habeat, de Offic. d. l. et in Pisonem cap. 29 et 30 : ex quo ultimo loco patet, Pompeium hoc versu fuisse offensum.

(3) De Offic. lib. II, cap. 19.

inquam, sacri, pontificalis et augurii : propero ad illa, quæ de formularum utilitate scripsit Cicero : « Sunt (1) jura, inquit, sunt formulæ, de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis, errare possit ». Non igitur fraus, sed civium commodum formulis constituendis caussa fuit. Quin ipsa certa verba in legibus, iisque, quæ ex legibus oriuntur, adhibenda esse ait. Leges reipublicæ, quam in sermone constituebat, recitaturus, « expromam, inquit (2), equidem, ut potero; et quoniam et locus et sermo familiaris est leges legum voce (sic leg.) proponam. Sunt certa legum verba, neque ita prisca, ut in veteribus ex his, sacratisque legibus; et tamen quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est. Eum morem igitur cum brevitate, si potero, consequar ».

Ultimo loco dixi, atque illud satis notum est (3), Ciceronem suæ declamationis puduisse : « Non ego tecum jam ita loquar (4), ut iisdem his de rebus, quum L. Murenam, te accusante, defenderem. Apud imperitos tum illa dicta sunt; aliquid etiam coronæ datum ». Hæc jam, quæ coronæ delectandæ studio, atque ut judices ad risum jocumque traducerentur, dicta sunt; hanc *mendaciunculis* ornatam satyram (*mendacia* enim *fingere* in jocis peropportunum esse noster ait) hanc satyram nos pro unica veritatis norma, et totius συστήματος fulcro habeamus! Immo ipsum oratorem facti sui pœnituit, quia integerrimos amicos suos læsisse videbatur. Hæc enim oratio ultimo consulatus tempore fuit habita, et quatuor post annis in exsilium est ejectus. In isto autem exsilio dolore pæne exanimatus ad Atticum scribit: « Nam quod (5) purgas eos, quos ego mihi scripsi invidisse,

(1) Pro Roscio Comœdo, cap. 8, in fin.

(2) De Legg. lib. II, cap. 7.

(3) Vide Cl. Otton. de Jurisp. Symb. Exerc. I, cap. 17.

(4) De Fin. lib. IV, cap. 27.

(5) Ad Att. lib. III, epist. 15.

et in eis Catonem, ego vero tantum illum puto ab isto scelere abfuisse, ut maxime doleam plus apud me simulationem aliorum (Pompeii, Cæsaris, Clodii), quam istius fidem valuisse».

His itaque omnibus perpensis, fieri nequit, quin immerito JCtos accusari fateatur, qui, præjudicatis opinionibus liber, simplicem veritatem unice amat, inhumanumque judicat, æquissimi juris antistites, qui summis meritis non tantum cives suos, sed nos etiam seriori ævo viventes, obstrinxerunt, ambitiose, ast inglorio et parum generoso de mortuis triumpho, vituperare, irridere, lacerare. Desinant profecto innocuos falsis criminibus onerare homines eruditi, desinant unius testis, illiusque et oratoris mendacia fingentis, et adversarii laudibus æmulorum suorum detrahentis, unico testimonio tantam fidem habere, ut, etiamsi nemo alius adsit accusator, nullæque proferantur probationes, severissimum clarissimumque ordinem maximo scelere damnare non vereantur. Dilabatur et funditus corruat prava ista opinio, quasi totius juris civilis origo et caussa fuerint crudelis dominandi cupiditas, sordida avaritia, turpissimæque fraudes! Evanescat celebrata stultitiæ exprobratio! Ad bonam mentem redeant, et, dum sol in apice est, meridiem agnoscant viri docti, si candidi haberi volunt, suaque illis fama cordi est: una omnes numquam gloriose, et humili cum iis, qui se defendere nequeunt, pugna, veterum vitia recenseamus, sed virtutes, quantum possumus, imitemur illorum virorum, qui nullo pretio nullave mercede allecti miseris opem præstabant, et transverso foro ambulantes, aut domi sedentes, sine ullo præmio, consulentibus sui copiam faciebant, cum ipsaque auroræ prima luce civium saluti operabantur. Equidem, dum hanc animam reciprocabo, canam Antiquitatem venerabor, neque id cæco amore ductus, aut stolida vetustatis admiratione abreptus; verum quia abitror, nos, qui a priscis illis

sapientibus lucem fœneramur, minime oportere ingrata carpendi libidine agi, at modeste et cum verecundia nostram sententiam profiteri, si quid in summis viris reprehendendum esse videatur.

Luzac.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE SECUNDÆ PARTIS CICERONIS CONTINENTUR.

FINIS TOMI TERTII SECUNDÆ PARTIS.